



**De missa integra historia, ex sanctis evangelistis, apostolis,  
prophetis, veteribus recentioribusq[ue] Scriptoribus  
Ecclesiasticis, Concilijs, Pontificum Decretis, &  
Constitutionibus, congesta. Per D. Valentinum Vannium.  
Adversus librum D. Johannis Fabri, apud Augustam  
Vindelicorum in summo templo Concionatoris, de opinata &  
falsò dicta Euangelica Missa.**

<https://hdl.handle.net/1874/423708>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. qu.

275




129  
44









E. qu.  
275







Theologia

Quarto n<sup>o</sup>. 275.

N. S. C.

840275

DE MISSA  
INTEGRA HISTORIA,  
EX SANCTIS EVANGELISTIS,  
APOSTOLIS, PROPHETIS, VE-  
teribus recentioribusq; Scriptoribus Ecclesia-  
sticis, Concilijs, Pontificum Decretis, &  
Constitutionibus, con-  
gesta.

Per D. Valentinum Vannium

ADVERSUS LIBRUM D. IO-  
hannis Fabri, apud Augustam Vindelicorum in  
summo templo Concinatoris, de opinata &  
falso dicta Evangelica  
Missa.

Tomus prior.

Ex domo Herb. Busolinii

Cum Indice locupletissimo.

TUBINGÆ APVD VI-  
duam Vrici Morhardi.

1563



DE MISSA

IN THEOR A HYSTORIA  
REACTIV ANGRISTE  
OTTOVA MONT MATA  
...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

...  
...  
...

REVERENDIS-  
SIMO, EIDEMQUE IL-  
LUSTRISSIMO PRINCIPI AC

Domino, Domino Ottoni, Cardinali titulo

*S. Sabinae, Episcopo Augustensi, & Præposito Elua-  
censi, salutem in Domino sempi-*

*ternam.*



REVERENDISSIME  
ac illustrissime Princeps, supe-  
rioribus annis cum D. D. Io-  
hannes Fabri, Dominicalter,  
& maioris Ecclesiæ Augusta-  
næ Concionator, in publicum

ædidisset librum Germanica lingua conscriptum,  
cui titulus est: Euangelicæ Missæ perfecta demō-  
stratio ex sacris literis, &c. rogatus ab amicis qui-  
busdam, homini etiam publico & Germanico  
Scripto, quantum fieri potuit, placidè respondi.  
Sed quia ipsius liber postea alterius cuiusdam  
opera, quoq; Latinè est æditus, quò latius propa-  
gari possit, mihi verò præ alijs negotijs occupato,  
non licuerit meum transferre: tamen vt exteræ  
nationes intelligerent, protestantes Germaniæ  
Status, Missam non omnino abolere, quemadmo-  
dum Concionator ille falsò illis imputat, sed tan-  
tum ad primam institutionem Domini nostri Ie-  
su



EPISTOLA

su Christi, & exemplum primitiuæ Ecclesiæ restaurare, exoravi pium & doctum virum D. D. Guilhelmum Bidembach, Stutgardianæ Ecclesiæ Concionatorem, & mihi in Christo dilectum collegam, vt ipse pro suis donis, hoc meum Scriptum de Missa quoq; latinitati donaret. id quod etiam bona fide præstitit. Impossibile enim est, vt in contentiosis quæstionibus lector æquum iudicium ferre possit, nisi prius vtramq; partem benignis auribus audiuerit.

Cum autem Reuerendis. Vestra Celsitudo, hodie (vt audio) tanquàm protector Germanicæ nationis, in Romani Pontificis curia, magna cum authoritate versetur, volui qualecunq; hoc Scriptum de Missa Latinum illi dedicare. humiliter supplicans, vt Celsitudo vestra, tanquàm natus Germanus, Germanicas res germanè & dextrè, apud Romanum Pontificem, & Patres Concilij, promoueat & protegat: illisq; pro sua authoritate hortator sit, quò vel tandem omisis non necessarijs quæstionibus & Decretis, seriò de præcipuo statu cõtrouersiarum, ex Propheticis & Apostolicis literis, disputantes dijudicarent: & vt disputandi materiam haberent, hunc de Missa libellum proponeret. In quo, vt spero, præcipuos articulos, de quibus olim eramus responsuri in Cõcilio, complexos esse cernent. Et spero hunc meum

DEDICATORIA.

um laborem, Celsitudini Vestrae, & Patribus non  
ingratum futurum, si modò remotis priuatis affe-  
ctibus, diligenter perpenderitis. Deprehendent  
enim re ipsa, nos nihil aliud quærere, quàm  
gloriam Christi & Ecclesiae, omniumq̃  
Ecclesiasticorum dignitatem perpe-  
tuò saluam. Dominus noster Ie-  
sus Christus Cels. Vestram  
conseruet incolumem  
perpetuò. Amē.



Reuerendiss. Vestrae Cel-  
situdinis

Humillimus

Valentinus Vannius, &c.

Illustrissimo Principi  
ac Domino, Domino Christo-  
phoro, Duci Wirtembergensi, & Teccensi,  
Comiti Montis Pelicardi &c. Domino suo  
clementissimo.



ILLUSTRISSE PRIN-  
ceps, Domine clementissime. Conclo-  
nator maioris ædis Augustanæ, Doctor  
Ioannes Fabri, professione Dominica-  
nus, anno post natum Christum millesis-  
mo, quingentesimo quinquagesimo quin-  
to, librum satis prolixum in lucem ædi-  
dit, cuius titulus seu inscriptio prima  
frontepiam & integram explicationem  
Missæ Euangelicæ promittit. In quo cum nihil noui in medium  
adferat, quod non iam dudum ab Eccio, Vuimpina, Sidonio, &  
cæteris eius farinae hominibus, maiori artificio tractatum sit, à  
nostris autem Præceptoribus ea dexteritate confutatum, ut à nes-  
mine perfectius aliquid in hoc genere elaborari possit: superua-  
caneum forsân uideri queat, ueteri & uulgatæ cantilenæ nouam  
responsionem opponere, iuxta sapientissimi Salomonis præ-  
ceptum Prouerb. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam eius,  
ne efficiaris ei similis.

Veruntamen cum uniuersæ historiæ testentur, nullum unquæ  
tam crassum tamq̃ absurdum errorem extitisse, qui non suos asse-  
clas & applausores inuenerit, periculum est, ne hoc Scripto simpli-  
cium hominum oculis & mentibus nebulæ ac præstigiæ quæ-  
dam offundantur, maximè cum in Latinam etiam linguam, ut  
longè lateq̃ ad exteros spargatur, iam pridem à cucullato quo-  
dam Carthusiani Ordinis translatum sit: Quare meo quidem  
iudicio necessitas postulat, ut non planè sine omni responsione di-  
mittatur,

P R A E F A T I O.

mittatur, quemadmodum Salomon prædicto capite monet: Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens uideatur.

Volui autem hisce annis connuere, hac spe fretus, fore, ut Theologi quidam eruditione præstantes, & singulari facultate ad scribendum instructi, in hanc arenam descenderent, atq; os ipsius impudens obturarent.

Cum autem uideam illos malle bonas horas in explanatione sacrarum literarum collocare, quàm odiosis contentionibus cum Fabro isto decertare; non potui ego, quàmuis inter ministros Euangelij postremus, grauib; quibusdam de causis, omittere, quin ad omnia ipsius adulterina argumèta, diuino adiutus auxilio, responderem.

Nam Faber ille non erubescit, Vestrae etiam Celsitudinis piam Confessionem & ordinationem rituum Ecclesiasticorum arrodere: quamuis & hoc tectis atq; subdolis uerbis insinuet. Misisti In Germanico Exemplari fol. 169. turgi, inquit, in mutada forma illa, qua Coenam Dom. celebrant, In Latino fol. 293. mutada item Confessione & ecclesiasticorum rituum institutione Euripo ipse leuiore ac instabiliores sunt, aded ut uulgares etiam homines id animaduertant, planeq; deprehendant, & querimonis prosequantur. Modò placet illis Augustana Confessio, mox aliam comminiscuntur: Paulò post existit alius, qui aliam fabricet: sicq; alij post alios suas Confessiones consuunt. Hæc ille. Præterea, non uno in loco scribit, abrogationem Missæ, & communionem laicorum sub utraq; specie, esse sectam, hæresin, & defectiorem à uera Catholica & Orthodoxa Ecclesia: aliq; eiusmodi complura scommata passim petulanter spargit.

Quia igitur Faber suo Scripto Vestrae Celsitudinis piam Confessionem, & rituum Ecclesiasticorum sanctionem callidè impetit, multisq; bonis uiris suspectam reddere conatur, agnosco, me hoc officium Ecclesiae debere, ut librum eius refutandum suscipiam: ac ueritatem sacrosanctæ nostræ cœnæ copiosius explicem: nec non idolatricæ Missæ abominationem in clariorem lucem proferam.

Sed priusquam caput controuersiae de Missa aggrediar, rogo  
Celsæ.

## P R Æ F A T I O.

Celf. Vestra consideret, quo prætextu, quibusq; fraudibus Faber suam de Missa sententiã proponat, ut hoc pacto Celf. Vestra commonefiat, quòd sub uestimentis ouium, hoc est, sub uerborum lenocinijs & phalerata pompa orationis rapax lupus delitescat, ac proinde sibi ab illo, tanquam Pseudopropheta, eiusq; fraudus lento libro, diligenter cauendum esse sciat.

Primum enim Titulus ipse libri ualde speciosus est, quippe solidam & piam Missæ Euangelicæ demonstracionem præ se ferens: quo quid honestius, quidue splendidius dici posset? Vnde & ego primo intuitu ita exhilaratus fui, ut existimarim, Fabrum non suo tantum calculo doctrinam Euangelij approbare, sed alios quoq; ad id faciendum suis scriptis cohortari. Posteaquam uerò librũ apertum perlegerem, diligenter uoluens atq; reuoluens, animaduertebã hominem istum sui ipsius, & tituli atq; instituti sui prorsus oblitum esse: nec multum Euangelicis spiritus inueniebam.

Quantum enim ad principalem scopum in causa Missæ attinet, omnes suos neruos eò intendit, ut puram & uerè Euangelicam Missam, hoc est, sanctissimam Cœnam Domini nostri Iesu Christi atrocissimè calumnietur, & fœdissimè peruertat. contra, execrabile idolum Missæ fucatis uerbis ornet & defendat: Sicut deinde omnia & singula suis locis monstrabo.

Quod uerò ad alia & communia capita spectat, in quæ passim longissimè euagatur, cum tamen ad principale negocium Missæ parum faciant, sed eò tantum tendant, ut nos omnibus ingratos et inuisos reddat, ne sic quidem animum Euangelij studiosum experior.

Præterdit quidem insignem humilitatem & modestiam, sæpe etiam nos appellat Fratres. Attende, inquit, frater, Et: hic responde frater. Et, o frater, &c. interim tamen nobis contumeliosissima, & à fraterno animo alienissima agnomina tribuit. Vnde facile æstimare licet, ipsum perinde fratrem nostrum esse, atq; olim Cain Abelis, & Esau Iacobi frater erat. Vocat enim nos seditiosos, perfidos, periuros, sanguinarios, leues, temerarios, turbatores pacis, euersores Reipublicæ, pestes humani generis, corporum & animarum perditores, multo etiã ipsis Turcis peiores. Ipsam uerò prædicationem Euangelij uocat trigenariam aut quadrage-

nariam

P R Æ F A T I O.

nariam sectam, malum semen, quod bonum fructum ferre nequeat, sed sit causa omnium calamitatum & miseriarum totius Germaniæ.

Tandem etiam in cruentam exclamationem contra fratres suos prorumpit. Agedum, inquit, uos præcipui tum Ecclesiastici tum Ger. fol. 6  
Lat. fol. 15 Magistratus ac Proceres, uos Dei ministri, qui eius uices geritis, quibus gladius commissus est, dispicite tandem, quam horrenda ac execranda pariat scandala nimia lenitas ac clementia. Nisi enim hæresi eo, qui decet Christianum, zelo maturè occurratur, haud secus quàm cancer latè serpit. Hactenus Faber.

Ex his & similibus uerbis nihil quàm uindictam & contumeliam spirantibus, quibus liber ipsius scætet, & ex eo maxime, quod Ecclesiæ antistites mundano gladio armat contra hæreses, facile Vestra Cels. pro sua prudentia intelligit, Missam libro istius descriptam, tam esse Euangelicam, quàm Euangelica sunt uerba illa, quæ in nos euomit.

Cum autem hæ & similes calumniæ ad Disputationem de Missa propriè non pertineant, & antehac à præceptoribus nostris luculenter conuicti sint aduersarij, quòd Euangelio, quale quidem apud nos prædicatur, omnibusq; uera fide id amplectentibus uiolentam iniuriam faciant: super sedebò prolixiori refutatione, nec de his cum Fabro ulterius rixabor: sed uindictam Deo, iusto iudici, relinquam, quam suo tempore retribuet. Ego uerò rectè caput seu statum rei aggrediar.

Volui tamen sub ingressu & uestibulo disputationis uestram Cels. monere, ut Fabri ampullas & sesquipedalia uerba (Euangelica, Modestia, Fratres, Charitas, &c.) non curaret, sed probaret spiritum ex suis ipsius uerbis & operibus, an ex Deo sit.

Quamuis igitur Cels. Vestra, utpotè ornata insigni prudentia, & à Deo ipso docta, contra uersutum & dolosum Fabri librum per se satis præmunita sit: tamen mihi consultum uidetur, hanc meam responsionem sub uestræ Cels. nomine & patrocinio in publicum exire, in gratiam eorum, qui piam uestræ Cels. Confessionem & ordinationem Ecclesiasticam subscriptionibus atq; suffragijs suis approbarunt: ut & in fide sua certiores, & in cōscientia securiores facti, persuasissimum habeant, quòd in Articulo Coenæ dominicæ nullatenus à sancta Catholica Christi Ecclesiā defecerint, sed ualuto magis ad eam accesserint.

P R Æ F A T I O.

Ut autem pius Lector expeditius & minori difficultate in hoc libro uersari possit, obseruabit, quo ordine Fabro respondeam. Nam quæcunq; passim confusissimè in suo codice tanquam in chao quodam inuoluit, ea omnia in nouem certos titulos ceu Classes digeram, ordinèq; singula reuellam.

Prima Classis complectetur ea, quæ ex quatuor Euangelistis Faber in subsidium suum aduocauit.

Secunda Classis erit de Apostolis.

Tertia, de Prophetis.

Quarta de sancta Catholica Ecclesia.

Quinta, de antiquis Patribus & Doctoribus Ecclesiæ, per singulas Centurias, usq; ad hæc nostra tempora.

Sexta de Romanis Pontificibus, qui Papæ uocantur.

Septima de Concilijs & Decretis.

Octaua, de testimonijs Iudæorum, Ethnicorum & Turcarum.

Nonò & ultimo, de externis ceremonijs Missæ generaliter dicetur.

Omnia igitur, quæ ex iam enumeratis Classibus Faber ad fulciendam suam opinionem diffuse tractat, ea propitio Deo sub istadem classibus sigillatim in responsione mea diluentur.

Porro, ne pius lector suspicetur, me Fabri uerba nõ bona fide, sed peruersè & sinistrè allegare, aut alieni quippiam de meo affingere, singulos locos ex ipsius libro tam Germanico quàm Latino allegatos, in margine certis numerorum notis, quas Ciphras uocant, annotaui, ut Lector statim quæsito & inuento folio, mea ac Fabri scripta certius inter se conferre, & de uerisq; dexterius iudicare queat.

DOMINVS noster Iesus Christus Cels. Vestram in agnita ueritate eiusdemq; constanti professione clementer conseruet & ueneat, ad Ecclesiæ & dulcissimæ patriæ nostræ utilitatē. Amen.

Cels. Vestra

Subditus & obsequens.

Valentinus Vannius Ecclesiastes in Candidat.

# HOC CATALOGO TAM VE-

res quàm recentiores Doctores Ecclesie, Romani Pontifices, & Concilia, per singulas Centurias eo ordine recensentur, quo postea per totum librum in testimonium adducuntur.

## CENTURIA prima.

Patres Anno D.

- |   |   |      |
|---|---|------|
| 1 | Dionysius Areopagita<br>discipulus Pauli. | 75.  |
| 2 | Clemens discipulus<br>Petri.              | 90.  |
| 3 | Ignatius discipulus<br>Ioannis.           | 105. |
| 4 | Martialis discipulus<br>Apostolorum.      |      |

### Pontifices Romani.

- |   |                   |      |
|---|-------------------|------|
| 1 | Petrus Apostolus. | 44.  |
| 2 | Anacletus.        | 80.  |
| 3 | Clemens.          | 90.  |
| 4 | Alexander.        | 110. |
| 5 | Sixtus.           | 120. |

### Concilia.

- |                                 |     |
|---------------------------------|-----|
| Concilium Apostolorum<br>A. 15. | 40. |
|---------------------------------|-----|

## CENTURIA secunda.

Patres. Anno D.

- |   |                 |      |
|---|-----------------|------|
| 5 | Iustinus Martyr | 140. |
| 6 | Irenaeus.       | 170. |
| 7 | Origenes.       | 230. |
| 8 | Cyprianus.      | 250. |

### Pontifices Romani

- |    |              |      |
|----|--------------|------|
| 6  | Telesphorus. | 130. |
| 7  | Sother.      | 161. |
| 8  | Zepherinus.  | 200. |
| 9  | Calixtus.    | 215. |
| 10 | Vrbanus.     | 225. |

## CENTURIA tertia.

Patres.

- |     |                        |         |
|-----|------------------------|---------|
| 9   | Eusebius Caesariensis. | 325.    |
| 10  | Arnobius.              | 330.    |
| 11. | Athanasius             | 340.    |
| β 2 |                        | 12. Hi- |



# CATALOGVS

	Anno D.		Anno D.
12 <i>Hilarius</i>	355	17 <i>Syricius.</i>	385.
<b>Pontifices Romani.</b>		18 <i>Anastafius.</i>	405.
11 <i>Felix.</i>	270.	19 <i>Innocentius primus.</i>	411.
12 <i>Eutichiannus.</i>	285.	20 <i>Sozimus.</i>	413.
13 <i>Caius.</i>	290.	21 <i>Bonifacius.</i>	420.
14 <i>Syluefter.</i>	310.	<b>Concilia.</b>	
15 <i>Iulius.</i>	335.	<i>Sardicenfē.</i>	339.
<b>Concilia.</b>		<i>Ariminenfē.</i>	360.
<i>Nicenum.</i>	325.	<i>Constantinopolitanum</i>	
<i>Antiochenum.</i>	345.	<i>primum.</i>	380.
<i>Elibertinum.</i>	335.	<i>Ephesinum primum.</i>	434.
<b>CENTVRIA</b>		<b>CENTVRIA</b>	
<i>quarta.</i>		<i>quinta.</i>	
<b>Patres.</b>		<b>Patres.</b>	
13 <i>Bafilus Magnus.</i>	365.	21 <i>Ioannes Damafcenus</i>	
14 <i>Gregorius Nazian-</i>		<i>maior.</i>	450.
<i>zenus.</i>	370.	22 <i>Theophlyactus.</i>	480.
15 <i>Epiphanius.</i>	375.	<b>Pontifices Romani.</b>	
16 <i>Ambrofius</i>	380.	22 <i>Caelestinus</i>	428.
17 <i>Hieronymus.</i>	385.	23 <i>Leo 1.</i>	442.
18 <i>Auguftinus.</i>	395.	24 <i>Hilarius.</i>	460.
19 <i>Ioannes Chryfoftomus.</i>	400.	25. <i>Felix.</i>	480.
20 <i>Cyrellus Alexandrin.</i>	440	26 <i>Gelafius.</i>	490.
<b>Pontifices Romani.</b>		<b>Concilia.</b>	
16 <i>Damasus.</i>	368.	<i>Chalcedonenfe 1.</i>	475.
		<i>Agathenfe.</i>	

# A V T H O R V M.

	Anno D.		Anno D.
<i>Agathene.</i>	480.	<b>CENTVRIA XI.</b>	
<i>Constantinop. 3.</i>	545.	31 <i>Bernhardus Clareual-</i>	1100.
<i>Braccarense.</i>	582.	<i>lensis.</i>	
<b>CENTVRIA VI.</b>		32 <i>Gratianus.</i>	1155.
27 <i>Gregorius Magnus</i>		33 <i>Petrus Lombardus.</i>	1175.
<i>Pont. Rom.</i>	593.	<b>CENTVRIA XII.</b>	
<b>CENTVRIA VII.</b>		34 <i>Thomas Aquinas.</i>	1270.
23 <i>Beda.</i>	705.	35 <i>Bonaventura.</i>	1280.
24 <i>Damascenus minor.</i>	730.	36 <i>Guilhelmus Durandi.</i>	1285.
<b>CENTVRIA VIII.</b>		<b>CENTVRIA XIII.</b>	
25 <i>Rabanus.</i>	825.	37 <i>Nicolaus de Lyra.</i>	1315.
26 <i>Pascasius.</i>	881.	38 <i>Iohannes Hus.</i>	1395.
<b>CENTVRIA IX.</b>		<b>CENTVRIA XIII.</b>	
27 <i>Vdalricus Episcopus</i>		39 <i>Tomas Vualdensis.</i>	1420.
<i>Argustanus.</i>	911.	40 <i>Aneas Sylvius 1.</i>	1455.
28 <i>Haymo Episcopus Hal-</i>		41 <i>Dionysius Rickel Car-</i>	
<i>berstattensis.</i>	950.	<i>thusianus.</i>	1460.
<b>CENTVRIA X.</b>		42 <i>Platina,</i>	1465.
29 <i>Lampertus Monachus</i>		<b>Concilia.</b>	
<i>Herueldensis.</i>	1090.	<i>Constantiense.</i>	1415.
30 <i>Robertus Abbas</i>		<i>Basiliense.</i>	1437.
<i>Tuicensis.</i>	1095.	<b>CENTVRIA XV.</b>	
		43 <i>Gabriel Biel.</i>	1490.
		44 <i>Ioannes Nauclerus.</i>	1492.
		45 <i>Polydorus Vergilius.</i>	1495.
		46 <i>Guilermi Postilla.</i>	1500.

INDEX PRIOR CONTINENS NOMINA Patrum, Scholasticorum, & Conciliorum, ex quibus Author testimonia mutuatus est. Vbi notabis, ea quae sequuntur literam b. in secundo Tomo querenda esse.

A.

Adrianus Papa, fol. b.	116.
Aeneas Syluius, b.	115.
Agathense Conciliū.	102. 127.
Agathon papa, b.	114.
Albertus Magnus, b.	127.
Alexander papa.	89.
Ambrosius, 23. 42. 111. a. b.	112. 113. b. 6. 82. 85. 94.
	106. 115.
Anacletus Papa.	89.
Anastasius Papa.	119.
Ancyranum Conciliū.	27.
Antiochenum Conciliū.	107.
Apostolorum Conciliū.	39.
Arnobius.	97.
Ariminense Conciliū.	120.
Athanasius.	97.
Augustinus, 22. 26. 27. 43.	64. 67. 78. 79. 80. 82. 84.
	86. 87. 88. 104. a. b. 106.
	111. a. b. 114. 117. b. 14.
	16. 27. 38. 41. 47. 53. 60.
	61. 72. 83. 86. 87. 92. 94.
	97. 137.

B.

Basilus.	109.
Basilienſe Conciliū, b.	142.
Beatus Rhenanus.	76.
Beda, b.	132.

Bernhardus, b.	136.
Bergomaten.	89. b. 6.
Bertramus, b.	54.
Bonauentura b.	39. 40. 138.
Bonifacius Papa.	119. 116.
Braccarenſe Conciliū,	127.

C.

Calixtus Papa.	36.
Carolus I, Cæſar, b.	118.
Casſianus,	76.
Cæleſtinus papa.	124.
Chalcedonen. Conciliū.	127.
Chryſoſtomus, 23. 43. 82. 83.	98. 111. 114. 116. 117. b. 16.
	38. 43. 47. 87. 94. 102. 104.
Cicero, b.	100.
Cyprianus, 23. 27. 76. 84. 86.	87. a. b. 93. 100. 103. 117.
	b. 16. 38. 93. 94.
Cyrillus, 43. 78. 117. b. 87.	
Clemens Papa, 71. 89. b. 62.	
Conſtantinopolitanum Conciliū.	120. 127.
Conſtantiense Conciliū, b.	142.

D.

Damaſcenus, 122. b. 100. 133.	
Damaſus Papa.	119.
Decretum Gratiani, 23. 24. 59.	
	60. 89. 101. a. b. 117. 126. b.
	26. 33. 36. 38. 93. 118. 122.
	125. 137.

INDEX.

Decretales. 24.  
 Dionysius Areopagita, 72. 74.  
 89. 103. b. 164.  
 Dionysius Alexandrinus. 88.  
 Dionysius Rickel Carthus. b.  
 141.  
 Discipulus. b. 99.  
 Durandus in Rationali, 76. 85.  
 b. 34. 35. 36. 126. 138.

E.

Elibertinum Concilium. 107.  
 Epiphanius, 79. 111. 112. b. 86.  
 Ephesinum concilium. 120.  
 Eusebius. 27. 82. 88. 95. 98.  
 100. 103. b. 61. 96. 146.  
 Eurychianus Papa, b. 96.

F.

Fasciculus temporū, 23. b. 130.  
 Felix Papa, 103. 125.

G.

Gabriel Biel. 94. 115. b. 8. 10.  
 15. 19. 37. 41. 44. 56. 114.  
 119. 120. 143.  
 Gelasius papa. 126. b. 6. 53.  
 Gerson. b. 32.  
 Gratiani Decreta. vide Decretum.  
 Gregorius Magnus, 23. b. 67.  
 23. 31. 88. 97. 98. 116. 129.  
 131.  
 Gregorius Nazian. 78. 111. 112.  
 Guilelmus Parisien. b. 143.

H.

Haymo Archiepiscopus b. 134  
 Hieronymus 26. 43. 59. 88. 105.  
 111. a. b. 113. 117. b. 61.  
 87. 93. 124.  
 Hilarius Papa 97. 125.  
 Honorius Papa, b. 62.  
 Hugo de S. Victore 76. 88.  
 b. 41.

I.

Iacobus de Voragine. Vide  
 Lombardica histor.  
 Ignatius 72. 73.  
 Innocentius Papa 76. 101. 119.  
 b. 6. 37. 129.  
 Iohannes Hufs b. 31. 33. 139.  
 Irenæus 82. 84. 90. b. 53.  
 Isidius b. 62.  
 Iustinus Martyr 84. 92.  
 Iustinianus Imperator, 128. b. 9  
 115

L.

Leo Papa I. 124. b. 6  
 Lombardica historia Iacobi de  
 Voragine, 113. b. 108. 116.  
 129.

M.

Magister Sententiarum. Vide  
 Sentent.  
 Martialis Epistola 72. b. 74. b.  
 Naucles

INDEX.

N

Naucerus, 89, B. 6. 116. a.  
 b. 117. 129. 130. 134. 142.  
 Nicænum Concilium. 27. 106.  
 120.  
 Nicolaus Papa. 26. B. 133.  
 Nicolaus de Lyra. 139.

Scorus, b. 56.  
 Sententiarum Magister. 22. 80.  
 b. 127. 129. 137.  
 Syluester Papa. 103.  
 Synodus sexta, b. 114.  
 Syricius Papa. 101. 119.  
 Sixtus Papa. 89.  
 Sozymus papa. 119.

O

Origenes. 28. 93. b. 62. 124.  
 Ouidius de Purgatorio b. 96.

P

Panormitanus. 88.  
 Paschasius, b. 43. 133.  
 Paulinus. 84.  
 Petrus Apostolus. 88.  
 Platina. 88. 119. b. 6. 96. 114.  
 116. a. b. 129.  
 Plinius secundus b. 100.  
 Polydorus Virgilius. 75.  
 Prosper, b. 124.

T

Telephorus Papa. 97.  
 Tertullianus 42. 76. 82. 83. 84.  
 87. 92. b. 62.  
 Theodoritus. 87.  
 Theophylactus 43. 123. b. 87.  
 95  
 Thomas Aquinas 64. b. 10. 13.  
 38. 137. 138  
 Thomas Vualden, b. 141  
 Toleranum Concilium b. 126  
 Tripartita Historia 26. 27. 74.  
 77. 112  
 Tritemius abbas spanhemensis  
 b. 112

R

Rabanus. 76. b. 133.  
 Richardus. 39.  
 Romanum Concilium, b. 116.

V

Vdalricus Episcopus Auguste.  
 b. 133  
 Vergilius de purgatorio b. 96  
 Vrbanus papa 96

S

Santes Pagnitius. 73.  
 Sardicense Concilium. 101.  
 120.

Z

Zacharias papa b. 116

# INDEX POSTERIOR VOCABV-

lorum & rerum memorabilium. Obseruabis autem ubi-  
cunq; literam B. præfixam inueneris, sequentes  
numeros secundum tomum designare.

## A

- Absolutionis sacramentalis uir-  
tus Fol. 52. 29.  
 Absolutionis Papisticæ forma  
b. 77.  
 Abusum cœnæ leuiorem seues-  
rissime reprehendit in Corin-  
thijs Paulus 39.  
 Abusus non tollit substantiam  
rei b. 46  
 Adiphoræ res necessarijs legis  
bus non adstringendæ 40.  
96. 103. 119. b. 28. 38. 129.  
140  
 Adorandi uerbum late patet b.  
63  
 Aduocatis non opus est coram  
Deo b. 87  
 Aegyptiorum sacrificia. b. 146  
 Agaparam collatio 83  
 Agnus paschalis fuit sacrifici-  
um in ueteri Testamento si-  
cut Missa in nouo 36. b. 138  
 Allegoriæ in controuersijs ni-  
hil certi confirmant 12. uer-  
nitas earum 39  
 Alba in Missa b. 151  
 Alcorani Religio qualis b. 7.  
37  
 Alleluia in Missa b. 151  
 Altaria nulli Martyrum consti-  
tuuntur. 104  
 Altaria tot cum sacerdotibus  
unde exorta. b. 18  
 Altarium consecratio. b. 58  
 Angelo prædicanti non cre-  
dendum, nisi uerbum Dei ad-  
ferat. 65  
 Angeli custodes hominum. b.  
73.  
 Anniuersaria Martyrum. b.  
84  
 Anniuersaria sacrificia pro  
mortuis. b. 96. 126.  
 Antichristus abolebit syncerum  
cultum Dei. 47  
 Antichristi spiritualia sunt ara-  
ria. 48  
 Antichristi miracula. b. 85.  
100.  
 Antiquior est uerbi religio om-  
nibus religionibus peruetu-  
stis. 60  
 Apparitiones mortuorum. b.  
100. 102.  
 Applicatio meritorum Christi  
in Missa. b. 19. 21. 122  
 Apostasia papatus. b. 8  
 Apostoli quomodo non omnia  
necessaria ad salutem scripse-  
rint. 41  
 Apostolorum sacerdotium. 54  
 Apostolorum doctrinæ cur cre-  
dendum præ alijs Doctoris  
dus. 69

γ Aqua

I N D E X.

**Aqua an calici addenda.** b. 38  
**Ariolis similes sunt Missarū.** b.

119

**Auaritia sacrificulorū Missas  
 auxit.** b. 18. 32.

**Augustana confessio asseritur.**  
 25. b. 48. 55

**Augustinus princeps ueterum  
 Theologorum.** 80

**B**

**Baptismi forma præscripta an  
 rectè usi Apostoli.** b. 25.

**Baptismi significatio.** b. 29

**Benedixit in Cœna quid signifi-  
 ficet.** b. 50

**Bernæ flagitium perpetratum à  
 Dominicistris.** 62

**Bigamus non ordinetur.** b. 37.

**Bohemis utraq; species sacra-  
 cramenti concessa.** b. 142.

**Bullæ Fraternitatis tenor.** b. 77

**C**

**Calicis utraq; species impiè laici-  
 cis prærepta.** 8. 15. 94. 99.

101. 113. 124. b. 24. 29. 33.  
 136. 139

**Canone Missæ nemo melior sit.**  
 19. 56.

**Canonis Missæ errores maxime  
 insignes.** b. 5.

**Canonem cur ignorare debe-  
 ant laici.** b. 8.

**Canonede non publicando ex-  
 emplum horribile.** b. 8

**Canon alta uoce olim uulgaris  
 redditus.** b. 118

**Canon Basilij.** 109

**Canonistarum grandia uolus-  
 mina.** 22. b. 137.

**Cafula.** b. 151

**Casus reseruati.** 25.

**Catholicus non est qui a uerbo  
 Dei dissentit.** 5

**Catholica cur uocetur Ecclesia  
 christi.** 57

**Causa sine qua non.** b. 49

**Cœna in Christum non sacrifici-  
 casse corpus & sanguinem  
 suum.** 57

**Cœna Domini non Papæ celes-  
 branda.** 11.

**Cœnam ad dominicam præpæ-  
 ratio digna.** 20. 29. uide præ-  
 paratio.

**Cœna Domini non sumenda cū  
 impijs.** 30

**Cœna domini magna religione  
 apud protestantes celebra-  
 tur.** 31

**Cœna Papistarum non est Doe-  
 minica. sed humana.** 113

**Cœna in mors domini præ-  
 dicanda.** b. 30

**Cœna Christi & nostra sit eas-  
 dem.** b. 42.

**Cæremonijs prædicat Papatus,  
 neglecto uerbo.** 19

*Cæremonijs*

# INDEX.

- Cæremonijs** tot Missatici cons-  
 reguntur substantialia Miss-  
 læ. 19.  
**Cæremoniæ** Missaticæ liberæ  
 sunt. 96. 103. 119. b.  
 140.  
**Cæremoniæ** Gentilium retens  
 tæ in Christianismo. b. 96.  
**Cæremoniæ** Missæ. b. 148.  
**Cærei** per diem non incenden-  
 di. 107.  
**Christus** semel seipsum obtulit  
 in cruce non in cæna. 3. 5. 15.  
 35.  
**Christus** est iustitia fidelium suo-  
 rum. 30.  
**Christus** quæ non docuit liben-  
 ter ignoranda. 42.  
**Christus** est Agnus Dei. 37.  
**Christus** solus audiendus est.  
 60.  
**Christi** officium negant aduers-  
 sarij. b. 9.  
**Christus** sacerdos in æternum  
 deletur per Missæ sacrifici-  
 um. b. 15.  
**Christus** pro originali peccato  
 satisfecit, Missa autem pro  
 actualibus. b. 10. 13.  
**Christus** per manum & os mi-  
 nistri consecrat & porrigit  
 sacramentum. b. 49.  
**Character** indelebilis. b. 35.  
**Chriftatis** unctio. b. 34.  
**Circumcisionis** sacramentum.  
 b. 40.  
**Circumcisionis** mandatum ad  
 tempus transgressum seu or-  
 missum. b. 24.  
**Clauium** uis. 250.  
**Clerus** quid. 98.  
**Collationes** ad cœnam factæ  
 83.  
**Communio** olim uocata est Mis-  
 sa. 18. 74.  
**Communio** priuata. b. 59.  
**Communio** unius tantum. b.  
 59.  
**Communio** LAICA. 98.  
**Conciliorum** autoritas. 105.  
**Concomitantia** physica in Eu-  
 charistia. 13. 14. 34. 18. 109.  
 b. 30.  
**Confessio** auricularis, ex opere  
 operato improbatur. 22. 29  
**Confessionis** auricularis incom-  
 moda. 25.  
**Confessio** auricularis bona est  
 propter examen & institutio-  
 nem uitæ. 29.  
**Coniugium** sacerdotum asseri-  
 tur. b. 37. 134. 136.  
**Consecratio** repletorum seu a'e-  
 tarium. 126.  
**Consecrationis** uis non est ex  
 ordine aut consecratione hu-  
 mana. b. 34.  
**Consecrare** uelle Eucharistiam  
 præter uoluntatem, id est,  
 uerbum, & institutionem  
 Dei. b. 40.  
**Consecratio** sacerdotis an faci-  
 at corpus & sanguinem Chri-  
 sti. b. 42. 49.  
**Consecrationes** magicæ. b. 50.  
 119.  
**Consecrare** et sanctificare quid  
 signifi. ent. b. 51.  
γ 2 Consecratur



# I N D E X.

consecratur hostia altaris uirtus	sa. 97. 103. 110. 115. b. 71
et tantum institutionis Christi.	84. 96. 104. Vide Sanctorū.
b. 34. 48.	defunctis pro sacrificare cap-
consecratio lapidum & ligno-	tum. b. 56.
rum b. 60.	defunctorū super sepulchra ci-
consensus ecclesiæ 59. 70. a. b.	bi & uina collata. b. 97.
consuetudo uetusta non semper	defectio à Christo per Paulum
sequenda 60.	prædicta. b. 8
constitutio, traditio.	dæmoni ulciscenti immolati li-
contritio uera quæ 22	beri. b. 146
corpus Christi etiam edunt in-	Diaconi officium. 55. 74. 107.
dignis b. 45	disciplina publica olim in Ec-
creare quid sit b. 51.	clesia. 26. 59.
credere sufficit Scripturæ sa-	Dij celebrati in sacris Gentili-
cræ 43	um. 33. 34
crucis & passiones Sanctorum	Diuorū intercessio. 104. b. 71
non sunt satisfactiones 26.	vide Sancti.
culpa à & pœna redimit con-	Diuorum tutelarium omnia
fectio auricularis 25. b. 109	plena in Papatu. b. 89
cultus instituire ex propria de-	Doctores boni omni tempore
uotione sine uerbo 5. b. 90	ecclesiam purgarunt. 59
cultus diuinos an condere pos-	Doctores ecclesiæ sæpe erra-
sit ecclesia 63. 64	runt. 67. b. 132. 140. Vide
culturæ ueteris Testamenti re-	sancti Patres.
ductæ in nouum 111	Doctores ecclesiæ non uulga-
cultus ad impios promptior est	ria dona Dei. 70
mundus b. 128	Doctorum singuli aliquot er-
cultus Dei facere intentione bo-	roneas opiniones tutati. 67
na b. 64	Domine Deus, non esto durior
Curtisanorum rapacitas. b. 125	saracenorū Soldano b. 99

## D.

Danielis uaticinium de iugis a-	
crificio 47	
Danielis caput. 7. pro Missa. 49	
dedicatio Ecclesiarum. 125	
defunctorum memoria in Missa	

## E.

Ecclesia uelut spōsa Christo ad-	
hærens errare nequit. 5. 65.	
ecclesia	

I N D E X.

- ecclesia an possit mutare instituta Diuina. 15
- ecclesia Romana impiè ab omni errore eximitur. 28. 65
- ecclesiæ potestas contra uerbū & institutum Christi nulla. 35. 40. 63.
- ecclesia Catholica alligata est uerbo 57. b. 27.
- ecclesiæ notæ certæ 57. 61
- ecclesia non censenda ex multitudine sectatorum. 61. (62
- ecclesiæ ueræ exiguus est grex. 65
- ecclesia iuxta spiritum inuisibilis est. 65
- ecclesia an errare possit. 66. b. 103
- ecclesia suos habet defectus. 66. b. 26.
- ecclesiæ ueræ facies contemptibilis. 62
- ecclesiæ ueræ membra sunt palmites uitis Christi. 66
- ecclesiæ Papisticæ securitas nimia. 68
- ecclesia in errante multi tamen saluantur. b. 32
- ecclesia mirè conseruatur inter multos errores. b. 32. 103
- ecclesiæ benedictio per Christum. b. 145.
- Emaus in fractio panis. 10
- episcopi officium. 55
- episcoporum successio ordinaria. 57
- episcopi erant olim concionatores, non principes. 73. b. 134
- Episcopi non uigilanter Scripturæ factæ intendunt. b. 86
- erroris efficacia in Papatū missa est. b. 11. 32. 85.
- error unus ex alio textitur dimisso uerbo. 28
- Esaiaë uaticinium ex ca. 61. sacerdores Domini uocabimur ni &c. excutitur. 55.
- Ethnicorum sacrificia b. 145
- Ethnicorum testimonia de Missa. b. 144
- Ethnica exempla sequi. b. 102
- Euangelij prædicationem corrumpet Antichristus. 48
- Eucharistia uera quid sit. 7. 122
- eucharistiæ utraq; species. Vide calix.
- eucharistia abarcendi sunt indigni. 21. 25. 74
- eucharistia utendi non habemus præceptum, sed potius prohibitionē, inquit Faber, 21. 32.
- eucharistia habet idem corpus Christi quod pepedit in cruce. 35. b. 56.
- eucharistia quis dignus sit. 31. b. 45. Vide Præparatio.
- eucharistianon reseruanda aut includenda 32. 37. 93. b. 31. 58. 61.
- eucharistia intoxicata Henrico Cæsari data. 62
- eucharistiæ dignitas. 81
- eucharistia cur sic uocetur. 82
- eucharistiæ uirtus & usus. 12. 120. 122. b. 20. 25. 31. 37. 53. 54. 58. 71.
- eucharistia non est FIGVRA 122. b. 55.

## INDEX.

<p>eucharistiæ una species à Mani- chæis descendit. 124</p> <p>eucharistia quando non sit in Missâ priuata. Vide missâ.</p> <p>eucharistiæ ueritas. b. 55</p> <p>eucharistia extra usum. an permaneat sacramentû. b. 56</p> <p>eucharistia nõ consecranda, Fa- bro, apud ægrotantes. b. 58.</p> <p>eucharistiæ adoratio. b. 62. 68. 69</p> <p>eucharistia nequit pro alio sumi b. 20.</p> <p>eucharistia olim fidelibus in manus data. b. 62</p> <p>excommunicari impij. 26. 125</p> <p>exempla Christi non constitus unt legem sine mandato. 10</p> <p>exēpla Sanctorû fabulosa. b. 89</p> <p>exequiæ defunctorum. b. 112</p>	<p>Fidem à passione Christi ad hui mana sacrificia abducit Pa- pistæ. b. 15</p> <p>Fides aliena. b. 20</p> <p>Fides alijs cito, alijs tardè dona- tur. b. 27</p> <p>Fideles simpliciter faciūt quod Christus iubet, et faciūt quod mandat. 14</p> <p>Fidelium tentationes ut à ueræ Figuræ ueteres deserūt. b. 151</p> <p>bo. abducantur. b. 103</p> <p>Franciscani Missas celebrare à Turca permittuntur. b. 147</p> <p>Fraternitatum Diu. b. 77</p> <p>Fraternitatum Bullæ. b. 122</p> <p>Fundatores aniuersariorum. b. 127</p> <p>Foundationum formula. b. 128</p> <p>Foundationes impiæ uertendæ in pium usum. b. 129</p>
--	---

### F.

<p>Faber mitram episcopalem am- bit. 35</p> <p>Faber malitiose interpretatur scripturam. 40</p> <p>Fabriles caui spirant mendacia folles. 21</p> <p>Fabulæ quæcunq; sunt Papa- rum reuelationes diuinæ. 6.</p> <p>Facere, pro sacrificare. 7. b</p> <p>Festum corporis Christi. b. 63</p> <p>Fidei articuli non contendi sine uerbo. 5</p> <p>Fide spiritualiter utendum est Sacramentum. 13</p> <p>Fidei fructus sunt oblatio mun- da. 40</p> <p>Fidei articulos an condere poss sit ecclesia. 63. 64</p>
--

### G.

<p>Genealogiæ Iudaicæ similes Papisticis. 59</p> <p>Gentilium Religio Iudaicæ imi- tatrix. 33. 78</p> <p>Gentiliû uocatio, per Malachiã uaticinata. 50</p> <p>Gestus in Missâ. b. 150</p> <p>Græci inobediētes Papæ. b. 114</p> <p>Gregorianiles fabulæ. b. 97</p> <p>Gregorio Missanti se reuelat Christus. b. 130</p>
---

### H.

<p>Hæretici refutati per Doctores ecclesiæ. 70</p> <p>Hæreticorû cōuenticula. 74. 75</p> <p>Hæretici quibus armis conuin- cendū</p>
---

# INDEX.

- cendi. 121  
 Hæretici quâdo exūdant. 121  
 Hypocritarum mos, iudicare  
 sine uerbo. b. 19  
 Hypocritæ damnati sunt. 30  
 Hymnicantati à populo in Cœ-  
 na Domini. 116. Vide Psalmi  
 Hoc facite, &c. id est, Tale quod  
 ego feci. 37  
 Homine in, id est, carne non ha-  
 bitat bonum. 30  
 Hominis horrenda ex sese indi-  
 gnitas. 31  
 Hostia ultra nō est pro peccatis,  
 etc. explicatur. 118
- ## I.
- Idolatria unde dicitur. b. 87  
 Idolatriæ locus datur cū scrip-  
 tura sacra negligitur. b. 86.  
 Idola inter Ethnica & Papistica  
 nullum discrimen, nisi solis  
 nominibus. b. 89  
 Idolatriæ creuerunt cum bar-  
 barie. b. 131  
 Ieiunia poenitentium. 27  
 Ieiunis tantum communican-  
 dum. b. 61.  
 Ignorantiæ peccata dicuntur  
 purgari post hanc uitā. b. 97  
 Ignorantia quando excuset. b.  
 128. 140  
 Imagines in ecclesia an habens  
 dæ. 107  
 Incorporata ecclesiæ. b. 125  
 Incredulitas nostra non tollit  
 ueritatem Dei. b. 46  
 Indulgentiæ sunt satisfactiones  
 pecunia redemptæ. 27
- Indulgentiæ Romanenses. b. 66  
 Institutio Christi immota per ho-  
 mines debet manere. 38. 40  
 Introitus in Missa. b. 151  
 Inuocare & adorare idem &  
 unum est. b. 83  
 Iohānis Euangelistæ ca. 6. quan-  
 do cum Cœna Dominica con-  
 ueniat. 13. 38  
 Iohannes Hufs. 59  
 Iohannis Hufsi de Luthero uā-  
 ticiniū. b. 140  
 Italica lingua corrupta. 121.  
 b. 114  
 Ite Missa est, quid Fabro signi-  
 ficet. 4  
 Iudæorum testimonia de Missa  
 b. 144  
 Iudæos Turca tolerat. b. 147  
 Iudicandum non est ex religio-  
 ne nostra, sed uerbo Dei. 29.  
 Hypocritæ.  
 Iustitia perfecta nunquam quæ-  
 renda in bonis operibus. 30  
 Iustificatio gratuita olim etiam  
 negata. 38
- ## L.
- Laicis interdicitur scire quid in  
 sacris agatur 19. b. 8  
 Laicis altera species Eucharis-  
 tiæ nō eripienda, uide Calix.  
 Laici si sciissent, nunquam tan-  
 ta donassent. b. 32. 127.  
 Laicus quid. 98  
 Lapidum portatiliū consecra-  
 tio. b. 61  
 Legem Dei nequit diligere na-  
 tura hominis. 22  
 Legendæ

# INDEX.

- Legendæ sanctorum apud uer**  
**teres.** 104  
**Lemures nocturni non audien**  
**di. b.** 101  
**Libertas à Christo relicta, uin**  
**dicanda.** 38. 59.  
**Liberæ res, per Christum, non**  
**faciendæ necessariæ per pa**  
**pam.** 40  
**Limbus patrum. b.** 110  
**Lingua uernacula omnia in Ec**  
**clesia sunt celebranda. b. 114**  
**118**  
**Litanix quando ortæ. b.** 88  
**Liturgia missam Papisticam de**  
**struit.** 41. 73  
**LYTHERVS agnitionem Dei**  
**rursus mundo inuexit.** 59  
**Lutherus cygnus.** b. 141
- M**
- Magix proprietates. b. 119. uis**  
**de consecratio.**  
**Machabæorum libri cuius sint**  
**authoritatis. b. 110.**  
**Malachiæ uaticinium de sacrifi**  
**ficio missæ seu munda obla**  
**tione. 50. 100. 123.**  
**Manuum impositio. b.** 72.  
**Maria ex (uirgine matre) facta**  
**mediatrix &c. b. 7.**  
**Mariæ imagini sacrificia super**  
**stitiose immolata. b. 86**  
**Martyrum annua sacrificia ces**  
**lebrata.** 103  
**Martyres quomodo colendi.**  
**103**
- Martyrum Anniuersaria. b. 84**  
**Mediarum rerum usum Christus**  
**permisit liberum. 39. uide**  
**adiaphora.**  
**Medix partes missæ. b.** 150  
**Mediator redemptionis & in**  
**tercessionis. b. 80.**  
**Melchisedechi sacerdotium quo**  
**modo fuerit figura sacerdo**  
**tij Christi. 44. 93. 111.**  
**Meritis in iusticiam quærere. b.**  
**67**  
**Merita sanctorum. b.** 71  
**Meritum congrui & condigni**  
**b. 72**  
**Meritorum ratio non est coram Deo**  
**sicut coram mundo. b.** 10  
**Merita humana non stabiliens**  
**da. 29**  
**Ministri indignitas nil adimit**  
**sacramento. b. 45. 47.**  
**Miracula magna ad sepulchra**  
**Martyrum fecit Deus. b. 85**  
**Miracula non intuenda nisi per**  
**uerbum. b.** 85  
**Miracula quæ ex Deo sint, aut**  
**Diabolo. b.** 85.  
**Missæ defendi non debet sine**  
**uerbo Dei. 1. b. 131.**  
**Missæ sacrificium probat Deus**  
**ex Iudæis, Turcis & Ethni**  
**cis. 1.**  
**Missæ in exemplum & manda**  
**datum Christi imitanda solū**  
**2. 3. 6. b. 119.**  
**Missæ in accipimus potius quam**  
**damus Deo. 2. 3. b. 13.**  
**Missæ Euangelica quid sit. 14.**  
Missæ

# INDEX.

- Missæ priuatæ impletas. 18. 37.  
 41. 46. 74. 77. 89. 99. 116.  
 117. 126. 128. b. 120. 123.
- Missæ uis sūma ac fructus mur-  
 mure tacito occultatur. 19. b
- Missa nefarie peruersa 19. b. 11.  
 31. 123.
- Missa omnia ea accipit quæ  
 Christus in cruce sacrificio  
 suo impetravit. 36.
- Missa non est sacrificium expia-  
 torium pro uiuis & defun-  
 ctis, sed, communitio corpo-  
 ris & sanguinis Christi in cō-  
 memoracionem ipsius 18. 38  
 43. 69. 71. 95. 110. b. 132
- Missaticum sacerdotium non  
 fuit tempore Apostolorum.  
 55. b. 11.
- Missatici sacrificij origo. 60
- Missæ uocabulum. 72
- Missam interpretantur sponta-  
 neam oblationem, ergo à no-  
 lentibus intermitteri potest. 73
- Missæ antiquæ ritus uarij ac li-  
 beri. 74. 96. 103. b. 130.
- missa optima quæq; polluit. b.  
 152
- missales codices abolendi. b.  
 153
- missa Papistica est nūdinatio. 76  
 b. 18. 61. 121
- missa non est solius sacerdotis  
 sed totius ecclesiæ actio. 82.  
 115. a. b. 116. b. 117. 117.
- missa olim nuda cum sola ora-  
 tione Dominica. 88. b. 6
- missa quo sensu sit sacrificium.  
 78. 94. 106. b. 57. 137.
- missa non habet corpus Christi.  
 nisi legitime iuxta institutio-  
 nem Christi celebretur. 97.  
 b. 15. 40. 57. 58. 120
- missa VERNacula lingua celes-  
 brata. 113. 115. 128. b.  
 114
- missæ Romanæ & Mediolanen-  
 sis discrimen. 113
- missam ad cantauit populus.  
 uide Psalm. Hymnos.
- missæ sacrificium expiatoris-  
 um, ex opere operato, est  
 idolum iuxta Christum. 118  
 b. 11. 13. 15
- missaticæ ceremoniæ. uide Cæ-  
 remoniæ.
- missarij mediatores inter Deum  
 & homines loco Christi. 120.  
 b. 12.
- missa Papistica quo tempore  
 nata. b. 7.
- missa pugnat iustificationi gra-  
 tuitæ. b. 10. 13.
- missa satisfacit pro Actualibus  
 peccatis, Christus autem pro  
 originali. b. 10. 13.
- missaticum sacrificium institu-  
 tum ut nos PLENE saluet. b.  
 14
- missæ sacrificio deletur æter-  
 num sacerdotium Christi. b.  
 15
- missæ sacrificium & crucis dis-  
 uersum plane. b. 16
- missæ priuatæ origo. b. 18
- missarius solus comedit ac bis-  
 bit. b. 17
- 8 missarij

## I N D E X.

- Missarij dicunt se applicare me-  
 rita Christi. b. 18. 122  
 Missa priuata idolatrica. 40  
 Missarius Papis est propitia-  
 tor, non Christus. b. 110  
 Missa secreta quando legi cap-  
 ra. b. 114. 118  
 Missa Latina quando obrusa  
 orbi. b. 117  
 Missa Gregorij recepta & obru-  
 trusa omnibus, reiecta Am-  
 brofiana. b. 117. 130  
 Missa habeat annuntiationem  
 mortis Domini. b. 119  
 Missæ spectatores, non intel-  
 lectores. b. 120  
 Missaticæ gestulationes. b.  
 122.  
 Missam ex opere operato uale-  
 re. b. 122.  
 Missæ exequiales reia pecti-  
 niæ. b. 124  
 Missæ sacrificium non est pro-  
 pitiatatorium sed commemo-  
 ratiuum. b. 13. 137. 138  
 Missa vide Cœna, Cæremoniæ,  
 consecratio, Canon, Euchri-  
 stia, sacrificium.  
 Morauis utraq species Sacra-  
 menti concessa. b. 142  
 Mortui non inuocandi. b. 87.  
 Diui, Sancti.  
 Mortuis non credendum. b.  
 102.  
 Mors sanctorum est uita illorū.  
 103  
 Mortui sancti) Defuncti.  
 Mortem Domini annunciare  
 quid sit. 18. b. 119  
 Multitudine ex seclatorū nō ce-  
 fenda est Ecclesia. 61  
**N.**  
 Necessitas dispensare cogit. b.  
 24. 25. 59  
 Nerobergen. ordinatio Ecclesi-  
 astica commendatur. b. 140  
 Nicolaus de Lyra. 59  
 Nomen Domini multipliciter  
 in uanum assumitur. b. 17  
**O.**  
 Oblatio Missæ est corpus Do-  
 mini offerre fidelibus parti-  
 cipantibus ad manducandū.  
 111. 114  
 Oblationes primitiarum & pa-  
 num ad Cœnam allata. 83.  
 b. 18. vide Offertorium.  
 Offertorium Missæ unde sic di-  
 catur. b. 96. vide Oblatio.  
 Operibus in & meritis perfe-  
 ctam iusticiam quærere. 30  
 Opus operatum hominis exte-  
 nuat meritum Christi. 29  
 Opus operatum poenitentia pæ-  
 pisticæ. 28  
 Opus operatum abominabile  
 coram Deo. b. 21. 72  
 Opera supererogationis b. 71.  
 109  
 Opera bona sunt imperfecta. b.  
 109  
 Opera bona necessario facienda  
 b. 72  
 Oratio ex opere operato dam-  
 nat. b. 21  
 Ordines

# I N D E X.

Ordines septem. 98. 102. 34  
 Ordinatio Ministrorum Eccle-  
 siæ qualis olim. 126  
 Ordinis quæ potestas confe-  
 ratur. b. 43  
 Ordinationes ministrorū qua-  
 les esse debeant. b. 34

## P.

Panibus propositionum quo-  
 modo confirmetur una spe-  
 cies Cœnæ. b. 24  
 Papa non sequens uestigia Petri  
 successor eius nō est. 58. Pri-  
 matus.  
 Paparum multi parum bono po-  
 feris reliquerunt. 58  
 Papæ officium. 59  
 Papæ olim uocati Episcopi Ro-  
 mani. 88. b. 116  
 Papæ quæstiosa aucupia in to-  
 to mundo. b. 125  
 Papatu in sine discrimine om-  
 nia creduntur. 65  
 Papatu in tenebricoso, multi sal-  
 uati. 68. b. 32. vide Ecclesia.  
 Papatus. vide Error. prima-  
 tus.  
 Patronatus Ius b. 125  
 Patrum testimonijs abutuntur  
 Papistæ. 28. 71. 125  
 Patrum doctrina in multis er-  
 ronea. 67  
 Patrum scripta cū scriptis Pro-  
 phetarum & Apostolorum  
 conferenda. 70. b. 62  
 Patrum Apostolicorū scripta,

subditicia & nothia. 71  
 Patrum dicta per Scripturam  
 illustranda. 86  
 Patres cedant Deo, & infallibi-  
 li eius uerbo. 102. b. 91. 132  
 Pauli doctrinæ subscripterunt  
 omnes Apostoli. 40  
 Peccare nunquam, diuinum so-  
 lum est. 26  
 Peccatorum enumeratio in Cō-  
 fessione. 28  
 Peccatorum duorū genera non  
 habent partem in regno Dei.  
 30  
 Peccata si nō imputentur, sic re-  
 mittuntur. 30  
 Peccatum Originale cum actua-  
 libus coniuncta sunt. b. 13  
 Peccata actualia sunt fructus  
 originalis. b. 14  
 Peccatum in Spiritum Sanctū.  
 b. 33.  
 Peccatum. vide Persona.  
 Pœnitentia uera quæ & qualis.  
 22  
 Pœnitentiæ publicæ exempla.  
 27  
 Pœnitentia nostra non est cau-  
 sa remissionis peccatorum.  
 28  
 Pœnitentiæ opus operatum ex-  
 tenuat Christi meritum. 29  
 Pœnitentiæ partes uocantur Sa-  
 crificia. 85  
 Peregrinationes ad Sanctos. b.  
 85. 101  
 Personæ Deo placenti non im-  
 putatur peccatum. b. 24  
 Philosophia



## INDEX.

- Philosophia corrumpit Theologiam. b. 96. 102
- Pontifex idem qui sacerdos. 74
- Postilla Guilermi. b. 143.
- Prædicatores non instituendi nisi quos Christus instituit. 42
- Præparationibus dignis se ipsum sanctificare ante Eucharistiæ susceptionem. 20. 29
- Præmatu Petri. 58. b. 116.
- Processiones institutæ cum crucæ. b. 88.
- Psalmi ab omnibus cantati ad Missam. 74. 109. 116. 124
- Pseudoprophetarum signa mendacia. b. 100.
- Purgatorium. b. 89
- Purgatorium Ethnicorum. b. 96
- Purgatoriij ignis acerbitas. b. 127
- Purgatorio citius liberatur diues quam pauper. b. 127
- Purgatoriij ignis quando primum emicuit. b. 8
- R**
- Rabinorum testimonia de Missa. b. 144.
- Rationis & uerbi pugna. b. 11
- Religio sine uerbo, & pietas sine Christo. 31
- Reliquiæ Martyrum non adorandæ. b. 87.
- Reseruata pontificis. b. 125
- Reuelationes de Purgatorio. b. 100
- Rituum externorum dissimilitudine offenduntur simplices. b. 7
- Rosaria beatæ Mariæ. b. 78
- S**
- Sacramentum Eucharistiæ intergrum omnibus fidelibus institutum. uide calix. 12
- Sacramenta nisi in fide spiritaliter sumantur nil profunt. 13
- Sacramenta mutare Apostolis nunquam licuit. 16.
- Sacramentorū usum legitimum corrumpet Antichristus. 48
- Sacramenta noua instituere non potest Ecclesia. 64.
- Sacramenta nulli hominum institui licet. 34
- Sacramentis exhibetur quod uerbo promittitur. b. 39
- Sacramentorum institutio diuina si mutetur, iam non erunt sacramenta. b. 43.
- Sacramenta non profunt, nisi in fide & uerbo. 31
- Sacramenta sigilla sunt iusticiæ. b. 45
- Sacramenta extra institutionem Christi non sunt sacramenta. b. 46
- Sacramenta confirmant fidem. b. 45
- Sacramenta sine uerbo quid sunt? b. 40
- sacerdotum

# INDEX.

Sacerdotum dignitas Angelicæ præfertur.	49	commendanda ad imitationem.	103
sacerdotis uocabulum latè patet.	51	Sanctorum memoria in missa.	104.
Sacerdotiū in nouo Testamento triplex.	52	Sanctorum cōmunio. b. 32.	70
sacerdotij Christi & Aaronis conuenientia, &c.	52	Sanctorum inuocatio idolatriæ ca. b.	69. 73
sacerdotio de Christi unico & æterno.	52	Sancti merita sua ut commendent nobis. b.	70
Sacerdotium Missaticum tempore Apostolorum non erat.	55	Sancti careant cultu & adoratione. b.	87
sacerdotium Leviticum reduxit Gregorius Magnus. b.	7	Sanctorum cōmemoratio fieri solita in Missa. b. 71. Vide defuncti.	
sacerdotes tot & Altaria unde. b. 18		Sancti orant pro nobis. b.	88
sacerdotum dignitas & opes ex sacrilegio. b.	32	Sancti in multis sæpe labuntur & decipiunt. b.	132. 140
sacerdotum ambitio. b.	32	Sancta persona (per eundem) sanctificat omnia. b.	24
Sacrificia postolim conuiuia agitata.	33	SALVE Regina cribratur. b. 78	
Sacrificij cruenti & incruenti distinctio languens.	35. 78	Satisfactio 3. pars poenitentiae. 25	
Sacrificium crucis & altaris idem & unum est.	35	Satisfactiones Canonicae. 27. b.	
Sacrificium (Christi) iuge abolebit n̄tichristus.	48. 78	Satisfactionis opinio, unde orta. 26	
sacrificij uocabulum seu significatio.	77	Satisfactio nulla est in futura uita. b.	93
sacrificium Martyrum.	105	Scholasticorum Doctorum figmenta. 22. 26. 29	
sacrificia anniuersaria pro mortuis. b. 96. vide anniuersaria.		Scripturam sacram incertam faciunt Papistæ. 41	
sacrificio in crucis et altaris maximū discrimen. b. 15. 109.		Scriptura sacra perfectum hominem facit. 42	
sacrificium missæ non est propitiatorium, sed commemoratiuum. b.	137	Sententiariorum acumen. 22. b. 137.	
Sanctorum defunctorum uita		Simonia Papistarum. b. 121	
		Synaxis cur uocetur Cœna Domini. 16. 18. 74	
		♫ 3 Somniijs	

# INDEX.

- Somnūs omnibus credit Papas  
tus. 65.
- Species in coena Domini quid  
significet. 10. b. 52.
- Spiritualis manducatio Buchar  
ristiæ. 13.
- Spiritus sanctus quomodo doc  
ceat Ecclesiam omnem uerita  
tem b. ubi sit. 27.
- Spiritus uerax quomodo amē  
daci dinoscatur. b. 27.
- Spiritus ueritatis ubi sit. b. 27.
- Spiritus mortuorum apparent.  
b. 100.
- Spiritus tumultuarij. b. 100.  
102.
- Stationarij exigendi. b. 129.
- Stipendium sustentationis Miss  
sariorum. b. 123.
- Stola de uiuere b. 125. 129
- Studijs linguarum et bonarum  
artium munitur Ecclesia con  
tra Hæreticos. 121.
- Successio ordinaria S. Petri se  
dem tenentium. 56.
- successioni ordinariæ Episcopo  
rum non est alligata Ecclesia.  
57. 58.
- Successio Apostolicæ doctrinæ  
non cathedræ attēdenda. 59.
- Summistæ perstricti. 22.
- Superstitiones creuerunt cum  
barbarie. b. 131.
- T**
- Taulerus. 59.
- Templar diſſeleti. 62.
- Testamenti ueteris ueteris in  
nouo. 111.
- Theologiam synceram ferme  
tauit Philosophia. b. 96. 102
- Tonsura sacerdotum. b. 36.
- Traditiones Christi & Aposto  
lorum eadem sunt. 40.
- Traditiones cedant uerbo. 103
- Traditiones quæ ueteris causa  
instituantur, non damnandæ  
103.
- Traditionis antiquæ degenera  
runt. b. 36.
- Traditiones hominum cedant  
Diuinis. b. 59.
- Transubstantiatio negata. 10.  
b. 52.
- Turcarum Religio antiqua est  
sed uerbum non habet, quod  
est Antiquius. 60.
- Turcarum testimonia de Missa  
b. 144. 147.
- V**
- Venduntur omnia spiritualia,  
in Papatu. b. 121.
- Verbo Dei probādus est omnis  
cultus Dei. 1.
- Verbum & institutio Christi  
opponantur omnibus muta  
toribus Religionis Dei. 12.
- Verbum per utenda & inueni  
da Sacramenta Dei. 11.
- Verba institutionis ac promiss  
ionis circa Sacramenta inue  
nda. 19.
- Verbo à Dei ad hominum plac  
cita deflexum. 18.
- Verbum per usus sacramento  
rum accipiendus. 31.
- uerbo

## INDEX.

- |  |   |
|--|---|
| Verbo & institutione Christi<br>sanctificantur omnia sacra.<br>31.                       | Verbum accedat ad Elementū<br>& fit sacramentum, quomodo<br>intelligendum. b. 41. 53.     |
| Verbum pauci complectuntur.<br>62.   | Verbo Dei abuti contra uerbū.<br>id est ad res quæ sunt contra<br>uerbum, blasphemum. 63. |
| Verbo relicto opiniones pro-<br>prias sequi errare facit Eccle-<br>siam. 67. b. 30. 102. | Verbum qui nō curant permit-<br>tuntur mendacio credere. b.<br>103.                       |
| Verbum Domini in uanum as-<br>sumit Missifex. b. 17.                                     | Verbum Dei antiquius est om-<br>ni Religione. 60.   |
| Verbum extra, non nisi tenes<br>bræ. b. 32.  | uestitus in Missa. b. 150   |
| Verbum est uelut lydius lapis.<br>b. 29. 102.  | Verustas non patrociniatur era-<br>rori. 60.  |
| Verbi prædicationem à cœna<br>amouit Sathan. b. 30.                                      | Visiones quomodo interpretan-<br>dæ. b. 130.  |
| Verbum potissimum est in usu<br>sacramentorum. b. 39.                                    | unctio sacerdotum. b. 35.   |
|  | Votis se obstringere. b. 86.  |



# De Substantia

Missæ.



**PRINCIPIO D. FABER,**

apud Augustam Vindelicorum maioris

ædis concionator, Missam in duas partes Germ. fol. 7.

diuidit: quarum priorem, substantiam Latin. 15.

ipsam esse ait, uti à Christo celebrata, in-

stituta ac promulgata sit: posteriorem par-

tem ab Apostolis, alijsq; Sanctis Patri-

bus, in celsissimi Sacramenti honorem ac

reuerentiam, adiectam, conditam atq; constitutam esse.

Postea substantiam Missæ partitur in tria: in consecrationem, Germ fol. 8.  
oblationem, & communionem. Latin. fol. 13.

Per consecrationem dicit panem & vinum in corpus ac sanguinem Christi transmutari, ac solam panis viniq; speciem manere reliquam. Per oblationem verò, Sacerdotem in Missa sub specie panis & vini, corpus ac sanguinem Christi Deo Patri offerre pro viuis & defunctis: cumq; deinde hoc oblato Sacramento solus vescatur, applicare per id opus, meritum Iesu Christi, omnibus presentibus spectatoribus, alijsue quibus id destinet, seu (ut ipsi loquuntur) intendat. Porro in communionem Laicis alteram tantum speciem distribui: nec id tamen semper, sed certis quibusdam temporibus, aut quando ipsi hoc petant. Ita ex vnica actione cœnæ Dominicæ facit tria distincta opera, quorum vnumquoduis suam certam proprietatem obtineat, & seorsim ac separatim à reliquis duobus exerceri vsurpariq; & possit & debeat. Et hæc ferè est summa primæ partis de Substantia Missæ, quam Faber prolixè in suo libro tractat, octoginta circiter integris folijs.

A Cum

PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

Cum autem filius Dei Dominus noster Iesus Christus, ipsemet sacramentum corporis & sanguinis sui, ultima ea nocte, qua traditus est, instituerit, quemadmodum sancti Euangelista, Matthaeus, Marcus, & Lucas, & Apostolus Paulus in nouo Testamento descripserunt: merito sanè Faber, tanquam præcipuus patronus Missæ, suam de Missa sententiam, ex verbis primæ institutionis Christi, quasi fundamenti loco positus, euincere debuisset. Hoc enim si faciat, iam Missam suam optimo munimento tutatus est. Sin minus faciat, nihil eum magnitudo & moles libri iuuabit, etiamsi volumen ipso Iudaico Thalmud grandius conscribat. Nam in omnibus dissensionibus de Sacramento cænæ Dominicæ, hæc vnica via est veritatis, vt primo & solido fundamento verborum institutionis Christi innitatur, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, nisi in perniciosos errores & certissimum exitium incidere velimus.

Sed videamus quæso, quomodo Faber suam sententiam demonstret. In verbis institutionis per longas ambages circuit, & cuperet, si quo modo fieri posset, ea dissimulanter præterire. Sentit enim aculeos quosdam in conscientia, quos præciosa hæc verba ei instigunt, dum Fabrum ita quasi alloquuntur: Noli me tangere. Ideoq; omisit illis, longum sermonem texit ex Prophetis, ex vetustis ecclesiæ doctoribus, ex Concilijs & Decretis, de potestate Catholicæ ecclesiæ, de perpetua successione, de multitudine sectatorum eius, de vocabulo Missæ, sacerdotio, sacrificio, incruento, laicis, inuocatione sanctorum, exequijs, anniuersarijs, & quod auditu horrendum est, de Iudeorum Rabinis, Turcorum Asperis nummis, at Ethnicorum idolatricis sacrificijs.

Tandem summo pudore cogente, necesse habet, verba prima instituti nis in testimonium suæ sententiæ etiam obiter attingere. Verum ea inastimabilis præcij verba tam miserè torquet, lacerat & discerpit, vt vehementer mirer, qua fronte id facere audeat

hac etate, qua multi adhuc, Dei gratia, inveniuntur, præditi dono dijudicandi spiritus. Quemadmodum enim aranea, ex rosa pulcherrimi coloris & odoris suavisissimi, lethale venenum exugit, ita Faber præcipue tres horrendos errores ex verbis primæ institutionis haurit: imò verò ex sui cerebri vertigine violenter illis ingerit.

Primus error is est, quòd Corpus & Sanguis Christi sub specie panis & vini, in Missa Deo patri quotidie offerantur, pro expiandis cum viuorum tum mortuorum hominum peccatis.

Secundus est, quòd Sacerdos isto oblatorio sacramento, sub vtraque specie, solus vescatur, etiam pro viuis & defunctis: ipsidemq; per hanc theatricam actionem, omnia merita passionis & mortis Domini nostri Iesu Christi applicet.

Tertius, quòd Laicos spectatores quidem esse sinit, verum illis aut nullum prorsus, aut certè dimidiatum sacramentum, nempe solum panem communicat, calicem sacrilegè ipsis præripiens.

Vt autem omnes intelligant, Fabrum Domino nostro Iesu Christo, sanctis Prophetis, Apostolis & Euangelistis, verè Catholicæ & Christianæ ecclesiæ, sanctis Patribus, & veteribus doctoribus ecclesiæ luculentam iniuriam facere, dum fingit eos talem Missam celebrasse, instituisse, tradidisse & descripsisse, qualem ipse suo libro describit, & qualis hoc nostro seculo à Monachis & Sacrificulis celebratur: age omnia eius argumenta ordinè & sigillatim expendam. tum deinde sacrarum literarum testimonijs, & fide dignis historijs ecclesiasticis, alijsq; firmis & legitimis rationibus demonstrabo, Christum in vltima cœna corpus & sanguinem suum neq; Deo patri obtulisse, nec vt à nobis offerrentur, mandasse: sed discipulis suis sub vtraque specie edendum & bibeudū dedisse, in sui commemorationem: ac mandasse, vt exemplum ipsius imitantes idem facerent: eumq; morem post ascensionem Christi ultra quingentos annos in ecclesia purum atq; illibatum permansisse.



## PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

Et primò quidem fundamenti loco exponam testimonia Euangelistarum, deinde Apostolorum, mox Prophetarum, post, Orthodoxa ecclesiae & veterum doctorum. & sic deinceps ordine per singulas classes progrediar.

# Primum testimoni- um ex sanctis Euangelistis.



**E**UANGELISTÆ SIMPLICIBUS & perspicuis verbis recitant, quid Dominus noster Iesus Christus in vltima cœna fecerit. Accepit (aiunt) Iesus panem, & cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis. Similiter & postquam cœnauit, accepto calice, gratijs actis, dedit illis.

Nec minus clarè & apertè commemorant, quid in cœna dixerit, & quid nobis faciendum mandauerit: videlicet, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et iterum, Bibite ex hoc omnes: hic enim est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum, Hoc facite, quotiescumq; biberitis, in mei commemorationem.

Quis obsecro, sana mente peditus, hæc dicta & facta Christi aliter intelliget aut interpretabitur, quàm quòd Christus discipulis suis consecratum panem & calicem corporis & sanguinis sui edendum & bibendum dederit? Aut quis verè potest dicere, Christum aliquid aliud faciendum mandasse, quàm quod ipse antea fecerit? Verba enim satis clara & dilucida sunt. Et vel pueri norunt,

runt quid significet Panis, Vinū, Corpus, Sanguis, Edere, Bibere, Gratiarum agere, Meminisse, Dare, Accipere, Facere, Omittere, Omnes, Multi, Discipuli, Magister, &c.

Præterea Christus non cælestis & angelica, nec peregrina & ignota lingua nobis locutus est, ut intelligere ipsius sermonem nequeamus: Sed quemadmodum se nostra causa aliquandiu exinanivit, forma serui assumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus, ut homo humilem præbuit semetipsum, ita nobis hominibus humana etiam lingua loqui voluit, ut certo ipsius verbo de voluntate patris cælestis erudiremur. Itaque omnes creaturas ijs nominibus appellavit, quibus eas primus parens noster Adamus insigniuit. eaque lingua usus est, quam à dilecta matre sua Maria didicit, & quæ in Syriacum temporis vulgata & vernacula fuit. Nullum autem verbum huius institutionis significat sacrificium Missæ, aut Canonem, aut alteram solummodo speciem.

Ad hæc, tota orationis structura & verborum compositio hunc sensum non gignit, ut hæc verba de sacrificio vel Canone Missæ, vel de vna specie intelligantur. Testantur enim Euangelista, Christum accepisse panem & calicem. nulla hinc sacrificij mentio. Testantur gratias egisse & benedixisse. ne hoc quidem significat sacrificare. Testantur dedisse. hoc forsitan sacrificium denotare posset: qui enim sacrificat, dat. Sed sequens vocula (discipulis suis) hunc sensum non admitit. Non enim omnis qui dat, sacrificat: Sed omnis qui sacrificat, dat quidem, verum non hominibus, sed Deo. Christus autem dat, non patri, sed discipulis suis.

Insuper Christus in exhibitione Sacramenti orationem suam non ad Patrem cælestem, sed ad discipulos suos dirigit, his loquitur, his dat: proinde etiam non sacrificavit: aliàs seipsum, vel corpus & sanguinem suum discipulis sacrificasset. Vnde sequitur, etiam Missarios oportere discipulis sacrificare.

## PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

Pergunt Euangelistæ. Christus (inquiunt) dedit discipulis suis & dixit. Quid ergo dixit? Num dixit, offerre? minime: sed accipite. Porro qui accipit, non offert: non enim dat alteri, sed recipit id, quod sibi ab altero datur. Ad quid aut in quem usum iussit accipere? num ut Deo patri offerrent? nihil minus, imò dicit: Edite & bibite ex hoc omnes. Nullam adhuc audis mentionem sacrificii vel oblationis, quinimò omnia hæc sacrificio repugnant. Sequitur mandatum seu institutio: Hoc facite in mei commemorationem. Quid ergo faciant? num nouum aut diuersum aliquid, quod neque Christus neque discipuli in cæna fecerunt? Quis hoc dicere audebit? nam iuxta consuetudinem & proprietatem omnium linguarum, vocula, H O C vel T A L E, respicit & demonstrat id, quod præcedit, & quod iam actum est, non id quod erit in cruce peragetur. Itaque non dixit: Facite hoc, quod cras facturus sum, sed facite hoc, quod iam in cæna feci. Non ergo ut offerrent, sed ut edant & bibant, ipsis demandatur.

Quid multis opus? Euangelistæ in descriptione cæne Domini nullum planè verbum de sacrificio faciunt: Sed his verbis utuntur: gratias agere, panem & calicem accipere, frangere, distribuere, vesci, idque in commemorationem Christi.

Quemadmodum autem verba primæ institutionis non patiuntur, ut Sacramentum corporis & sanguinis Christi in cæna sit sacrificium, quod Deo patri de nouo sistatur, ad reconciliandos ipsi viuos & mortuos: sic etiam non patiuntur, ut Sacerdos postea id sacrificatum Sacramentum solus comedat, aut populo dimidiat tantum partem porrigat.

Nonne enim merum ludibrium esset, si Sacerdos in priuata Missa diceret: Accipite, edite, bibite ex hoc omnes: cum tamen decreuisset, se alijs nihil, aut saltem dimidiam partem esse daturum? Ceterum de calice æquè ac de pane perspicua verba Christi

MONIIS EVANGELISTARVM. 4

Christi extant: Similiter & calicem accepit, deditq; illis. Hæ voces (Similiter, & calicem) diligenter sunt perpendenda: quòd SIMILIMODO calicem dederit, bibendumq; mandauerit, quo corpus suum edendum dedit, sine omni personarum discrimine.

Et præsertim Matthæus ex instinctu Spiritus Sancti futurum errorem præuidens, verba & mandatum Christi eò diligentius & clarius expressit, vt nemo obscuritatem verborum arguere, aut excusationis loco prætereundum posset. Sic enim inquit: Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. OMNES, inquit, vt nemo excludatur.

Et Lucas in exhibitione calicis, pro his verbis: Bibite ex hoc omnes. ponit: Diuidite inter vos, id est, suam cuiq; portionem date, etiam ipsi prodicari, vt maneat communio. Sicut Christus ipse facetur: Ecce manus radentis me, mecum est in mensa. Luca 22. Et Marcus cap. 14. inquit: Et biberunt ex illo omnes.

Clarè ergo patet & irrefragabiliter, quòd Christus iubeat OMNES sacrum suum sanguinem pro peccatis nostris effusum, ex calice bibere: & quòd omnes, qui fructum aliquem ex venerabili hoc sacramento percipere cupiunt, sanguinem ipsius, & quidem ex calice, bibere debeant.

Quid autem ad hæc Faber? aut quomodo verba primæ institutionis explicat? interpretatur ea sua quadam peregrina lingua, quali apud nos circumforanei & mendicabula vti solent. Et planè idem facit, quod de lupo fertur in fabulis, qui cum scholas adiret, & ouem mercedis loco promereri studeret, lectionem suam recitans, in singularum syllabarum connexionem, subinde Ouem Ouem ingeminabat: adeò tenaciter in imis sensibus & in lingua hæbat Ouis: nec corrigere præceptor vitium poterat.

Ita

PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

Ita Faber sacrificijs grauidus & pragnans, nihil aliud eloqui potest, quàm sacrificium, sacrificium. Vnde fit, vt quantum Euangelista dicta & facta Christi in vltima cœna simplicissimè describant, Fabro tamen singula propemodum verba sacrificium & sacrificare significant.

- 1 Panis & Vinum, inquit, significat sacrificium.
- 2 Corpus & Sanguis est sacrificium.
- 3 Gratias agere, & dare, significat sacrificium.
- 4 Facere, significat sacrificare.
- 5 Omnes, significat Missarios sacris initiatos, & Multi, significat Laicos.

Obsecro, si simplicia verba Christi ita violèter, et in peregrinâ linguâ detorquere licet, quis tandem certò sciet, quomodo Deus erga nos affectus sit, aut quid à nobis exigat? Imò quis certus erit de proximi sui erga se voluntate & sententia? Siquidem nihil est, quod absconditus thesaurus cordis manifestari queat, nisi per verbum, dicente Baptista: Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis.

Attamen Faber circa verba primæ institutionis varias obiectiones, & firmissimas, vt ipse quidem putat, rationes affert, quibus probare nititur, Christum in cœna corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini Deo patri obtulisse: quibus solus Sacerdos vesci, vel saltem dimidiam partem Laicis communicare debeat.

Primum, quia Christus in cœna patri gratias agens, panem & vinum in suum corpus & sanguinem conuertens, oculos in caelum leuauerit. Hinc colligit, Christum corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini, patri suo cœlesti obtulisse, & sursum mississe: sicut in clausula. (Ite, Missa est) ipse fatetur: Ite, Missa est, id est, sacrificium per actum est, vel hostia Deo patri nostri consolatione & salute missa est.

Quò nunc nos vertemus? Audimus enim hîc, Christum in cœ-

Germ fol. 44.  
Lat fol. 73.

Germ fol. 136.  
Lat. 234.

na oculos suos in cælum leuasse. simulq; sacrificium corporis & sanguinis sui Deo patri in cælum misisse. Sed si interrogetur Faber, ubi nam hoc scriptum sit, responderet, in sacro Canone, sic enim sonant verba Canonis: Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum, ad te Deum patrem suum omnipotentem &c. Sin vltterius rogetur, ubi hoc in sacris literis scriptum extet? attrahit locum ex cap. 9. Lucæ. Christus accepit quinque panibus, & duobus piscibus, suspexit in cælum, & benedixit illis &c. Quorsum autem hæc ad cœnam dominicam? Num hos etiam quinque panes & duos pisces patri suo gratias agendo & in cælum sufficiens sacrificauit? Nam tres Euangelistæ & Paulus, qui cœnam Domini diligentissimè per omnes circumstantias descripserunt, ne vna quidem literula leuationis oculorum in cælum mentionem faciunt.

Iactat Faber passim in suo libro ecclesiam Catholicam, quæ tanquàm sponsa Christi, & firmamentum ac columna veritatis, à Spiritu sancto gubernetur, & errare nequeat: Seipsum quoq; primarijs eius ecclesiæ doctoribus annumerat. Nos Catholici, inquit, continemus nos in securitate veritatis. Sed vel ex hoc solo loco etiã cœcus videat, vanam & frustraneam esse hanc iactantiam: quia non solum peruertit simplicia verba, quæ ab Euangelistis in prima institutione recitantur, vt supra dictum est: sed temerè etiam præter Euangelistarum, & Pauli verba Christo tribuit, quòd in cœna oculos in cælum ad patrem suum sustulerit: mox huic putrido & instabili fundamento sacrificium Missæ superstruit. An non hoc est verbo Dei aliquid addere, & sine verbo Dei nouos cultus excogitare, eosq; super fictitijs hominum additiunculis extruere?

Quæ tamen omnia non eò dico, quòd prorsus negare velim, Christum in cœna oculos in cælum sustulisse, cum aliàs semper corde, ore, oculis & manibus cælum meditatus sit: sed quòd Fabro hanc licentiam nolim concedere, vt ex propria deuotione Christo

## PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

aliquid sine testimonij scriptura tribuat, atq; inde articulos fidei  
& novos cultus duanos extruat.

Et ut maximè certò constaret, Christum in cœna oculos in cœ-  
lum leuasse, num propterea corpus & sanguinem suum hoc gestu  
sacrificare voluit? Si oculos in cœlum leuare idem significat quòd  
sacrificare, tum Christus etiam quinq; panes & duos pisces, imò ve-  
psum quoq; Lazarum sacrificauit, cum sublatis in cœlum oculis, &  
etisq; gratijs, quinq; millia hominum pasceret, & Lazarum è mor-  
tuis suscitaret.

Hæc de conficta oculorum leuatione respondisse sufficiat, quo  
commento Faber suum Missaticum sacrificium pulchrè, si Dijs placet,  
comprobauit.

Germ fol. 8.  
Lat. fol. 14.

Secundò, ex prima institutione excerpit hæc verba: Quod pro  
vobis traditur, Et: Quod pro vobis ac multus effunditur, &c.  
Hinc infert, quia Christus non dicat: Quod pro vobis traditur,  
& quòd pro vobis effundetur, in futuro, in posterum scilicet diem,  
quæ magna feria sexta dicitur, sed in præsentis passiuo, Traditur,  
Effunditur, inde sequi, quòd Christus hîc loquatur de sacrificio cœ-  
næ suæ, in qua corpus ac sanguinem suum patri pro discipulis ob-  
tulerit, non tamen cruento modo. Et de hac sententia Faber cum  
suo sodalitiò tam certus est, ut pro ea rogum & ignes perpeti  
non dubitent.

Bella mehercle ratiocinatio. Concedimus sanè Christum huius-  
modi verbis in Cœna usum, quæ non futurum, sed præsens tempus  
designent. Sequelam autem, quam Faber infert, videlicet quòd  
Christus sub specie panis & vini, corpus & sanguinem suum in cœ-  
na Deo patri incruento modo obtulerit, nec verba institutionis,  
nec proprietates passionis & mortis Christi admittunt.

Nam si incruentum sacrificium cœnæ, aut (sicut Faber appella-  
t) sacrificium Missæ peccata viuorum & mortuorum expia-  
ret, non necesse fuisset, Christum postea pro peccatis nostris sanguin-  
nem

nem suum fundere, & acerbissimam mortem subire. At verò Christus non contentus fuit institutione cœnæ suæ, nec statim à cœnâ ad cœlos ascendit: sed prius patri obediens factus est, usq; ad ignominiosissimam mortem crucis.

Adde, quòd passio Christi non solum est id supplicium, quod in cruce sustinuit, sed passio eius pro nobis incepit in utero matris suæ, duravitq; per totam eius vitam, in fame, siti, aestu, gelu, contumelijs, persecutionibus, &c. ac præsertim in mensa vltimæ cœnæ grauissimum & arcanum dolorem cordis sensit, non tantum propter miserum Iudam, sed etiam propter reliquos discipulos, quos ea nocte turpissimè à se defecturos norat. Eadem hora sanguinem sudauit in monte Oliueti. Nec ita procul aberat tempus, quo in cruce passurus erat, vt noua promissione opus esset. Veruntamen mors eius in cruce rectè vocatur Passio Christi, quòd omnes ipsius passiones tunc completæ & consummatæ fuerint.

Cum igitur Christus, tanquàm vnicus noster Pontifex, iam tum in cœna opus redemptionis nostræ tractaret, loquitur presentibus verbis, de nullo alio sacrificio, quàm quòd ipse corpore suo & tota sua vita sacrificauerat, & post aliquot horas in cruce completurus erat. Sic Iohannes Baptistæ non ait: Ecce agnus Dei, qui TOLLET peccata mundi, sed: Ecce agnus Dei, qui TOLLIT, in presenti, Erat enim Christus ille ipse, qui hoc efficiebat. Et tamen longius interuallum intercessit à concione Ioannis, usq; ad sacrificium crucis, quàm à cœna Domini nostri Iesu Christi. Quòd si presentia verba Iohannis de futuris rebus, sacrificiũ constituerent, sequeretur, Iohannem sua concione Christum sacrificasse.

Adhæc, nõ modò sacrarum literarũ, sed aliarum etiam gentium & linguarũ mos est, propter certã impletionem, sæpè de rebus futuris loqui, quasi de pteritis. Vt Esa. 9. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Et Apo. 13. Agnus occisus est ab origine mundi. Eadem forma loquendi in vernacula nostra lingua vtimur, vt cū



PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

agroro dicimus. Si hoc feceris, iam conualuisti. vel pauperi: si hoc feceris, iam diues es. Itaq; qui probare uoluerit, Christum corpus & sanguinem suum in cœna sacrificasse, necesse habebit, firmiter argumenta adferre, quàm verba illa de presenti & futuro tempore

Non possum autem satis mirari, quare auctores sanctissimi Canonis, hæc verba: *QUOD PRO VOBIS TRADITUR*, in consecratione omiserint. Si enim sunt fundamentum & causa, quare corpus & sanguis Christi Deo patri in officio sanctæ Missæ quotidie offeratur, sicut Faber asserit, merito sancta illa non omittere oportebat. Cum verò omiserint, argumento est, quòd aut verba hæc tam non intellexerint de sacrificio cœnæ, quàm nos non intelligimus: aut si intellexerunt, sacrilegos esse necesse est, qui ecclesiam vnâ cum his, consolatione plenissimis verbis, etiam quotidiano Missæ sacrificio spoliarent: ex quibus fideles omnem suam consolationem (vt Faber alibi inquit) petere solent. Quando enim verbum non accedit ad elementum, non fit Sacramentum, sicut Augustinus loquitur.

Hæc verba, *HOC EST CORPUS MEVM*, sunt quidem forma consecrationis, & faciunt iuxta illorum sententiam corpus Christi. Vt autem hoc Sacramentum etiam sit sacrificium, ad id requiritur peculiare verbum. Nam mandatum, (*Hoc facite in mei commemorationem*) non facit ex Sacramento sacrificium, nisi antea à Christo ipso ordinatum sit in sacrificium.

En quàm pulchrè Faber & Canonista consentiunt? Sed de hac temeritate, qua Papistæ sacrosanctis verbis primæ institutionis pro suo arbitrio nunc addunt, nunc demunt, quicquid ipsis collibitum est, postea plura dicentur, quando errores Canonis recensebimus. Nunc audiemus, quid vterius Faber ex verbis institutionis, ad defendendum fictitium Missæ sacrificium detorqueat.

Tertio,

MONIIS EVANGELISTARVM. 7

Tertiò, Faber in hæc etiam verba curiosè inquirat: Hoc facite in mei commemorationem: ex quibus ita argumentatur. Quicquid Christus mandat, faciendum est. Christus in cæna, præterquam quòd discipulis corpus & sanguinem suum in escam & potum dedit, etiam cælesti suo patri corpus & sanguinem suum obtulit, idemq; in ecclesia posthàc offerri mandavit. Ergò & nobis idem faciendum est.

Germ fol. 71  
Latin. fol. 119

Et, facere significat sacrificare.

Christus iubet discipulos suos hoc facere.

Ergò iubet eos sacrificare, seu offerre.

Respondeo simpliciter. Mandato Christi obsequendum esse concedo. Pater enim ipse cælitus præcipit de filio suo: Hunc audite. Quòd autem Christus in cæna corpus & sanguinem suum Patri obtulerit, verba primæ institutionis nequaquam docent. Sed discipulis suis tantummodò consecratum panem & consecratum calicem ad edendum & bibendum dedit: quemadmodum suprà clarè ostendimus. Quapropter Christus hisce verbis (Hoc facite in mei commemorationem) discipulis suis nihil aliud mandavit, quàm quòd ipse cum illis in cæna fecit: Videlicet, vt Deo patri gratias agerent: ac corpus & sanguinem suum in pane & vino ederent atq; biberent: non, vt Deo patri pro viuis & defunctis offerrent. Verbum enim (Hoc facite) pendet ex tota actione cænae dominicæ: & respicit ea omnia, quæ præcedunt, & quæ sequuntur.

Nec ipsa orationis forma & lingua proprietatis patitur illa separari, aut ad alias res significandas transferri. Quid enim proxime illa verba (Hoc facite) præcedit? Accipite, edite: Accipite, bibite ex hoc omnes. Quid sequitur? In mei commemorationem.

Qui igitur discipulis dicit: Accipite, edite: Accipite, bibite ex hoc omnes, ille idem dicit: Hoc (videlicet, edere & bibere) facite. Ad quid? num ad sacrificium? minimè, sed in mei commemorationem.

PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

Eodem modo Paulus hæc verba non de sacrificio, sed antequam de communionem intelledit & explicuit, 1. Cor. 11. cum inquit: Hoc facite, quotiescunq; biberitis in mei commemorationem. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit. Hic Apostolus tam precedentia verba de edendo & bibendo, quàm sequentia de commemoratione mortis dominicæ, per verbum (hoc facite) coniungit & copulat: & interpretatur non de sacrificio, sed de communionem: & commemorationem interpretatur, non de secreta speculatione Canonis, sed de publica prædicatione & gratiarum actione pro tanto beneficio Christi, quod corpus suum pro nobis tradiderit, & sanguinem suum pro nobis effuderit. Et hæc tota actio est vera Eucharistia.

Germ fol. 71.  
Lat. 119.

Et quidem ipsemet Faber metuit, ne non satis firma sit particula (Hoc) ad defendendum sacrificium Missæ. Ideo mox ad aliud transiliens, arripit vnicum illud verbulum (FACITE) atq; ita ratiocinatur: Facere significat offerre, Christus iubet discipulos suos facere, Ergo iubet ipsos offerre.

Nonne hæc est mirabilis expositio? Cætera omnia primæ institutionis verba satis clara & manifesta sunt, nihilq; in illis est figuratum, ut audiimus. Quid ergo sibi vult Christus, quod hoc vnicum verbulum (Facite) in peregrino sensu usurpat? Respondet Faber: Facere haud raro in scriptis diuinis iuxta hebraicam dicendi consuetudinem pro offerre vel immolare accipitur. Itaq; & hoc loco mandatũ Christi: Hoc facite, significat: Hoc offerre. O insignem & tribus rubeis pileis dignum Doctorem. Hebraicè vult loqui, cum nondum sciat Germanicè. Libros vult conscribere, cum nondum didicerit genuina verba officinæ patris sui, hoc est, fabrilia. Quàm concinnum esset tale argumentũ? In officina Fabri ferrum aliquod candet, id nimirum quod in fornace mulcerur. Ergo omne ferrum candet. Ad eundem modũ Faber noster à particulari ducit argumentum

mentum ad vniuersale: Facere in scripturis sæpè significat offerre, Ergò in cœna domini idem significat. Sed nulla est ratio consequentia. Nam etiamsi Facere in scripturis millies significaret offerre, tamen Fabrum probare oportebit, quòd etiam hoc loco, in institutione cœna, solummodò offerre significet, & nullum alium sensum admittat. Hoc nisi probet, Missaticum suum sacrificium nunquam defendet.

Sed nequaquam ipsi concedimus, quòd verbum (FACERE) in vlla lingua per se significet idem quòd sacrificare, præterquam in peregrina Fabri lingua. Sin aliquandò verbum (FACERE) de sacrificio intelligitur, necesse est sacrificium præsupponi, de quo, tanquam de subiecto, verbum, FACERE, prædicetur: Vt in dicto Psalm. 65. quòd ipsemet allegat, Faciam tibi boues cum hircis, &c. Hic Prophetæ non loquitur de illis bobus aut hircis, qui in pascuis errabant, aut in stabulis inclusi erant. Quàm absurdum enim hoc esset? Sed loquitur de huiusmodi bobus & hircis, quos iuxta legem se Domino sacrificaturū vouerat, sicut ibidè ait: Introibo in domum tuam cum holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum. Et statim sequitur: Faciam tibi boues cum hircis.

Hoc loco verbum (FACIAM) per se natiuum & genuinum suum sensum retinet. Quia autem construitur cum his vocibus (Bobus & hircis, qui antea voto Prophetæ sacrificio destinati sunt) significat idem, quòd sacrificium illorum bouum & hircorum exoluere, ac promissum exequi, seu facere, qui enim boues & hircos mactat ad sacrificium, is facit aliquid. Et in hac significatione eruditi verbo, Facere, nunquam absolute, sed transitiuè (vt loquuntur Grammatici) seu in constructione cum alijs nominibus, vtuntur, vt: Facio rem diuinam, facio sacrum, facio verbum, facio solemnitate &c.

Inde

PRIMA CLASSIS, DE TESTI

Inde sequitur, quod verbum, *Facere*, ubicumq; absolute sine re-  
gimine aliorum nominum, & sine sacrificiorum circumstantijs po-  
nitur, nunquam sacrificare, sed semper & solum facere aliquid  
simplici & vulgato sensu significet.

Ita etiam iudicandum est de cæteris dictis, quæ ex *Leuitico*  
*libris Iudicum & Regum*, & ex *Luca* allegantur: in quibus om-  
nibus verbum, *Facere*, ad sacrificia illa refertur, quæ lege Dei  
mandata erant.

In verbis autem institutionis cœnæ dominicæ, verbum (*FACITE*) non habet adiunctam talem aliquam circumstantiam,  
quæ de sacrificio intelligi queat: sed solummodo de ijs rebus dicitur,  
quæ præcedunt: videlicet, de accipiendo, edendo & bibendo: &  
de ijs quæ sequuntur, videlicet, de commemoratione Christi. Pro-  
inde de sacrificio vel intelligi vel explicari non potest. Fabrum  
ergo aliud quippiam pro stabiliendo suo Missarico sacrificio commi-  
nisci necesse erit, cum verbum (*FACITE*) institutum  
ipsius nihil inuert.

Germ. fol. 91.  
Latin. 153.

Quartò, Verba hæc (*BIBITE EX HOC OMNIBUS*) Faber ait pertinere ad solos Apostolos, eorumq; succes-  
sores, hoc est, Sacerdotes, non item septuaginta duos discipulos, al-  
iosq; Laicos: quorum aliqui procul dubio adfuerunt, qui mensæ  
ministrarent. Hic denuò ad peregrinam suam linguam recurrit,  
quæ, *OMNIBUS*, significat Sacerdotes, & *MULTOS*,  
Laicos. Ratione autem tali nititur: quia Christus hisce verbis so-  
los duodecim Apostolos cum ipso discumbentes, Sacerdotes conse-  
craverit, præstita illis potestate, ut quòd ipse fecisset, etiam il-  
li facerent: quando non eis tantum, sed eorum quoq; successoribus  
& posteris dixerit: Hoc facite in mei commemorationem. Quibus  
verbis compellere voluerit publicos ecclesiæ ministros, potestatemq;  
fecerit Sacramentum hoc conficiendi, ac deinde iuxta ecclesiæ con-  
stitutionem idem alijs distribuendi ac dispensandi. Septuaginta  
autem

autem duos discipulos, aliosq̄ fideles hac vocula (Multis) comprehendendi: ideoq̄ Christum ad significandum hoc discrimen distincte dixisse: Qui pro vobis (Sacerdotibus) & pro multis (Laicis) effunditur.

Quid dicam? Cum Faber temerario ausu perspicua verba Christi malitiosè pervertere non dubitet, sperare non possum, ipsum responsioni meæ, quamvis ipsissima veritate conuincatur, cessurum. Itaq̄ non in Fabri, sed in pij lectoris gratiam demonstrabo, Christum integrum Sacramentum nec Laicis nec Sacerdotibus instituisse, sed solis discipulis suis, hoc esse, omnibus credentibus, qui se vnus Christi tanquam Domini & magistri sui discipulos esse agnoscunt & profitentur. Inquit enim, Bibite ex hoc omnes, hic enim est sanguis meus, qui pro vobis (O M N I B V S) effunditur. Si ergò sanguinem suum pro omnibus hominibus effudit, cur inuideret & præriperet ipsis calicem, ne ex illo omnes sanguinem suum biberent? Quod autem addit: Et pro multis: non discernit inter Sacerdotes & Laicos, sed inter electos verè credentes, & infideles seu incredulos.

Quamuis enim Christus, quantum in se esse, sanguinem suum pro omnibus hominibus effuderit, qui Iohanne teste, satis efficax esse, ad expianda non nostra tantum, sed etiam totius mundi peccata, tamen non omnes hoc beneficium vera fide accipiunt. Et quamuis pauci sint qui credant, & per angustam portam ad regnum Dei enituntur, si conferantur cum illis, qui lata & trita via ad damnationem ingrediuntur: tamen per se suo numero aestimati, multi sunt qui ab ortu & occasu solis venient, & accumbent in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob. Et de his multis loquitur Christus, siue illi sint Laici, siue sacerdotes.

Quòd si filius Dei sanguinem suum effudit tam pro multis, quàm pro omnibus, qui sumus nos, vt vtriusq̄ seu precium redemptionis, videlicet sanguinem Christi in calice ipsis præripiamus?

PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

Sin verò Sacerdotes ( quos septuaginta duorum discipulorum  
 successores esse tradunt ) hoc etiam numero comprehendere velint  
 tum laicis prorsus nihil de Sacramento remanebit, eripieturq; ipsi  
 tam altera quàm verag, species . Sic tandem Sacrificuli non calice  
 cem solum, sed integram etiam communionem, laicis ademptam  
 ad se solos rapiunt . Atq; hoc illud est, quod Sathan per organa  
 sua molitur .

Iam & hoc sequetur, si Christus in cœna cum solis Apostolis &  
 Sacerdotibus locutus sit, sequetur, inquam, omnes exhortationes  
 ad fidem, charitatem, patientiam, omnes promissiones de Spiritu  
 sancto, deniq; ardentissimas illas preces Christi, quas finit a cœna  
 pro vniuersa Ecclesia ad cœlestem suum patrem iudic, nemini nisi  
 solis duodecim Apostolis & Sacerdotibus in commodum & salute  
 rem cessisse . Quid ergò tandem misera plebecula de ultimo testa-  
 mento Domini nostri Iesu Christi, imò & de omnibus meritis pas-  
 sionis ac mortis suæ relinquetur?

Cum verò Christus postrema sua oratione, cum iam angores ani-  
 mi & dolores mortis subiturus esset, omnia sua bona Ecclesie suæ  
 legauerit applicaueritq;, dicens: Non pro eis ( Apostolis ) rogo tantum,  
 sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me,  
 siue laici, siue clerici sint: cumq; omnes exhortationes, cōsolationes,  
 & promissiones ibidem factæ, ad vniuersos Christianos ex æquo spe-  
 tent, corpusq; Christi pro omnibus traditum, ac sanguis pro omnium  
 hominum peccatis effusus sit: necessariò sequitur, hæc verba ( Bi-  
 bite ex hoc omnes ) non solis Missarijs, sed toti Ecclesie, quam tunc  
 temporis Apostoli representabant, mandata esse . Etenim in vlti-  
 ma cœna omnes communicarunt, & singuli pro se integrum Sac-  
 ramentum acceperunt, quemadmodum Christus ipsis & promisit  
 & exhibuit .

Insuper si in vltima cœna, vocabulum ( omnes ) significet Sacer-  
 dotes, cogitare poterunt laici, omnes Sacerdotes esse immundos.

Dicit

Dicit enim Christus in vltima cœna duodecim discipulis suis: Vos estis mundi, sed non omnes, hoc est, iuxta Fabri interpretationem, vos multi (laici) estis mundi, sed non omnes, id est, Sacerdotes non sunt mundi. Si hoc Lutherani facerent, Deus bone, qua ratione hoc tam grande crimen expiarent? certè coram venerabili presbyterio aut ad palinodiam adigerentur: aut clara voce protestari cogerentur, se sacro Ordini Clericorum nihil detractum velle. Nunc cum Christus, qui ipsa veritas est, hoc dicat, non mirum sit, si laici non tantum cogitent, verum etiam certissime statuunt, verissime omnes Sacerdotes immundos esse. Videte quæso vos Sacerdotes, quàm egregium patronum, Fabrum istum, nacti sitis.

## DE FRACTIONE PANIS

in Emaus, Luca, 24.

**Q**uintò. Postea quàm Faber ex verbis primæ institutionis accuratè per Evangelistas descriptis, euincere nequit, Missam suam esse sacrificium pro viuis & mortuis, & Sacramentum laicis sub vna specie distribui debere: conatur exemplo Christi comprobare, sub vna specie Sacramentum hoc accipi licere, quia ipsemet discipulis sub vna specie præbuerit. Adducit etiam testem Augustinum, qui panem fractum vocat Sacramentum panis. Verum nos, inuante Domino, hæc superioribus non minus friuola esse, ostendimus.

Germ fol. 84<sup>o</sup>  
Latin. fol. 142<sup>o</sup>

Lib. 3. cap. 25. de  
consensu Euange-  
listarum.

Sed priusquàm ad hoc ficulneum Fabri argumentum respondeam, lectorem admonitum volo, in qua significatione per totam hanc dissertationem vocabulo SPECIEI vrar: nimirum pro PARTE, vel vna vel vtraq, Sacramenti. Nequaquàm enim commentum Fabri et sodalitijs ipsius de Transsubstantiatione, et accidentibus sine subiecto, approbo: sed breuitatis tantum gratia, pro veteri more, nominabo species Sacramenti, quæ rectius appellantur partes. Principio



PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

igitur clarè dico, nuda exempla & facta Christi, non constituunt legem, quam nos sequi oporteat, sine peculiari ipsius mandato. Itaq; si maximè Christus panem in Emaus frangens, Sacramentum corporis sui sub vna specie ( nulla enim fit calicis mentio) præbuisset, tamen non essemus certi, an nobis imitari liceret, & vnam tantum speciem accipere. Imò si nihil nisi nudum exemplum Christi haberemus, quòd discipulis suis in cæna corpus & sanguinem suum dedisset, & non additum esset expressum mandatum (Hoc facite) quis obsæcro ausus fuisset hoc exemplum Christi imitari? Quare Faber ex nudo exemplo Christi in Emaus, vnam speciem Sacramenti euincere non poterit.

Porro neutiquàm concedimus panem fractum in Emaus, fuisse Sacramentum corporis Christi. Fuit enim tantum vulgaris panis mensa in diuersorio, quem Christus solenni more suo, singularibus verbis & gestibus benedixit, fregitq; actis Deo patri gratijs: ijsq; verbis ac gestibus manifestare se duobus discipulis voluit: quem admodum eodem die Mariæ Magdalena se in horto manifestauerat, per hanc vocem (Maria) Nam si panis ille corpus Christi esse debuit, propterea quòd benedixit, actisq; gratijs fregit, & distribuit, sicut aliàs in deserto multiplicandis quinq; & septem panibus fecit, debuerunt etiam verba hæc adijci: Accipite, edite, hoc est corpus meum, ut potè substantialia verba cæne: sicut inquit Augustinus: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Tolle verbum, nudum erit elementum, non Sacramentum.

Sin autem Faber immotus in hac sententia persistit, quòd panis ille fractus fuerit corpus Christi, non habita ratione omissorum verborum substantialium, tamen per Synecdochen in pane subintelliguntur. Sequetur ergò Christum ibidem calicem quoq; consecrasse, non habita ratione omissæ mentionis vini seu calicis: calix enim aequè ad substantiam perfecti Sacramenti requiritur, ac verba

ba ipsa substantialia: sicut Faber ipse fateatur, in Catholica Ecclesia sub vna duntaxat specie Sacramentum minimè confici uel consecrari debere, quò Christi institutioni fiat satis. Quòd si verba substantialia sub pane subintelligi possunt, quid impedit, quò minus etiam de calice subintelligi queat? Consequitur itaq; Christum duobus discipulis in Emaus non vnam duntaxat speciem, sed vtrinq; præbuisse.

Adhæc, nequaquam vel conijcere vel credere licet, imò auditu horrendum est, Christum post resurrectionem suam aliquid dixisse fecisse, suis ipsius verbis & factis, mortem eius antecessis, contrarium, id quod certè fecisset, si duobus discipulis Sacramentum sub vna præbisset specie. Constat enim ipsum ante mortem suam discipulis Sacramentum non tantum sub vtraq; specie præbuisse, sed vt idem ipsi quoq; facerent, mandasse.

Quemadmodum ergò, si quæ quis destruxit, ea rursus ædificet, transgressorem seipsum constituit, teste Paulo Gal. 3. ita, si quæ quis ædificauit, ea rursus destruat, pari modo seipsum transgressorem constituit. Si igitur Christus suam sanctionem, & vltimum Testamentum, quod etiam morte sua confirmauit, destruxit, certè seipsum transgressorem constituit, ac proinde non tantum peccator, verum etiam minister peccati factus est. Sed absit, vt dicamus Christum tam mutabilem esse, vt aliud ante, aliud post resurrectionem suam loquatur. Dicit enim ipse: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, &c. H. A. C., inquit, & non alia vel diuersa.

Quid sit autem, quòd Faber ex fractione panis in Emaus vnam duntaxat speciem Sacramenti eruere laborans, de sacrificio Missæ nullam prorsus mentionem faciat? cum tamen aliàs vehementer vrgere soleat, Christum in cæna discipulis suis corpus & sanguinem suum, non tantum edendum & bibendum dedisse, sed etiam Deo patri cælesti obrulisse, mandasseq;, vt & ipsi iuxta exemplum

## PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

ipſius idem offerrent . Quis fit ergò , quòd Chriſtus contra ſua ipſius dicta & facta , non etiam in Emaus ſe Deo patri offerat ? Reſpondet Faber : S. Auguſtinum de vna duntaxat ſpecie intellexiſſe , ac vocaſſe Sacramentum panis , ( de ſacrificio tacet ) proinde ſe quoſq; eodem modo intelligere .

Hoc eſt commune effugium & quaſi latebra , in quam Faber vulpino more ſe proripit , aut inſtar anguille elabitur , quoties premitur & in anguſtum cogitur . Cum enim ſemel apud ſe decreuerit , Miſſam oportere eſſe ſacrificium pro viuis & mortuis , & ſacramentum Laicis ſub vna tantum ſpecie præbendum eſſe , querit hinc inde prætextus aliquos , ex ſcriptis Prophetarum , Apoſtolorum & Euangelistarum . Si hæc non ſuccedit , ad Patres prouocat . Si ne hi quidem iuuare poſſunt , confugit ad Eccleſiam , cuius authoritas non minor ſit quàm ipſorum Apoſtolorum . Mox ad concilia , dein rursus ad ſcripturas , deniq; ad Iudeos , Ethnicos & Turcas ſeſe recipit , iuxta vulgatum prouerbium : Hæc non ſuſceſſit , alia aggrediamur via . Et : Quæ non profunt ſingula , multa iuuant . Deniq; nihil non tentat , tantum vt ſacrificium Miſſæ , & vnã ſpeciem Sacramenti defendat . Sed qua fide in Euangelistarum testimonijs verſatus eſt , eadem in cæteris quoſq; vititur , quemadmodum ſuis locis audiemus . Præſertim verò hoc in loco manifeſtam Diuo Auguſtino facit iniuriam ,

Auguſtinus enim nuſquàm vel dixit vel ſcripſit , Chriſtum duobus diſcipulis in Emaus Sacramentum ſub vna ſpecie præbuiſſe : multò minus inde extruxit præceptum , aut legem aliquam de vſu vnius duntaxat ſpeciei præſcripſit : rumpantur vt ilia Fabro . Appellat quidem panem fractum in Emaus , ſacramentum panis : ſed ( vt teſtantur omnes illius loci circumſtantie ) vititur vocabulo ſacramenti , in genere , pro Myſterio , & non in ſpecie , pro ſacramento noui Teſtamenti . Sicut Paulus virum & mul-

rem

rem, mysterium vel sacramentum appellat, Ephe. 5. Et Augustinus ipse paulo ante numerum captorum piscium, vocat Sacramentum numeri, unde spiritualis & moralis quidam sensus peti potest. Non autem videtur in specie, pro sacramento noui Testamenti, quod est testimonium & pignus gratiae & clementiae Dei erga nos. Idcirco tota illa Augustini oratio est Allegoria: ex qua tandem concludit, neminem posse Christum agnoscere, nisi in corpore eius inueniatur, hoc est, nisi in unitate sanctae & verè Catholicae Ecclesiae Christi, quae unum cum Christo corpus est, comprehendatur.

Porro quantum Allegoriae valeant, & quòd in controuersijs de religione nihil certi solidiq; confirmet, absq; verbo Dei, norunt apud nos, diuino beneficio etiam pueri in Scholis trivialis: suntq; hac in parte multò doctiores isto Augustano concionatore: qui ut ordinem diuinum euertat, articulos fidei super Allegorijs extruit. Quae ineptia ampliori refutatione indigna est.

Quòd verò Augustinus hoc loco nihil de vna specie Sacramenti loquatur, liquido ex alijs ipsius scriptis comprobari potest, in quibus palàm fatetur vtriusq; speciei usum sua aetate in Ecclesia Christi incorruptum integrumq; seruatum esse. Sed de his infra dicetur, in quarta Centuria.

Deniq; ut hoc Epilogi vice addam, faciat Faber & consingat quicquid velit, ex fractione panis in Emaus: defendat vel vnam vel vtramq; speciem: addat verbis illis, vel detrahat: dicat, vtrū malit, siue figuratam siue planā orationem esse: imò aduocet etiam sacras scripturas, testimonia Patrum, & quicquid tandem comminisci potest: nihil tamen haec omnia detrahent primae institutioni & mandato Christi: nec excusabunt temerariam testamenti à Christo conditi mutationem, ac sacrilegam violationem. Nos potius de verbis primae institutionis, verum usum cœnae discamus, in cœnaculo Ierosolymitano, non in diuersorio Emauntino.

TESTI-

PRIMA CLASSIS, DE TESTI  
TESTIMONIVM EX EVAN  
gelio D. Iohannis Cap. 6. quod  
Faber allegat. folio 89.

Germ fol. 80.  
Lat. fol. 135.

Germ. fol. 89.  
Lat. 150.

**C**ogit Faber Euangelistam Iohannem etiam inuitū & reu-  
tentē, patrocinari suā de vna specie opinioni. cap. 6. Loquitur, inquit, Christus ipse de vna specie. Iohānis 6. Si quis manduca-  
uerit ex hoc pane, viuet in aeternū. Et mox. Quamuis quorundam  
interpretatione isthac Christi verba de Sacramentali communio-  
ne, quorundam verò de spiritali communione accipiuntur, neu-  
trorum tamen sententia euinci & confirmari potest, Laicos &  
trāmque speciem capere debere, si modo velint corporis & sanguinis  
eius esse participes. Sub panis enim specie totus habetur Christus,  
non distractus, sed integer, eius caro, sanguis, anima, diuinitas. Sic  
rexit enim Christi verum, viuum, immortale, naturale corpus, nec  
id deinceps unquam moriturum. Cum igitur idem corpus à morte  
excitatum, reuerà, & substantialiter sub panis specie praesens sit,  
non potest ulli esse ambiguum, quin verum, viuum, immortale,  
naturale corpus sit, à quo certè non potest caro & sanguis abesse.  
Quae cum ita se habeant, in confesso est, Laicum alteram duntaxat  
panis sumentem speciem, non solum Christi carnem edere, sed  
etiam sanguinem bibere. Haec Faber.

Hic mihi primùm vide insigne, & dignum Doctore Fabro arti-  
ficiū. Ipsemet ambigit, an hoc caput de Sacramentali, an de spi-  
rituali communione accipiendum sit: & tamen certò concludit,  
Christum ibi de vna duntaxat specie loqui. Deinde refragatur ex-  
pressis verbis Christi. Quod enim Christus vocat, Bibere, id ipse  
iuxta peregrinam suam, hoc est, sibi propriam, alijs verò igno-  
tam, linguam vocat, Edere. Nisi ederitis (inquit Christus) car-  
nem, & biberitis sanguinem filij hominis, &c. Faber contra: Nisi

in specie panis ederitis ac biberitis corpus & sanguinem Christi, simul & coniunctim, &c.

Quia verò propria conscientia testimonio redarguitur, quòd hanc sententiam sacris scripturis euincere nequeat, conatur eam Philosophica & Physica ratione, ab animalis corporis proprietatibus desumpta, fulcire. Naturale seu animale corpus, inquit, nõ caret sanguine. Ergò laici sub specie panis simul & corpus & sanguinem Christi accipiunt.

Sed vt omnes intelligant, quàm absurdè Faber, de vna specie sacramenti etiam hoc loco garrat, initio ostendam, quatenus caput sextum Iohannis cum cœna dominica conueniat, & quatenus ab eadem discrepet. Postea quid de naturali concomitantia, qua fit, vt sanguis à corpore abesse nequeat, sentiendum sit, perspicuè docebo.

Quanquàm constat, Christum in sexto capite Iohannis sacramentam non instituisse: (neq; enim panem & vinum, in manus accipit, vt consecret, & discipulis descendum bibendumq; tradat: sed tantum de spiritali modo, quo credentes carnem & sanguinem eius edant atq; bibant, verèq; omnium suorum beneficiorum participes fieri queant, prolixè concionatur) tamen quia in cœna eadem caro & idem sanguis Christi cum pane & vino distribuuntur, de quibus Iohannis sexto, sine pane & vino, nudis verbis concionatur, sequitur eiusdem carnis & sanguinis vtroq; loco mentionem fieri. Neq; enim Christus duplicem, sed vnã tantum carnem & sanguinem habet, quæ de spiritu Sancto concepta, & ex Maria virgine nata sunt. Itaq; nullum est discrimen inter sextum caput Iohannis & cœnam Domini, quàm quod illic verbo tantum prædicatur, & sola fide spiritaliter accipitur, editur atq; bibitur: in cœna verò, vltra verbum etiam cum pane & vino ore tenus editur & bibitur. Quapropter etsi vera caro & sanguis Christi (de quibus Iohannis 6. dicitur) per se sola non constituent integrum sacramen-

PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

tum, tamen sunt præcipua sacramenti partes, sine quibus cæna esse non potest.

Præterea corporalis manducatio & potus corporis ac sanguinis Christi in pane & vino non profunt, nisi etiam fide spiritualiter manducetur & bibatur. Veruntamen neutra pars alteri repugnat, nec altera alteram tollit: imò potius altera alteram requirit & clarius explicat. Aeq. idem hoc loco fit, quod in minoribus & maioribus operibus legis fieri debet: iuxta præceptum Christi Matthæi 23. Hec oportuit facere, & illa non omittere.

Hoc pacto sextum caput Iohannis non in dubio relinquimus, an de sacramentali, an de spirituali communionem intelligendum sit: quemadmodum Faber facit: sed distinctè dicimus, Christum eo capite nihil de cæna docere, & tamen aliqua ratione etiam de cæna loqui. Id si obscurius alicui videatur, sic explicamus: Christum hoc capite non docere, quomodo corpus & sanguinem suum corporali ore edere ac bibere sub externis Symbolis debeamus: sed docere, quomodo eundem suum sanguinem & carnem (quæ in cæna cum pane & vino ore tenus eduntur ac bibuntur) etiam spiritualiter edere ac bibere possimus, per verbum videlicet, quod nobis de Christo predicatur.

Germ fol. 89.  
Latin fol. 150.

Ex quibus omnibus liquet, Fabrum per vim & iniuriam nobis tribuere, quod hoc capite simplicibus, minimeq. improbis laicis persuadere nitamur, utramq. speciem ab unoquoque Christiano sumi necessario oportere. Habemus enim (Deo sit gratia) aliud & firmitus fundamentum, de utraq. specie sacramenti, videlicet mandatum Christi in ultima cæna, de quo supra satis dictum est.

Contra Faber ex hoc capite unam speciem evincere non potest: quia Christus ibi nec de una nec de utraq. specie loquitur, sed tantum de veritate & virtute carnis ac sanguinis sui: quæ extra cænam sola fide eduntur & bibuntur spiritualiter, in cæna verò non tantum spiritualiter, sed etiam corporali ore, iuxta mandatū eius accipiuntur.

Porro

Porro de naturali concomitantia, qua in vero naturali corpore caro & sanguis inest, sciendum est, in hac disputatione de una vel utraq; specie, non hoc queri: An corpus Christi sine sanguine sit, nec ne: sed hoc queri: Quomodo Christus sanguinem suum ex corpore effuderit, eumq; nobis ex calice bibendum mandauerit. Vel, ut loquar apertius, quid Christus verbo suo instituerit atq; ordinauerit. & Num hominibus id prohibere liceat, quod Christus praecepit? sacrosancta enim coena est Arcanum Mysterium, non rationis, aut sensuum, sed fidei. merito autem omnes creaturae etiam contra suam naturam verbo ac ordinationi diuinæ cedere debebant. Quare, utrum naturale corpus necessario carnem & sanguinem requirat, nec ne, id relinquunt fideles Physicorum, Medicorum et Laniorum disputationibus: ipsi interim solis verbis Christi innituntur, & simpliciter credunt id quod Christus dixit, faciuntq; quod Christus mandat, quomodocunq; tandem cum ratione & naturali intellectu conueniat.

Iidem certissime statuunt, nulli creaturae fas potestatemq; esse, diuinam ordinationem mutandi. Mandat autem Christus celebrare memoriam, non eius sanguinis, quod in corpore eius mansit, sed eius, quod de corpore suo effusum est in remissionem peccatorum: & tam nobis mandat commemorationem sanguinis effusi, quam corporis traditi. Quomodo ergo Faber ex naturali concomitantia corporis et sanguinis, alteram duntaxat sacramenti speciem euincet?

Sed concedamus sanè, laicos calicem sanguinis Christi non debere accipere, propterea quod corpus non sit absq; sanguine, quid tum fiet de ipsis Sacerdotibus? Sequetur enim, etiam Sacerdotibus non necesse esse, ut ex calice bibant, cum iam antè sub specie panis, unam cum corpore etiam sanguinem Christi acceperint. Vbi ergo sacrificium, ubi priuata Missa manebit? Imò sequetur tandem, Christum calicem sanguinis sui, planè tanquam superuacaneum quiddam instituisse, qui neq; Sacerdotibus neq; laicis sit necessarius. Sed absit, ut de Christo tam horrenda dicamus vel audiamus,



PRIMA CLASSIS, DE TESTI-

quòd sub finem vitæ suæ tam inconsideratè inurilia & puerilia negocia tractauerit, sed de his postea latius dicitur. Nunc obiter tantum attingere oportuit, vt animaduertent omnes, Fabrum vnam speciem multò minus ex sexto capite Iohannis, quàm ex alijs Euangelistis, euincere posse.

Atq; vt testimonijs Euangelistarum tandem finem imponam, vides candide lector, quomodo Faber subinde ab alio ad aliud transliat. Primum enim dicit: panem ac vinum significare sacrificium. Deinde: corpus & sanguinem Christi in cena, perinde ac si iam in cruce penderet, esse sacrificium. Et: Quod pro vobis traditur & effunditur, significare sacrificium. Hoc facite, significare idem, quod sacrificare. In mei commemorationem, significare sacrificium. Omnes, denotare Sacerdotes. Pro multis, designare laicos. Quæ omnia certissimo documento sunt, Fabrum in sua sententia de Missatice sacrificio vehementer fluctuare atq; hæsitare. Si enim in vna saltem parte certus esset de sua sententia, vtriq; in ea persisteret, nec ita curiosè & anxie vndequaq; imbecillia subsidia emendicaret. Nos verò ex his solis verbis, ( Edite, Bibite, Facite in mei commemorationem ) de sacrosancta cæna nostra certissimi sumus, neq; vllis alijs testimonijs indigemus.

Ita ex sanctis Euangelistis, quorum indubitata est auctoritas, fide digna & infallibilia testimonia nobis suppetunt, quæ conuincunt verè, Euangelicam Missam, non esse inasinòp seu propitiatorium sacrificium pro viujs & defunctis: sed solummodo esse communionem corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sub veraq; specie: & recordationem seu commemorationem vnicj & perpetui sacrificij, semel pro nobis in cruce peracti.

# Secundi ordinis testi-

monia ex scriptis Aposto-  
lorum.



**POST** EVANGELISTAS,  
qui tam dicta quàm facta Christi accura-  
tè, & ad salutem nostram sufficienter de-  
scripserunt, Apostoli præcipui testes  
sunt Domini nostri Iesu Christi. Eritis,  
inquit ipse, mihi testes, non solum Ieroso-  
lymis, verùm etiam in vniuersa Iudæa,  
Samariaq; deniq; vsq; ad extrema terræ.

*Act. 1. Et Paulus Ephe. 2. Superstructi super fundamentum Apo-  
stolorum ac Prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Chri-  
sto, &c.*

Quare nunc secundo loco ex Apostolicis scriptis & gestis de-  
monstrabo, Apostolos æquè ac Euangelistas cœnam domini non  
iudicasse esse sacrificium pro viuis & mortuis, sed solam commu-  
nionem corporis ac sanguinis eius, & commemorationem vnicui  
sacrificij in cruce oblati. Faber enim impudentissimo mendacio &  
atrocii iniuria Apostolos onerat, dum non veretur affirmare, ipsos  
Apostolos Missam celebrasse. Et alibi: Missam, qualis hodie à  
Monachis & Sacrificulis celebratur, ab Apostolis acceptam, &  
huc usq; summo studio asseruatam esse. Quis autem non videt, Fa-  
brum auctoritate Apostolorum, quæ apud omnes pios summa esse  
debet, ad defensionem sacrificij sui Missatici, & vniuis speciei, ne-  
quissimè abuti?

Primum autem dicam de testimonio Pauli, duobus locis de cœ-  
na Domini scribentis, videlicet 1. Cor. 10. & 11. Sed de vnicui sacri-

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

ficio corporis & sanguinis Christi loquitur ad Hebræos 9. & 10. Ad  
d; immolatione agni paschalis 1. Corinb. 5.

Ex quibus locis Faber colligit, Christum corpus & sanguinem  
suum Deo patri bis obrulisse: in cruce nimirum, cruento modo: in  
cæna autem sub specie panis ac vini, incruento modo.

Iuxta priorem modum non amplius offerri Christum, sed iuxta  
posteriorem quotidie in Liturgia Missæ offerri. Nefarie autem con-  
natur Paulum tanquam erroris sui testem, in falsum testimonium  
adducere: cum Paulus tale quid, quale Faber ipsi affingit, nun-  
quam scripserit, imò ne in animum quidem suum induxerit.

Germ fol 92.

Lat. fol. 155.

Nam quod ad locum 1. Corinb. 11. attinet, de institutione &  
usu cænae, ingenue fateatur Faber, Corinthios vtraq; specie usus esse.  
Fortassis, inquit, Pauli iussu & constitutione adducti sunt: præser-  
tim cum ea communicandi ratio ex seipsa nihil veq; vitij neq; re-  
prehensivis habeat, sed Christi exemplo in cæna aditico consimili-  
sit.

Germ. fol. 83.

Lat. 141.

Alibi tamen ait, Paulum priorem suam constitutionem apud  
Corinthios mutasse: modum verò & rationem mutationis exponere  
nequit. Equis, inquit, certum efficere queat, quæ nam Aposto-  
lus apud Corinthios constituerit, cum ipse se cætera, ubi venerit  
dispositurum scribat? Quibus verbis tacite innuit, Paulum sub v-  
traq; specie sacramentû Sacerdotibus, laicis verò sub altera duntaxat  
disposuisse. sicut sæpe gloriatur, vnâ speciem inde ab Apostolorum  
temporibus in usu fuisse. Sed mox quasi oblitus sui ipsius, in-  
quit, Ecclesiam (cuius non minorem quàm Apostolorû authorita-  
tem esse asserit) gravibus de causis constitutionem Pauli de calice

Germ. fol. 81.

Latin. fol. 137.

Germ. fol. 91.

Laun. 53.

mutasse. Tandem fateatur, non certò sciri, quo tempore generalis  
usus vnius speciei receptus sit. Rursus tamen pro cerebri sui ver-  
igine, ait, Christum vnâ speciem pro laicis instituisse, hisce verbis  
(pro multis) de quo supra in prima classe Evangelistarû diximus.

Credo ego Fabrum præ nimia sapientia, qua præditus vidri  
cepit, prorsus insanire, ita, ut quid loquatur, prorsus nesciat. Pri-  
mum enim Christum ipsum vnâ speciem pro laicis instituisse di-  
cit.

cit. Deinde hanc constitutionem ad Paulum refert. Tertiò, catholica Ecclesie tribuit. Quarto ex instinctu Spiritus sancti profectam asseuerat. Tandem verò, vnde orta sit, nesciri fatetur: quòd quidem ego præ cæteris omnibus amplector. Quomodo enim reliqua inter se consentiant, non video.

Veruntamen ne in hac ignorantia diem suum claudat, pro eaq; culpa diuturnis Purgatorij cruciatibus satisfacere cogatur, breuiter ipsi demonstrabo, vnde vnius speciei vsus primã suam originem trahat: videlicet, neq; à Christo, neq; à Paulo, neq; à verè Catholica ecclesia, sed à damnata Manichæorum heresi: quemadmodum sexta & seprima Centurijs sufficienter probabimus. Nunc id tantum docebo, Paulum prædicto capite, vnã speciem, & sacrificium Missæ, non tantum non cum Fabro approbare, sed vehementius etiam apertiusq; oppugnare, quàm ab vllò Euangelista factum sit.

Nam quod Euangelista simplicibus & vulgaribus verbis de institutione cænæ scribunt, id Paulus tanquam Paraphrastes pluribus verbis dilucidius explicat: ita tamen, vt illis non aduersetur, sed pulcherrimè ipsis consentiat.

Christum hisce verbis (Bib. 1. ex hoc omnes) non Sacerdotibus tantum, sed & laicis vsus calicis mandasse, prolixè à nobis in prima classe, quæ Euangelistarũ fuit, ostensum est. Hanc nostram sententiã Paulus sua illa Epistola nõ parũ confirmat, dum eam omnibus Corinthijs inscribit. Liquet aut, nõ omnes Corinthios Sacerdotes, sed plerosq; laicos fuisse. Qualis enim hæc esset cõfusio in ecclesia, si omnes prophetarent (1. Cor. 14.) id est, si omnes essent Sacerdotes?

Quòd verò Faber obijcit, Corinthios quidè sub vtraq; specie cõmunicasse, alias aut Ecclesias, vt quæ Ierosolymis fuerit, vna specie contentas fuisse, id eiusdè epistolæ inscriptio refellit. Non enim soli ecclesie Corinthiacæ inscribitur, sed & omnibus (inqt Paulus) qui inuocãt nomẽ Domini nostri Iesu Christi, in quouis loco, vel suo, vel nostro. Consecranẽ, ergo est, Paulũ in omnibus locis, in quibus prædicauit, cænã domini eodem modo tradisse, quo Corinthijs tradiderat, nimirum vt ab ipso Domino acceperat.

Cæterum

Germ. fol 83

Lat. fol. 140

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

Germ.fol. 83.  
Latin.fol. 140.  
Germ.fol. 93.  
Latin. 156.

Ceterum quod Faber ait, Christum Ecclesie suae liberum reliquisse, statuere ac discernere, qua forma & qua ratione sacramentum accipiendum sit, sicut & Apostolis liberam hac de re decernendi potestatem reliquerit: id manifestè Paulus confutat, vrgent antoperè institutionem non suam, non Ecclesie, non Angeli cuiuspiam, sed ipsius Domini nostri Iesu Christi. Liberè enim & ingenuè fateatur, se hac in re nihil suo arbitrio, vel propria (ut loquuntur) intentione facere. Verba eius hæc sunt. Ego enim (Apostolus & doctor gentium) accepi à Domino (non à me ipso, aut alio quodam Apostolo, aut Angelo aliquo) quod & tradidi vobis (& alijs quoq.) Quemadmodum enim Apostolis non licet vllum Sacramentum instituire, ita nec, quod à Christo institutum est, mutare ipsis licet. Eriam si, inquit, nos (Apostoli) aut Angelus à cælo prædicauerit vobis Euangelium, præter id quod prædicauimus vobis, anathema sit. Gal. 1.

Vnde apparet, Fabrum mutationem cæna dominicæ à Christo institutæ, Diuo Paulo & Catholicæ ecclesie impudenter & falsò adscribere, quò sub tam specioso prætextu recentem errorem de usu vnius speciei contegere excusareq; valeat.

Et quanquam Paulus non vratur his verbis (Bibite ex hoc omnes) sicut Matthæus, tamen alijs compluribus verbis significat, sanguinem Christi seorsim & peculiariter ex calice bibendum esse. Cum enim Dominus discipulis calicem præbuerit, Paulus sexies mentionem facit Bibendi, cuius Matthæus & Lucas nullam prorsus mentionem faciunt. Solus Marcus semel inquit: Biberuntq; ex illo omnes.

Primò inquit: Hoc facite quotiescunq; biberitis. Secundo: Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis. Tertio: Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne. Quarto: Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat.

lo edat, & de poculo illo bibat. Quinto: Qui edit & bibit indignè.  
Sexto: Iudicium sibi ipsi edit & bibit &c.

Vides Paulum semper cum esu panis etiam potum calicis coniungere, huncq; non minus quàm illum exigere. Quod & ex ipsa vi vocabuli (similiter) elucescit: videlicet Christum simili modo calicem instituisse, quo panem. In his enim verbis omnibus non iubemur bibere ex pane, sed ex calice domini. Itaq; non minus calix bibendus quàm panis edendus est.

Hæc sunt planè fulminea tela & tonitrua contra vnâ speciem sacramenti. Quaquàm enim corpus Christi in pane non sit absq; sanguine, sicut Faber acutissimè pro Laniorum subtili sententia pugnat, tamen sanguis in corpore Christi non bibi, aut ex pane exuzi, sed tantummodo edi posset.

Quare firmum hoc permanet, sanguinem seorsim bibendum esse, qui ex corpore Christi effusus est, & à pane ac corpore separatim, & distinctè, ex calice bibendus datur.

Iam & commune illud seu vniuersale vocabulum (HOMO) clarè confirmat, laicos æquè ac Sacerdotes ex calice sanguinem Christi bibere debere. Probet, inquit, homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat, &c. An verò laici non tam hominum nomine numeroq; censentur, quàm Sacerdotes? num Faber illos inter bestias relegabit? Certè iuxta Fabri sententiam, aut laici non sunt homines, aut Paulus dicere debuit: Sacerdos probet seipsum. Sicut autem omnis homo probare seipsum iubetur, ita & omnis homo pro seipso panem hunc edere, & ex poculo hoc bibere, sine omni personarum discrimine, iubetur. Hæc de vna & vtraq; specie sacramenti ex vndecimo capite prioris ad Corinthios epistola dixisse sufficiat.

Sicut autem Faber vnâ speciem sacramenti ex Paulinis verbis euincere nequit: ita quoq; & quidem multò minus, ex vndecimo ad Corinthios capite, sacrificium suum Missaticum euincere

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

non poterit. Primum enim Paulus inquit: Itaq; fratres mei, cum conuenitis, &c. Quibus verbis docet, venerabile sacramentum cœnæ in publico Ecclesiæ cœtu celebrandum esse. vnde & Synaxis, id est, congregatio & communio appellatur.

Secundo. Paulus Corinthios vehementer obiurgat, quòd cœnam à Christo omnibus hominibus sine personarum respectu institutam, in priuatas & singulares cœnas conuerterint: quas nequaquam cœnæ dominicæ appellatione dignatur. Ita enim inquit: Igitur cum conuenitis in eundem locum, non licet dominicam cœnam edere, quòd vnus quisq; propriam cœnam occupat in edendo. Et iterum, commoto animo loquens: Quid, inquit, dicam vobis? Laudabo vos? In hoc non laudo: videlicet, quòd ex communi cœnâ, priuata conuiuia instruatis.

Quid putas dicturum fuisse, si conspexisset aliquem, filium Dei de nouo offerre, & sacramentum pro se solo tantum edere & bibere, spectatoribus verò aut nihil aut dimidiam tantum partem præbere, id quod in Missa fieri solet? Profecò non tantum non laudasset, sed etiam diro & horribili anathemate in æternum deuouisset, tanquam eos, qui de cœna dominica aliter & sentirent & docerent, quam à Christo & Paulo accepissent. Gal. 1.

Tertio, inquit Paulus: Quoriescunq; comederitis panem hunc & de poculo hoc biberitis, mortem domini annuntiabitis, donec venerit: paraphrasi quadam explicans illa Euangelistæ verba: Hoc facite in mei commemorationem: docensq; non priuatam quandam & occultam speculationem Canonis, sed publicam mortis dominicæ annunciationem in cœna adhibendam atq; exercendam esse.

Mortem enim domini annuntiare, est primum quidem historiam ipsam prædicare, quomodo & quando Christus passus, mortuus, & resuscitatus sit: deinde causas etiam exponere passionis ac mortis ipsius, Videlicet, quòd propter peccata nostra (pro quibus nulla alia creatura neq; in cœlis neq; in terris satisfacere poterat)

terat) humanam naturam assumpserit, factusq; sit patri obediens usq; ad mortem, ac seipsum victimam pro expiandis diluendisq; peccatis nostris obrulerit,

Ad hanc primam causam, quæ à nostra culpa, miseria & damnatione pendet, accedit & altera, ingens nimirum & ineffabilis misericordia & philantropia Dei, qua motus Deus proprio filio suo non pepercit, sed illum pro nobis in mortem tradidit. Hæc omnia publicè annuncianda esse Paulus monet, quotiescunq; panem hunc comedamus, & de poculo hoc bibamus.

Nam cum passio Christi in verbis cœnæ tanquàm compendio quodam breuissimo compræhensa sit, ac fructus mortis eius hisce verbis nobis proponatur atq; offeratur, tum etiam omnibus & singulis vera fide amplectentibus confirmetur & quasi obsegnetur: certè optimo iure, quotiescunq; panem hunc comedimus, & de poculo hoc bibimus, verba illa solenniter in vernacula & notâ lingua annunciari, decantari, lectitari, & proclamari deniq; conuenit.

Summoperè enim necessarium est, si modò dignè hoc sacramentum uti ac frui velimus, ex ipsius Christi verbis cognoscere addiscereq; quid sit, & ad quid prosit. Nec satis est sacramentum ob oculos positum intueri, sed vis quoq; & efficacia ex verbis prælectis intelligenda est.

Hoc in Canone non fit. Ibi enim nulla est commemoratio vocalis, aut publica manifestaq; prædicatio: sed solummodo interior quedam & secreta cogitatio de morte Christi. Et quanquàm Misarius verba institutionis murmuret, tamen aut nimis submissum murmur est, ut vel seipsum vix exaudiat: aut si clarius pronunciet, in peregrina lingua loquitur, quam vix centesimus in vulgo intelligit. Et ut maxime etiam passionem prædicarent, calicem verò plebi non distribuerent, (quemadmodum Paulus mandat) non tamen hæc verè esset cœna dominica.



## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

Faber in suo libro maiorem in modum amplificat dignitatem consecrati altaris lapidei, cereorum ardentium, imaginis crucifixi, vestium Missalium, aliarumq; ceremoniarum, quarum in Missa usus est. Ac tribuit illis hanc vim, quod in cordibus credentium memoriam sanctissimæ passionis dominicæ refrigent & redintegrant. Prolixè etiam ac tragicè propemodum conqueritur, hostes Missæ nervos omnes in hoc intendere, ut per abolitionem huiusmodi ceremoniarum, memoria passionis Christi penitus obliterata, & ex animis perpetua obliuione exclusa, homines in amore Dei refrigescant, atq; per ingratitude[m] tabefacti flammis vrantur sempiternis. Tam ineptè nugator iste deblaterat de ijs rebus, quæ tantum inania, muta & mortua spectacula sunt, iuxta illud Psalmi 115. Os habent, & non loquuntur &c.

Atq; viuua verba Domini (in quibus memoriam mortis sue reposuit, quæq; vim & vigorem cœnæ tribuunt, utpotè omnes dominicæ passionis fructus nobis offerentia) maliciôsè Missarij non solum occultant submissò & peregrino quodam murmure, sed cauent etiam atq; interdiciunt, ne laici, quid agatur, sciant, & eadem verba imitentur. An non, hoc est, cœnam Domini nefariè peruertere, & innocentes homines temerarijs calumnijs conuictijsq; proscindere?

Faber, & Fabri similes, quantum in ipsis est, solennem commemorationem mortis Christi prorsus tollunt: & interim pueriles nugas atq; aniles fabulas comminiscuntur, de quibus nec Christus nec Apostoli quicquàm præceperunt. Ac deinde instar Æsopi lupi ouem iniuste accusantis, innocentibus hominibus id tribuunt, quod sua ipsorum culpa accidit: qui sanè omnium hypocritarum mos esse consuevit. Contra quos Paulus grauissimam sententiam pronuncians: Cogitas, inquit, autem hoc, ò homo, qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quod tu suffugies iudicium Dei? Scimus quod iudicium Dei est secundum veritatem aduersus eos qui talia agunt. Rom. 2.

Cum

Cum ergò semper mors Domini annunciari publiceq; prædica-  
ri debeat, quotiescunq; panis ille editur, & poculum illud bibitur,  
qua quaeforatione cæna dominica priuata et taciturna Missa erit,  
in qua nihil horum fieri videmus? Quapropter vndecimum hoc  
epistolæ prioris ad Corinthios caput, tam Missaticum sacrificium,  
quàm vnâ sacramenti speciem, ceu tonitru quodam percellit atq;  
prostermit.

Quartò. Faber ex eodem vndecimo capite hæc verba arripit:  
Cætera cum venero, disponam. Vnde colligit, Paulum suam de cœ-  
na constitutionem non diutius seruandam præcipere, quàm vsq;  
ad suum aduentum, tum se aliter dispositurum. Hunc verò sensum  
verba Pauli omnesq; circumstantiæ adiectæ non admittunt.

Iniuriò enim disertè testatur, non esse suam traditionem seu or-  
dinationem. Accepi, inquit, à domino. Ideoq; tanquàm diuinam  
constitutionem tanta seueritate ipsis commendat, ne vnquàm mu-  
retur. Ad hæc proficitur, si vel ipse vel Angelus de cælo aliter  
doceat, hunc anathemati subiacere. Neq; verò ait, id quod ipsis tra-  
didit, durare tantum debere vsq; ad suum aduentum: sed vult  
firmum fixumq; esse, & perpetuò obseruari vsq; ad aduentum Do-  
mini: Mortem, inquit, Domini annunciabitis, donec venerit. Hoc  
est, vsq; ad extremum diem ratam immotamq; cõseruabitis hanc,  
non meam, sed Domini traditionem.

Imò verò Paulus seipsum explicat, cum inquit: Cætera dispo-  
nam. Non, id quod antè disposui, mutabo. Loquitur enim de alijs  
quibusdam externis & honestis ordinationibus, quæ ad hoc pro-  
sunt, vt cæna dominica iuxta institutionem Christi maiori reue-  
rentia, gratiarũ actione, celebrationeq; diuini nominis peragatur:  
vtq; in alijs etiam cæribus Ecclesiæ omnia decenter & secundum  
ordinem fiant, orando, psallendo, concionando, sacramenta admini-  
strando, &c. 1. Cor. 14.

Ex quibus omnibus conficitur, Paulum in substantialibus &

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

necessarijs partibus cœnæ dominicæ, extra, ultra, vel contra institutionem Christi, ac suum ipsius mandatum Corinthijs alijsq̃ Ecclesijs traditum, nihil immutasse. Quare Faber neq̃ unam speciem, neq̃ Missaticum sacrificium ex hoc undecimo capite evinces. Nos verò plurimum inde confirmamur, quod usus cœnæ dominicæ, qualis nostra ætate in reformatis Ecclesijs celebratur, cum prima institutione Christi, & traditione Pauli apertissime conveniat.

In reliquis autem verbis Paulus planè cum Evangelistis consentit, nisi quòd pro verbo (Datur) quo Lucas utitur, posuit verbum (Frangitur) sed tamen est una eademq̃ sententia: potest enim intelligi de distributione panis consecrati, quemadmodum scriptura verbo frangendi frequentur utitur, ut: Frange esurienti panem tuum. Vel potest intelligi de passione & morte Christi, quæ corpus suum vulneribus fractum, ipsaq̃ morte dissolutum fuit, de quo supra etiam nonnihil in prima classe Evangelistarum diximus.

## DE PRÆPARATIONE ad cœnam dominicam.

Germ. fol. 92. 93.  
Lat. fol. 155. 156.

**P**ostremo, ut Faber prorsus nihil puri in undecimo capite prioris ad Corinthios relinqueret, inquit, Pauli verba nullum præceptum adiunctum habere de edendo ac bibendo: sed institutionem quandam esse & informationem, ut se quisq̃ componere ac præparare debeat, ne panem hunc edat & calicem bibat in sui perniciem ac damnationem: proinde prohibitionis potius quàm præceptionis loco & accipienda & interpretanda esse. Deinde alibi dicit, dignam præparationem ad cœnam consistere in sacramentali pœnitentiâ, contritione nimirum, sufficienti confessione coram legitimo Sacerdote, ac dignis fructibus pœnitentiæ, lacrymis, orationibus, ieiunijs, vigilijs, eleemosynis. Absq̃ hac præeunte præparatione

Germ. fol. 98.  
Latin. fol. 166.

paratione sacramentum accipere, detestabilem esse temeritatem.

Affentior, Paulum Corinthijs nobisq; omnibus nullam legem, proprie loquendo, tulisse, qua ad accipiendum sacramentum vel sub vna vel sub vtraq; specie adstringamur. Neq; enim agit hic suum proprium negocium, sed quicquid de cæna loquitur & scribit, id ex mandato Domini facit. Præceptum iam antea à Christo datum est, & palam edat, antequàm Paulus hæc verba loquatur. Aut putasne non amplius esse verbum Domini, si ex Pauli, mandatum Christi referentis, ore procedat? An nescis Christum ipsum in Paulo loqui? 2. Cor. 13. & qui Apostolos audiat, Christum ipsum audire? Luc. 10. Verbum Domini manet in æternum, quicumq; tandem is sit, qui id loquitur, siue Deus ipse, siue Angelus, siue homo.

Sed vide mihi egregium acumen Fabri. Fatetur ipse, præparationem ad sacramentum esse necessariam, esum autem ac potum sacramenti necessarium non esse. O sapientem architectum, qui sumptum omnem in instrumenta, & (ut ita loquar) præparamenta impendit: interim verò ædificij, cui illa subseruiunt, obliuiscitur. Quæso, quorsum mihi præparatione opus erit, si sacramentum non comedam atq; bibam? Num contemplanor tantum alios sacrificantes, vescentes, includentes, circumgestantes, adorantes? Minime verò. Inquit enim Paulus: Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Mendacium ergò, & horrenda blasphemia est, quòd Faber ait, verba Pauli (de pane illo edas, & de poculo illo bibas) non habere adiunctum præceptum, sed magis esse prohibitionem: quasi dicat Paulus: Nemo panem illum comedat, & de poculo illo bibat, nisi seipsum antea præparauerit.

Neq; id verum est, quòd Faber ait, verba Pauli tantum esse narrationem historicam eorum, quæ Christus discipulis suis in cæna dixerit atq; fecerit. Imò sunt verissimum præceptum,

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

ex ipso præcepto Christi repetitum atq; renouatum, Corinthijs nobisq; omnibus à Paulo iniunctum: quemadmodum ipsemet inquit: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Sed de hoc infra dicemus plura in sexta Centuria, vbi de consecratione agemus. Nunc examinabimus ficticiam Fabri præparationem, quomodo hæc cum doctrina Pauli congruat.

Nam quod Paulus à communicantibus exigit, vt prius se ipsos probent atq; præparent, quò tantum sacramentum dignè accipiant, rectissimè ab ipso dicitur. Neq; enim decet sanctum dare canibus, & præciosissimam illam corporis & sanguinis Christi margaritam suisuibus proijcere: sed omnino decet nos magna religione ac veneratione sacramentum illud accipere.

Si enim Dominus Deus Israëlitas ad audiendam promulgationem legis noluit admittere, nisi prius certis quibusdam ceremonijs mundati atq; sanctificati essent, Exodi 19. Quantò magis conuenit, neminem ad sacrosanctam cœnam dominicam admitti, nisi prius se ipsum accuratè probauerit, iudicauerit, ac corpus domini dijudicauerit?

Lex enim iram & mortem operatur: in cœna verò annuntiatur suauissimum Euangelion, per quod nobis gratia & vita communicatur. Lex peccatum abundare facit: Euangelion verò remissionem & ablationem peccatorum annunciat, quæ beneficia nobis in cœna dispensantur. Quare ergò impij & immundi à cœna non arceantur, cum ne ad audiendam quidem legem admissi fuerint? Ergò inter nos & aduersarios non hoc controuertitur, an ad cœnam digna præparatio requiratur: sed quibus in rebus digna illa præparatio consistat?

Hic exclamat Faber, dignam præparationem consistere in contritione, confessione, & dignis fructibus pœnitentiæ. Sanè si de ea pœnitentiâ loqueretur, de qua Christus, Iohannes Baptista, Apostoli & Prophetæ concionantur, benè inter nos conueniret. Cum  
verò

verò alibi sacramentalem pœnitentiam appellet, iubeatq; pœnitentem, omnia peccata sua, quorum recordari possit, post diligentem conscientie explorationem ac inuestigationem, legitimo Sacerdoti confiteri: suo se iudicio prodit, quòd de Papiistica pœnitentia loquatur: de qua Magister sententiarum, & post illum Scholastici Lib. 4. Distinct. 16. Doctores, Canonistæ, Summistæ & Sententiarij grandia volumina consuerunt. Ea verò pœnitentia, tam abesse ut sit digna ad sacramentum preparatio, ut vix ulli homines indigniores reperiantur, quàm illi ipsi, qui se durissimè ista pœnitentia affligunt, macerant & excruciant.

Etenim de prima parte pœnitentiae, quam cõtritionem vocant, vno ore scribunt, quòd sit dolor voluntarius, & quasi quaedam cordis contritio, propter admissa peccata: & quòd hæc contritio operetur remissionem peccatorum, tam pro culpa quàm pro pœna. Impossibile autem esse, hominem ex antèactæ vitæ exploratione talem pœnitentiam & dolorem haurire, ut ex animo peccata sua serio quadam displicentia improbet atq; damnet. Quemadmodum enim nullus vnquam suam ipsius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam: ita quoq; nullus hominum ex viribus liberi arbitrij de concupiscentijs carnis, hoc esse, peccatis suis, serio dolere, ac sibi ipsi displicere, seu abominari sua dilecta potest.

Accedit hùc, quòd quaedam peccata eiusmodi sint, ut quò diligentius de illis cogites, eò maiori delectatione afficiaris, vehementiori q; impetu ad perpetranda e a præceptis feraris: cuiusmodi sunt, inuidia, vindictæ cupiditas, flammæ libidinum, auaritia, & complura alia. Et ut maximè Deus ipse hominem in agnitionem peccatorum ducat, & per prædicationem Legis, aut horrenda diuine vitæ exempla, metum ac horrorem animis incutiat: tamen ista contritio peccata non delet, sed operatur tantum iram Dei, ac ipsam deniq; mortem. Nota sunt exempla Caini, Abitophelis, Iudæ, qui in agnitione peccatorum suorum miserrimè desperarunt.

F Quare

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

Quare homo aut nullum verum dolorem de admisis peccatis sentit: aut si sentit, ea est contritionis illius natura atq; conditio, ut peccatum non deleat, sed potius augeat atq; exaggeret. Quomodo ergo ista à Papistis conficta contritio pars esse poterit digna & idonea preparationis ad legitimum usum cœnae dominicæ?

Similiter & auricularis confessio, preparationis illius, quæ verè digna dici queat, pars esse non potest. Nulla enim literulis aut ne minimus quidem apex, de confessione ista in toto Testamento, tam nouo quàm veteri inuenitur. Caret præcepto, caret promissione, caret exemplo sacrarum scripturarum. Quicquid enim pro defensione istius ex diuinis literis producunt, aut verius protrahunt, id vel nuda figura est, vel pertinet ad eam confessionem, quæ priuatim & secretò in solius Dei sinum effunditur: vel publicè coram Ecclesia, aut coram proximo reconciliationis causa fieri solet. Quæ de re, ut breuitati studeamus, nunc non est dicendi locus.

Adhæc, ne minima quidem eius mentio fit in scriptis Patrum, eorum, qui ætatem Gregorij Magni antecesserunt. Nam quæ Augustino tribuuntur, in libro de vera & falsâ poenitentia, pura putanda sunt figmenta. Hunc enim non esse Augustini illius Hipponensis Episcopi, diligens & oculus lector Augustini facile iudicare potest. Nam ut cætera taceam, liber iste Augustinum quodam in loco nominatim allegat: quod fieri profectò citra magnam absurditatem non posset, si verè ipsius Augustini esset.

Quid? quòd ipse Augustinus manifestè contrarium, & auriculari confessioni ceu ex diametro oppositum, asseuerat? Sic enim scribit.

Augustinus lib. 10. Confessionum. cap. 3.

Quid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas.

meas, quasi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienã: desidiosum ad corrigendam suam.

Relinquitur ergo, librum istum ab aliquo alio, cui & ipsi nomen fuerit Augustino, conscriptum esse: aut certè, vt plus ponderis haberet, falso titulo Aurelij Augustini venditatum, & Ecclesie obtrusum fuisse.

Non minus etiam alij veteres scriptores Ecclesie auricularem confessionem apertè impugnant.

### Cyprianus Sermone 5. de lapsis.

Mandant aliquid fieri? Sed si scripta non sunt in Domini lege, quæ mandant, autè est, vt sciamus illos de Deo impetrasse, quod postulant, tunc facere, quod mandant. Neq. enim statim videri potest de diuina maiestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum, &c. Si ergo in re conscientiarum prohibemur addere legi, & facere quod nobis rectum videtur, certè occultorum confessio, vt ut videatur esse utilis, tamen periculosum est nostro iudicio aquiescere sine scripturis.

### Chrysofomus in epistola ad Hebræos cap. vndecimo.

Non tantum nos peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq. vt te apud alios accuses: sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Reuela domino viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata: apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia.

### Idem in Psal. 50.

Si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in



## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

*anima tua. Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobrat: dicitur Deo, qui curat ea. Hac enim si non dixeris, ignorat ea Deus? Numquid à te vult ea cognoscere? Cum faciebas ea. prastò erat: Cum admitteres, nouerat. Peccare non erubisti, & confiteri erubescis? dicitur in hac vita, vt in illa requiem habeas.*

Ambrosius super Lucam, & citatur de pœnitentia Dist. 1. cap. Petrus.

*Petrus doluit & fleuit, quia, vt homo, errauit. Non inuenio quid dixerit: scio quòd fleuit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego.*

Fasciculus temporum, de Gregorio Magno, circa Annum Domini. 600.

*Hic liber testatur, Gregorium constituisse, ne Confessionarij verbo, nutu, indicioue alio prodant, & patefaciant ea, quæ in confessione ipsis concedita commissaq; fuerint. Vnde elucescit, confessionem auricularem, quamuis nec à Christo neq; Apostolis instituta, nec in primitiua Ecclesia vnquam usurpata fuerit, tamen peruetustam esse, ac vnà cum alijs erroribus mox in Ecclesiam irrepsisse, adeò, vt Gregorium sancire oportuerit, ne Confessionarij arcana ex confessione effutiant. Quamuis autem confessio auricularis iam satis longo tempore in usu fuerit: tamen temporibus Gratiani ( qui vixit circa annum Domini 1160. ) liberam adhuc, & nullo præcepto sancitam fuisse, patet ex his ipsius verbis.*

De pœnitentia, Dist. 1. Cap. Quamuis plenitudo. Paragrapho. Quibus  
authoritatibus.

*Quibus authoritatibus vel quibuslibet rationum firmamentis  
vtraq;*

utraq; sententia satisfactionis & confessionis inuitatur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem harum potius adhaerendum sit, lectoris iudicio reseruatur: utraq; enim fautores habet sapientes & religiosos viros.

Idem fatetur Petrus Lombardus, quorundam opinione frater Gratiani, in libro Sententiarum 4. Dist. 17. quòd confessio, qualis sua etate in vsu erat, Apostolorum temporibus nondum in vsu fuerit.

Glossa Decreti clarè dicit, confessionem auricularem non mandato diuino, neq; à Christo institutam esse, sed ab hominibus, hoc est, ab ecclesia. Et occidentalibus quidem necessariam esse confessionem, non autem orientalibus. Verba hæc sunt.

### In Glossa de Pœnit. Dist. 5. cap. in Pœnitentia autem.

Melius dicitur eam (confessionem) institutam fuisse à quadam vniuersalis Ecclesie traditione, potius quàm ex noui vel veteris Testamenti auctoritate. Et traditio Ecclesie obligatoria est et præceptum. Ergò necessaria est confessio in mortalibus apud nos: apud Græcos non, quia non emanauit ad illos talis traditio.

Quo tempore autem confessio auricularis sub pœna peccati mortalis primùm instituta ac præcepta sit, inuenimus.

### In Decretalibus Innocentij 3. Canone, Omnis vtriusq; sexus.

In concilio Lateranensi, quòd celebratum est anno Domini 1215. ita constitutum est. Omnis vtriusq; sexus omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltè semel in anno, proprio Sacerdoti, vel alieno: prius tamen à proprio Sacerdote impetrata ve-

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

nia, quoniam aliter ille ipsum non potest absolueret vel ligare. Et suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistia sacramentum, nisi proprius Sacerdos ab eius perceptione duxerit abstinendum, &c. Quo loco Abbas Panormitanus etiam fatetur, auricularem confessionem non diuinum, sed humanum præceptum esse.

Et si autem confessio auricularis humanum commentum est: tamen Scholastici asserunt, eam esse necessariam ad salutem: ac propter ipsam remitti peccata, tum quod ad culpam tum quod ad penam attinet. Quæ omnia expresso verbo Domini repugnant. **Matth. 15.** Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et Romano, 3. clarè affirmat Paulus: Arbitramur fide iustificari hominem absq; operibus legis. Quòd si peccata operibus legis deleri nõ possunt, quæ à Deo ipso præcepta sunt: quantò minus per opera humanarum traditionum delebuntur?

Deinde hanc etiam ob causam confessio auricularis remissionem peccatorum non meretur, quia iugum & onus grauisimum est, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus. Quis enim vnquam libera & prompta voluntate peccata sua (de quibus coram se ipso erubescit) alteri, cuius fides & integritas incognita est, per apertam confessionem reuelauit?

Diligit autem Dominus hilarem datorem 2. Cor. 9. & requirit populum spontaneum, offerentem in ornatu sacro Psal. 110. Ergo auricularis confessio, utpotè coactum & extortum opus, Domino minimè probatur, nec remissionem peccatorum meretur.

Adhæc, is, qui confitetur, nunquam cerò nouit, an omnia peccata sua sufficienter explorauerit, & coram Sacerdote plenè ac citra defectum enumerauerit. Apertè enim Paulus fatetur, se peccatum non cognouisse. Et Dauid Psal. 19. orat. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Quibus verbis uterq; testatur occultis

occulta peccata, hoc est, ea, quæ à nobis non reputantur peccata, esse omnium maxima. Cum ergò confitentes nunquam de exploratione atq; enumeratione peccatorum certi esse queant, quomodo auricularis confessio fiet ex fide? Porro quicquid ex fide non est, peccatum est. Rom. 14. Quis autem peccata peccatis expiari posse dicet.

Volens præterea ingentia pericula, quæ plerisq; ex confessione auriculari creata sunt: ita vt multi de corporibus, fortunis, existimatione nominis, animarum deniq; salute periclitati fuerint. Taceo, quòd ansam peccandi magis præbuit, quàm præcidit confessio. Taceo quæstum & tyrannicam carnificinam, quam turba Sacrificulorum ista confessione exercuit. Quæ omnia certissimo documento sunt, noluisse Christum Ecclesiam suam hoc onere premi: siquidem iugum suum commodum, & onus suum leue esse profiteretur, Matthæi. 11. Et Paulus ubiq; in suis epistolis studiosè cauet, ne cuiusquàm conscientia laqueus iniiciatur.

Quòd autem Sophistæ dicunt, confessionem auricularem à culpa & pœna redimere, non ex opere operato, sed virtute absolutionis, quæ tanquam substantialis pars confessioni adiungatur, & confitenti annuncietur: manifestus error est. Quanquàm enim certum sit ministerio clauium dispensari nobis remissionem peccatorum, eandemq; si vera fide accipiamus, certò nobis contingere: non tamen fundauit absolutionem Christus, in peccatorum enumeratione, aut alijs operibus humanis, sed in se ipso, & gratuita sua promissione, quæ sola fide, non operibus, accipi apprehendiq; potest. Quantum ergò Papistæ confessioni auriculari tribuunt in expiandis peccatis, tantum merito Christi, & virtuti verbi ipsius ac fidei nostræ detrahunt.

Ex quibus omnibus satis constare pio lectori arbitror, confessionem auricularem, qualem Faber cum suo contubernio exigit,

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI

non esse preceptum diuinum, sed merum commentum humanum: ac proinde non esse meritum expiationis peccatorum, imò potius multorum peccatorum scaturiginem, & olim extitisse, atq; etiamnum hodie, vbi adhuc retinetur, existere. Eat nunc, qui volet, & partem dignæ præparationis ad cœnam dominicam esse asserat.

In tertia parte pœnitentiæ, quam falsò sacramentalem vocarunt, ita modum omnem excefferunt Pontificij, vt ipsosmet temeritatis suæ nunc pudeat. Itaq; non amplius appellant satisfactionem pro peccatis, sed dignos fructus pœnitentiæ: qua transformatione nominis etiam Faber noster vtitur. Quia verò alibi illis ipsi fructibus pœnitentiæ tribuit meritum remissionis peccatorum, non dubium est, quin per fructus pœnitentiæ intelligat veterem illam Papiisticam satisfactionem, de qua sic docent: In peccato spectari duo, culpam & pœnam. Culpam remitti per absolutionem Sacerdotis: pro pœna autem satisfaciendum esse, aut in hac vita, aut in purgatorio: idq; vel proprijs actionibus & passionibus, quas ipsi pœnitentiæ nomine confessarius imponat, vel aliorum hominum bonis operibus, quæ post obitum eius pro redemptione animæ ipsius fiant, &c. Hæc verò doctrina supra modum impia & blasphemata, totiq; sacra scriptura contraria est: qua falsò stabiliuntur merita humanorum operum, & fides in Iesum Christum, vnicum redemptorem nostrum, adulteratur.

Nulla enim alia satisfactio est pro peccatis nostris, quàm innocens sanguis Iesu Christi, pro peccatis nostris effusus. Ipse est, inquit Iohannes, propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. s. Ioan. 2.

Neq; verò Filius Dei, ministerio clauium, ex dimidia tantum parte peccata remittit, quemadmodum homines interdum vindictæ cupidi aiunt, se quidem aduersarijs suis ignoscere, sed non omnino tamen condonare: aut quemadmodum Papa & Prælati in absolutione certos quosdam casus; quos reseruos vocant, sibi solis

solis integros reseruant, quos vulgaribus Confessarijs non licet remittere. Filius autem Dei plene perfecteq; omnia peccata remittit: quam remissionem sola fide, sine omnibus tam precedentibus quam sequentibus operibus, accipimus. Non ex operibus, inquit Paulus, quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Tit. 3.

Nullus item Propheta, Apostolus vel Euangelista, hoc discrimen in remittendis peccatis fecit. quod quidem manifestius est, quàm ut confirmatione egeat. Vana ergo est & peruersa distinctio, qua Monachi in remissione peccatorum pœnam à culpa separant.

Ceterum, quòd Adam, David, alijq; sancti Dei homines etiam post remissionem peccatorum suam crucem & afflictiones sustinent, id non fit pœnæ aut satisfactionis nomine pro peccatis preteritis, sed in castigationem & disciplinam ipsorum, quam veteris Græci vocant: & in exemplum aliorum, ut maiori cura peccata vitent, quæ tantoperè Deo displicere intelligunt. Etenim sicut afflictiones præsentis temporis non sunt pares, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos, Rom. 8. ita etiam non sunt pares ad satisfaciendum pro minimo peccato, nedum ad commutandam æternam pœnam in temporariam. Omnes enim pœnæ peccatorum Christo incubuerunt, ut nos pacem haberemus: quemadmodum inquit Esaias: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Esa. 53. At cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. 1. Cor. 11.

Vnde ergò orta est opinio de humana satisfactione pro peccatis? Fatemur sanè, vocabulum satisfactionis in Scriptis Patrum & Decretis Conciliorum inueniri, sed longè alio sensu, quàm qualem Scholastici affinxerunt. Patres enim tam seueram disciplinam in Ecclesia exercuerunt, ut ijs, qui tempore persecutionis nomen Christi non confitebantur, aut aliud quoddam crimen, off. ridiculum

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

*Ecclesie præbens, & excommunicatione dignum, perpetraverant, non solum interiorem pœnitentiam cordis & animi mandarent, per quam coram Deo gratiam & remissionem peccatorum consequerentur: sed exteriorem quoq;, qua resipiscantiam & emendationem vitæ etiam coram Ecclesia, quam malo exemplo offenderant, publicè testarentur. De qua censura Ecclesia, Paulus nonnulla scribit, 1. Cor. 5. & 6.*

### Hieronymus super Matthæum cap. 16.

*Fateor longè aliam esse rationem de criminum pœnitentia, & satisfactione, de qua Ecclesia, quando læsionem accepit & offensa est, publicè suum iudicium interponit, indicens satisfactionem publicam & grauiorem, vt innotescat omnibus, verè pœnitere, qui prompto animo suscipiant, quicquid Ecclesia decreuerit.*

### Augustinus ad Seleucianum Epistola 108.

*Agunt etiam homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & postea reconciliari mereantur. sicut agunt in omnibus Ecclesijs illi, qui propriè pœnitentes appellantur.*

*Nec desunt Ecclesiasticarum historiarum exempla.*

### Sozomenus Tripart. Hist. lib. 9. cap. 35.

*Quoniam omninò non peccare, diuinum & ultra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem & pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcipit, qui verò confiteri refugiant, maius peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi*

puli delicta pandantur, &c. Ita Sidonium & Celerinum Nouatianos, errorem suum publicè coram Ecclesia confessos, & magna cum satisfactione ad Ecclesiam, quam aliquandiu deseruerant, reuersos esse, testatur Eusebius lib. 6. Ecclesiastica historię. cap. 43.

Idem Eusebius Lib. 5. cap. 28. scribit, Natalem indutum sacco, ac conspersum cinere, yberrimisq; lachrymis profusis, ante pedes non clericorum modo, sed & plebis procidisse, publiceq; errorem suū recantasse: obtestatumq; esse Ecclesiam per misericordem Christū, vt in communionem reciperetur, quod tandem etiam impetravit.

Hic fuit primus, & Apostolicis scriptis simillimus, satisfactionis mos, à vetustis Patribus obseruatus: videlicet, vt pœnitentes publicè coram Ecclesia peccata sua confiterentur, pro ijsq; satisfacerēt Ecclesie: sibi ipsis in disciplinam, & in admonitionem cautionemq; aliorum: hoc est, vt exemplum alios à peccando detereret, & ipsi quoq; deinceps in officio cōtinerentur? Neq; enim tum certa opera satisfactoria, nec certa & constituta tempora pœnitentię præscribebantur: sicut aperte docet Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 64. In actione, inquit, pœnitentię, vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam considerāda est mensura temporis quàm doloris.

Postea successu temporis Patres hunc morem satisfactionis aliquatenus mutarunt, vt peccator, qui scandalum præbuisset, non coram tota ecclesia, sed coram solo Sacerdote, tanquā publico ministro Ecclesie peccatum suum confiteretur. Sic enim scribit Sozomenus lib. 9. tripartitę hist. cap. 35. Et ad hoc institutū, antiqui Pontifices, Presbyterum aliquem, cuius conuersatio esset optima, tenacem etiam secretorum & prudentem, deputarunt, ad quem, qui deliquerant, accedentes, quę gessissent, confitebantur. At ille secundum vniuscuiusq; culpam, indicebat & multam. Quod etiam hæcenus diligenter in Occident alibus seruatur ecclesijs, & maxime apud Romam, vbi etiam locus est certus pœnitentium. St ant



## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

enim rei, & velut in lamentationibus constitui. Cum enim sacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes cum gemitu & lamentatione seipsos in terram prosternunt, &c.

Mox Patres etiam certa quedam penitentiae opera & ieiunia constituerunt, vocaruntq; satisfactiones canonicas. Certos item gradus obseruarunt, quo ordine penitentes recipiendi essent. Sicut videre licet in Concilij Niceni canone 11. & Ancyran canone. 4.

Tandem ita creuit numerus satisfactionum canonicarum, tantaq; moles grauisimorum onerum adiecta est, vt nullus hominum seruare potuerit: sicut fieri necesse est, vbi leges dominium sibi sumunt in conscientias. Hinc inceperunt satisfactiones pecunia redimi: constituebatur certum precium pro vnus septimana vel vnus diei ieiunio, quo nihil praeter panem & aquam sumere licebat. Hinc ortae sunt Indulgentiae, quae initio mihilerant aliud, quam remissio, vel mitigatio, vel commutatio harum satisfactionum penitentialium.

Quamuis igitur mos ille humano commento excogitatus sit: (nusquam enim in scripturis praeceptum est, Sacerdoti secreta confitendum esse, aut seruanda esse certa opera ac tempora satisfactionis) tamen hanc ob causam fuit tolerabilis, quod nemo coactus fuit omnia peccata sua per omnes circumstantias confiteri, aut per opera satisfactionis pro peccatis suis Deo satisfacere: sed tantum manifesta & notoria peccata Christiana libertate confessi, & his signis penitentiae veram penitentiam ac conuersionem coram Ecclesia testati sunt. Et ad hunc finem mos ille referebatur, vt peccatores lucrifcerent Christo, & reconciliarentur ecclesiae: omnesq; admonerentur, mores diligentius regendos esse.

De hac priuata Confessione & publica satisfactione scribit Cyprianus in sermone de lapsis, ad hunc modum: Confiteantur singuli, quae so vos fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio

missio peccatorum facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.

De eadē tūm confessione, tūm satisfactione, intelligendā sunt adhortationes Origenis in Psal. 57. & in Levit. cap. 2. Homelia 2. neminem debere erubescere confiteri Sacerdoti peccata sua. Ibi enim exhortatur tantūm ad confessionem: neminem verò cogit, multò minus enumerationem singulorum peccatorum exigit. Nec vult, ut cuilibet hæc confessio fiat: sed iubet diligenter attendere, cui confiteri peccata tua velis, & prius medicum (anima) probare. Itaq; Origenes Papistica confessioni & satisfactioni non patrocinatur.

Et huius satisfactionis hodie vestigia quadam supersunt in facinorosis & alijs publicis peccatoribus, qui Sacerdoti quidem peccata sua secretò confitentur, sed tamen publicè coram Ecclesia, signa quaedam reatus & penitentiæ gestare coguntur.

Habes iam piè Lector, quo sensu Patres inde ab Apostolorum temporibus vsq; ad Gregorium Magnum, vocabulo satisfactionis vsifuerint.

Vbi autem semel à norma diuini verbi ad hominum placita deflexum est, subinde alius error ex alio texitur, donec tandem prorsus à vera via aberretur. Ita & hoc loco accidit. Cum enim Patres non in sincera & illibata sententia, de vna, vera & Christiana penitentiā permanserint, sed externam etiam disciplinam conseruare voluerint, tandem eò res deuenit, ut penitentiā, quæ erat Ecclesiastici fori disciplina, transferretur in forum conscientia: adiungereturq; falsa & impia persuasio, quòd contritione, confessione & satisfactione peccata coram Deo expiarentur. Id quod Gratianus & Longobardus vnà cum Canonistis & Sententiarijs, clarè testantur, astipulantibus etiam Summistis & libris Confessionalibus. Is verò tam horrendus error est, ut nullis gemitibus, lachrymis & querelis satis deplorari queat.

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

Falsò igitur Papistici Scriptores erroribus suis prætexunt nomina sanctorum Patrum, & abutuntur testimonijs ipsorum de pœnitentia, contritione, confessione & satisfactione: vt vulgo obiecta hac quasi nebula persuadeant sacramentalem pœnitentiam cum omnibus suis partibus ab Apostolis & primitiua Ecclesia originem suam trahere.

Vtuntur quidem veteres Patres & Pontificij Scriptores iisdem propemodum verbis, de pœnitentia: res verò ipsæ & sententiæ sub verbis latentes longius distant quàm cælum à terra. Nam Papistica pœnitentia, contritione, confessione & satisfactione constans, toti antiquitati ignota fuit, vt potè de qua ante quadringentos annos nullum adhuc in Ecclesia præceptum extiterit, sicut superius demonstratum est.

Sed vt ad responsonem contra Fabrum institutam reuertat, vides candide lector, Fabrum, dum Romanam Ecclesiam, eiusq; Doctores ab omni errore eximit, per sacramentalem pœnitentiam, nullam aliã intelligere, quàm illam ipsam, qua iam circiter quadringentos annos à Sophistis tradita est. Quæ, quia cum omnibus suis partibus sacræ Scripturæ & Ecclesiasticis authoribus repugnat, non potest esse digna præparatio ad hoc sacramentum. Itaq; Faber summa iniuria Paulum afficit, detorquens adhortationem ipsius de probatione & præparatione ad Papisticæ pœnitentiæ partes, cõtritionem, confessionem & satisfactionem. Vides item, quàm mala fide sacras Scripturas tractet, & (Sicut Paulus loquitur) verbum veritatis non rectè secet. Nam quæ Paulus nunquam ne cogitauit quidem, ea ipsi tribuit: videlicet, quòd per præparationem intellexerit Papisticam pœnitentiam. quæ verò ex mandato Domini tradidit nobis, videlicet, vt de pane hoc edamus, & de poculo hoc bibamus, ea prorsus negat. Quid ergò mercedis loco Fabrum à Paulo accepturum putas? quid? sane Diuus Petrus iam dudum sententiam pronunciauit: Indocti, inquit, parumq; firmi detorquent

torquent nonnulla in Epistolis Pauli, sicut & ceteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem 2. Pet. 3. Det Dominus Fabro meliorem mentem.

Satis superq̄ iam comprobauimus, Paulum in vndecimo capite prioris ad Corinthios, nihil de Papisica pœnitentia partibus locutum esse: nec in his constare dignam ad sacramentum præparationem: imò verò, cum humana opera merit aq̄ stabiliant, ad summam contumeliam cœnæ Dominica vergere.

Porro cum inquit Faber, detestabilem esse temeritatem, sacramentum hoc absq̄ cordis contritione, dolore & pœnitentia accipere, libenter in meliorem partem interpretaremur, quod nimirum vulgi securitatem improbet, qua sæpenumerò illotis (vt dicitur) manibus pedibusq̄, ad sacrosanctum hoc Mysterium, multi porcorum verus quàm hominum instar proruant. Sed quia in proximè precedentibus verbis ait, omnes, qui posthabuit a spectatq̄ Ecclesie Catholica (Romanam intelligens) pura traditione, sine pœnitentia sineq̄ confessione cœnam Domini accipiant, iudicium sibi manducare: manifestum est, Fabrum eos intelligere, qui sacramentalem suam pœnitentiam negligant, hoc est, omnes Augustanæ Confessioni adiunctos. Hos ergo duorum criminum insimulat. Primum, quòd detestabili temeritate Papisicam contritionem, confessionem & satisfactionem omittant. Deinde, quòd cœnam Dominicam absq̄ cordis contritione, dolore & pœnitentia accipiant. Vtrobq̄ autem impudenter illos calumniatur.

Primum enim, quia sacramentalis pœnitentia, quam Scholastici cum suis partibus confinxerunt, purum putum humani cerebri commentum est, eòq̄ tendit, vt extenuato Christi merito nos ipsos proprijs meritis dignos tanto sacramento efficiamus: non temeritatis, sed obedientiæ & diuinæ vocationis est, eam omittere, & Innocentij canonem: Omnis veriusq̄, sexus, &c. impugnare. oportet

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

oportet enim Deo magis obedire quàm hominibus Act. 5. Contra autem Fabri ac Pontificiæ turbæ temeritas seriò detestanda est, quòd à verbo Dei ad humanas traditiones deficiunt, hominesq; innocentes temerarijs præiudicijs damnant. Scimus autem, quòd iudicium Dei est secundum veritatem, aduersus eos, qui talia agunt, de quibus alios iudicant. Rom. 2.

## DE DIGNA PRÆPARATIONE ad sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum,

**D**emonstraturus, Fabrum innocentes homines temerarijs præiudicijs damnare, initiò breuiter exponam, qua præparatione cæna Dominica in nostris ecclesijs celebretur.

In Augustana Confessione Principes & Status, quos Protestantes vocant, confitentur, non solere admitti ad cænam, nisi antea exploratos & absolutos. Similiter in rituum ecclesiasticorum ordinatione, Ducatus Vuirtembergici, (vt cæteras præteream) constitutum est, vt Pastores ecclesiarum peccatores summa diligentia & seueritate, ad veram & Christiano homine dignam pœnitentiam cohortentur, non in publicis tantum concionibus, sed in priuato etiam examine: ac præsertim cænam Dominicam celebraturi, ecclesiam solenniter hortentur, vt singuli, qui ad cænam accessuri sint, prius se pastori explorandos sistant, suumq; dolorem de admissis peccatis testentur, & Euangelicam absolutionem petant, promittantq; se posthac à peccatis destituros, ac piè, sobriè, & iustè victuros esse. Prætereà etiam Pastor ecclesiæ concionem de vero huius Sacramenti vsu habeat. Tum deinde singulos priuatim exploret, pœnitentes absoluat, impœnitentibus cænam dominicam denegat.

In qua verborum formula, cuius ministro Ecclesie argumentum & quasi summa praescribitur, eorum, in quibus vere digna ad sacramentum preparatio consistat. Videlicet, quod soli peccatores ad hoc sacramentum admittendi sint. Quemadmodum enim Christus venit, vocare peccatores ad penitentiam, non iustos. Matth. 9. ita caenam suam propter solos peccatores, non propter iustos instituit. Nam hoc sibi voluit verba prima institutionis: Quod pro vobis traditur. Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Et rursus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo vos. Matth. 11. Quis autem vehementius laborat, aut grauiori onere premitur, quam peccatores?

Non autem intelligit Christus securos peccatores, qui perfricta fronte, omniq; pudore exuto, praefracte, in peccatis perseverant: neq; etiam hypocritas, qui in externa quidem conuersatione inculpate viuunt, verum non agnoscunt interiorem & agnatam prauitatem, sed in se confidunt, quod sint iusti, qualis erat Pharisaeus ille. Luc. 18. Horum duorum generum peccatores non habent partem in Regno Dei. Prohibet etiam Paulus, cum eiusmodi ne cibum quidem vulgarem capiendum esse, qui cum frater & Christianus appellari velit, manifestis criminibus & flagitijs sese polluat. 1. Cor. 5. Quanto minus panem vitae cum eiusmodi hominibus edere conuenit?

Sed loquitur Christus de ijs peccatoribus, qui vel crassa & enormia sua delicta agnoscunt & deplorant: vel qui, etsi externam suam vitam honeste & inculpate agunt, nihilominus tamen agnoscunt, quod in se, hoc est, in carne sua, non habitet bonum, quod omnis homo sit mendax, & quod ipsorum bona opera coram tribunali Dei consistere non valeant: proinde iram diuinam, & mortem peccati stipendium, metuentes, iustitiam esuriunt atq; sitiunt: ac credunt sibi per Christum peccata clementer condonari: petuntq; Spiritum sanctum, cuius ductu & auxilio in posterum a sceleribus absti-

H neant,

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

neant, donec tandem in futuro seculo perfectam sanctitatem ad-  
piscantur. Tales, inquam, peccatores soli, dignè & idoneè ad hanc  
sacratissimam cœnam preparati sunt.

Nostra enim sanctitas atq; dignitas non in hoc consistit, quod  
nos peccato careamus, aut præcepta Dei impleamus, aut Iudæorū  
more multum sacrificemus, aut vitam pulcherrimis virtutibus  
condecoratam, honestorum Ethnicorum exemplo, agamus, aut nos  
ipso meritorijs operibus ( qui Papistarum error est ) dignos &  
sanctos efficiamus. Nec consistit in perfecto proposito non amplius  
peccandi. Qui enim stat, videat ne cadat. Et *ixviii*, id est, suffici-  
entia seu idoneitas nostra ex Deo est, non ex nobis. Sic Petrum non  
inuabat præclarum suum propositum: turpissimè enim eadem nocte  
lapsus est, qua sacramentum acceperat.

Præterea, neq; in hoc consistit nostra sanctitas, si exemplum Chri-  
sti imitantes, nos inuicem diligamus, quemadmodum ipse dilexit  
nos. Etsi enim omnia iam enumerata opera, per se bona sint, ac suo  
etiam tempore, suoq; modo vtilia atq; necessaria: tamen sunt merè  
legalia opera, quæ nostris viribus perfectè impleri nequeunt: neq; in  
hunc finem à Deo destinata sunt, vt per ea coram Deo iusti & sal-  
ui fieremus: id quod sacræ literæ vbiq; restantur.

Verum in eo consistit sanctitas atq; dignitas nostra, quod pecca-  
ta nobis remittuntur, & imputatur iustitia Iesu Christi. Quem-  
admodum & Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus  
imputauit iusticiam absq; operibus. Beati quorum remissæ sunt  
iniquitates, & quorum obiecta sunt peccata. Beatus vir cui non  
imputauit Dominus peccatum: sed imputauit ei iustitiam Christi.  
Rom. 4. Qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiæq; & sanctifi-  
catio & redemptio i. Corinth. 1. Sic Communicantes apud nos  
non peccata tantum sua, sed fidem etiam suam in Iesum Christum  
constitentur.

confitentur. Et vicissim ministri Ecclesiae non erudiunt & instruunt eos solo externo sacramento, sed multò magis verbo, & imprimis absolutione, qua de peccatorum remissione certiores fiunt, & conscientiae solatium atq; robur accipiunt.

Ad hanc præparationem hortatur nos Paulus, dicens: Probet autem homo seipsum, Et: Si nos ipsos dijudicemus, &c. Vult enim ut nos ipsos probè excutiamus, & imbecillitatem indignitatemq; nostram ex animo agnoscamus: ita fiet, ut plurima & horrenda peccata in nobis inueniamus, propter quæ non solum his cælestibus epulis, sed & pane quotidiano, imò & solis, quo fruimur, aspectu, ipsiusq; terræ, qua ingredimur, sustentaculo indigni sumus.

Deinde verò, etiam corpus Domini, quod in cæna nobis porrigitur, dijudicare debemus, & ab alijs vulgaribus cibis secernere. Quod tum fiet, si considerabimus, quare verbum caro factum & mortuum sit, quem in usum cæna hæc instituta sit, & quomodo cibum hunc dignè capere, eiusq; fructum in nobis, non contemnendum, sentire possimus. Ibi tum mox elucescet, dignitatem non in nobis accipientibus, sed in Christo instituyente, offerente, & exhibente consistere. Nam quò quis se ipsum digniorem indicat, eò est indignior. Christus autem solus est, qui nos ex mera gratia & misericordia per verbum suum dignos indicat & efficit. Quod enim indigni ab ipso accipimus, id nunquam digni accipiemus. Itaq; Paulus non inquit: Quisquis **INDIGNUS EST**. Sed, Quisquis **INDIGNE EDIT ET BIBIT**. Aliud enim est, dignum vel indignum aliqua re esse: aliud, dignè vel indignè re quapiam uti. Exempli gratia. In Ecclesiasticis & politicis officijs, multi, si ipsorum personas spectes, tanta administratione indigni sunt: si verò pro virili sua, hoc est, pro facultate & captu ingenij sui



SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

vocationem suam diligenter & fideliter obeant, tum dignè præ sunt suo muneri, etiamsi non semper rem acu tangant, vt dicitur for- let. sed interdum aliquid erroris in functione sua committant. Necessè enim est, nos omnes cum Centurione illo Euangelico facti, nos dignos non esse, vt Christus tectum nostrum subeat. Nobis lo minus tamen, si cœnam iuxta institutionem Christi celebremus, dignè ea vti possumus. E cõtrario, qui ab institutione Christi discedunt, indignè cœna vtuntur. Rectè enim Ambrosius in 1. Cor. 11. indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quàm datum est ab autore. Ideo præmonet, vt secundum ordinem traditum, deuota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini.

Itaq; cum Faber & Pontificia turba institutionem Christi omnibus modis peruertant, dignè profectò tractare nequeunt, quantumcumq; se ipsos fictitia sua pœnitentia, contritione, confessione & satisfactione præparent, ac vel ad mortem usq; castigent. Contra cum Protestantes sacrosanctam cœnam iuxta institutionem Christi celebrent, probentq; & dijudicent se ipsos, iuxta præceptum Pauli, constat ipsos dignè edere atq; bibere, quantumuis suarum personarum respectu indigni sint.

Summa hæc esto: solos quidem iustos & sanctos de hoc pane edere, & de poculo hoc bibere debere: nullos autè alios esse sanctos, nisi solos peccatores respiscentes: proinde ad cœnam Dominicam nullos, nisi peccatores pœnitentiam agentes, admittendos esse.

Quandoquidem ergò magna deuotione, religione atq; reuerentia (quod sine arrogantiâ dictum sit) in nostris Ecclesijs cœna peragitur: temeraria admodum Fabri calumnia est, quam nobis impingit, incusans, quòd sine contritione & dolore cordis ac sine omni pœnitentiâ cœna vtamur, propterea quòd sacramentalem Sophistarum pœnitentiam explosimus.

Atq; hoc loco paulisper consideremus, quàm acerbo & infesto odio Diabolus sacrosanctam cenam Domini nostri Iesu Christi persequatur, omnem mouens lapidem, ut varijs modis peruertat, ac tandem planè in nihilum redigat.

Primò. Commutat eam in Sacrificium propiciatorium pro uiuentibus.

Secundò. Fingit ex ea sacrificium redemptorium pro animabus fidelium in purgatorio.

Tertiò. Laicos calice deprædatur.

Quartò. Negat veram præsentiam corporis ac sanguinis Christi in pane & uino.

Quintò. Calat & occultat verum usum sacramenti, submissa uoce & ignota lingua.

Sextò. Curat panem includi, & in theatrica pompa circumgestari, & adorari.

Septimò. Abutitur cœna, ad promerendas omnes commoditates, & foelices successus in rebus temporalibus, & ad depellendas omnes aduersitates seu calamitates.

Octauò. Incitat homines prophanos, ut venerabile hoc sacramentum non solum tanquàm superuacaneam & inutilem ceremoniam contemnât atq; negligant, sed etiam horribiliter blasphement. Cum enim proximo pessima queq; imprecari uolunt, ita execrari solent: Ut te Sacramentum Dei confundat, inquit, perdatq;.

Nonò. Multis persuadet, quòd se ipsos per præcedentia bona opera, & traditiones humanas, tanto sacramento dignos efficere queant.

Sed quia in his omnibus, nequitia eius palàm deprehenditur, & prædicatione Euangelij reuelatur, quòd mera sint mendacia, ac primæ institutioni Christi prorsus contraria: transformat se spiritus ille mendax in angelum lucis, & cum Herode simulat, se puerum hunc esse adoraturum. Prætexit igitur, hoc sacramentum

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

adeo sanctum & diuinum thesaurum esse, vt nemo nisi dignissimus illo vti debeat. Et hoc suum dogma pingit fucis quibusdam, ex sacra Scriptura accersitis. Inquit enim Paulus: Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne, iudicium sibi ipsi edit & bibit. Hoc Sathan contra sententiam ipsius Pauli eò detorquet, vt dignitatem hanc arctissimis terminis includat, & pia corda ab acceptione sacramenti deterreat. Non autem hoc seruo agit pater mendacij, vt dignitatem sacramenti augeat, & nos ad dignam preparationem excuset: sed hoc querit, vt sub hac larua & specioso prætextu legitimus vsus sacramenti impediatur. Sed tamen spero pijs & candidis lectoribus hanc meam qualemcumq; admonitionem de digna preparatione ad id profuturam, vt sibi à personato Sathana caueant: ac potius mandatum & promissionem Christi considerent, quam suam ipsorum dignitatem, & versutissimas mendacissimi Sathanae insidias. Et hæc quidem de primo testimonio Pauli ex 1. Cor. 11. dicta sint.

## SECUNDVM TESTIMONIUM Pauli, 1. Cor. 10.

**A**lter locus, quo D. Paulus cœnam Dominicam describit, extat 1. Cor. 10. Poculum inquit, benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: nam omnes ex eodem pane participamus. Videte Israëllem iuxta carnem: Nonne qui edunt victimas, participes sacrarij sunt? Et mox: Non potestis poculum Domini bibere, & poculum Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.

Germ fol. 65.  
Latin fol. 103.

Hunc locum Faber ita explicat: Meminit, inquit, mensæ Domini,

nini, in qua corpus & sanguis Christi immolabatur. Ethnici enim, qui Dæmonibus litas hostias edebant, Dæmonum participes erant: Fideles autem, qui sacrificium dominicæ mensæ comedebant, Domino communicabant. Hortatur ergo Corinthios, ne sumendo in cibum idolothyta ex mensa Ethnicorum, socij fiant Dæmoniorum. Ex quibus tandem Faber colligit, quemadmodum Iudæis & Ethnicis sua fuerint altaria, in quibus sacrificauerint, & de quibus comederint, ita & Christianos suum habere altare, mensam nimirum Domini, in quo corpus & sanguis Domini à Sacerdote in cibum & sacrificium imoletur.

Ceterum sistatur controuersie, quam Paulus ab initio octauo capitis vsq; ad finem decimi discutit, diligenter secundum omnes circumstantias examinemus, manifestum sit, cardinem controuersie non in hoc versatum fuisse: An Christianis apud altaria Ethnicorū etiam litare seu sacrificare liceret? (hoc enim aperte primo precepto Decalogi aduersatur, & circa omnem controuersiam impiū est.) Sed hoc quæsitū fuisse: An Christianis liceret unā cum Ethnicis, post peracta sacrificia, in mensa eorum de idolothytis vesci?

Fuit enim hic mos obseruatus à veteribus, tam Ethnicis quàm Iudæis, ut finitis cultibus & sacrificijs suis, agerent conuiuia de reliquijs: quemadmodum ferè nostra ætate Rustici in festo Dedicacionis templorum factitarunt. Et fuisse hunc morem Iudæis vsitarum, testantur non solum leges de Sacerdotibus, sed etiam primum caput primi libri Samuelis, de Helkana, & duabus vxoribus illius. Et decimo sexto capite eiusdem libri inuitat Samuel Iessen unā cum filijs ad sacrificium. Ethnicos autē eundem morem seruasse, patet ex libro 8. Aneidos Vergilij, vbi Euander post sacrum Herculis actum, Aneam ad conuiuū vocat. Et in his conuiujs Deos suos laudibus & gratijs celebrarunt, vt in quarto libro Aneidos cernitur. Hoc ergo conuiuium & hanc mensam, quæ peractis idolorum sacrificijs, instruebatur, confert Paulus cum mensa

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

mensa cœne dominicæ, in qua corpus & sanguis publicè distribuuntur. Nec confert Iudeorum & Ethnicorum altaria, cum altaribus Christianorum, quasi & his tam necessaria essent sua altaria & sacrificia, quàm illis.

Sic igitur ad quæstionem oblatam respondet Paulus: Eum qui habeat scientiam libertatis Christianæ, si ab Ethnicis, tanquàm vicinis suis, ad alem mensam inuitetur, habere libertatem eundem, quantum ad suam personam attineat: quia enim idolum nihil sit in mundo, nec idolothytum aliquid esse, ac proinde non peccat Christianum, qui illo vescatur. At si quis nondum plena Christianæ libertatis cognitione instructus sit, aut infirmo fratri offendiculum præbeat: monet esum idolothytorum vitandum esse, parcendumquè infirmæ conscientie fratris, & in gratiam fratris aliquid de libertate Christiana remittendum esse. Ac suum ipsius exemplum allegat Paulus, quod volens & utrò concessa sibi potestate Apostolica non sit usus, ne alios offenderet. Postea monet, ne quis nimium de se præsumat: quia Patres etiam, si externas ceremonias spectes, fuerint populus Dei, plures tamen Deus non approbaverit. Itaq; neminem sibi ipsi tantum tribere debere, ut præ se alios contemnat, ac nulli parcat.

Singulariter deinde de hoc negotio admonet Corinthios: nequaquam convenire, ut, qui de corpore & sanguine Christi in mensa Domini participant, ijdem simul etiam participant de mensa Demoniiorum. Iudicant enim infirmi, eos, qui vescantur idolothytis, etiam communionem habere cum idolis.

Vnde autem Paulus hanc de communicatione seu participatione admonitionem deducit? A natura & cõditione sacrificiorum veteris testamenti. Videte, inquit, Israëllem iuxta carnem: Nonne qui edunt victimas, participes sacrarij sunt? Hoc est, nonne profitentur, se huic Deo & his cultibus obnoxios atq; obstrictos esse, & communem cum alijs partem habere? Sic vxores & liberi Sacerdotum,

cerdotum, sic vxores Helkana, sic Isai cum filijs suis, vescentes sacrificijs, approbant & confitebantur hos cultus Dei: ac testabantur, se vnà cum communibus sacrificijs commune etiam altare, & vnum eundemq; Deum habere. Ita & hoc loco Paulus monet Christianos, vt quamuis scientia Christiana libertatis præditi sint, tamen in gratiam infirmorum vltro de iure suo concedant, ne alijs suspicionem præbeant, quasi communicationem aliquam cum idolorum cultu habeant.

Quemadmodum ergò Iudæi & Ethnici, post sacrificium in templo & altari peractum, id quod reliquum erat in mensa, non sacrificabant, sed simul consumebant tam Laici quàm Sacerdotes, atq; ita de sacrificio communicabant, Deosq; suos celebrabant: ita & Christiani, posteaquàm summus Pontifex ipsorum semel in cruce sese obtulit, atq; æternam redemptionem peperit, non amplius in mensa seu altari offerunt, sed edunt ac bibunt corpus & sanguinem Christi, in cõmemorationem ipsius, & annunciant mortem Domini, donec veniat.

Ergò dictum Pauli de esu sacrificiorum, & altari Israëlitarum iuxta carnem, non detorquendum est ad collationem noui altaris & sacrificij Missarici in nouo Testamento: sed id tantum obiter probare Paulus voluit hominem, de cuiuscunq; Dei mensa comedat, eiusdem Dei participem fieri.

Sin autem Faber omnino Missaricum sacrificium ex hoc loco euincere voluerit, necesse habebit prius demonstrare, Paulum non mensam cum mensa, in qua sacrificia comeduntur, sed altare cum altari, in quo sacrificia immolantur, comparare. Vel id demonstrandum erit, Ethnicos in mensa sua idolothytis vescentes, rursus sacrificare. Sed neutrum horum, quantumuis sudet, demonstrabit. Manet ergò adhuc cœna Domini, communicatio corporis & sanguinis Christi, nec fit sacrificium.

Liquet igitur, hanc Paulinam sententiam ad eò nihil ad defen-

I sionem

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

tionem Missarici sacrificij conferre, ut magis illam labefaceret. Non enim loquitur Paulus de mensa, in qua sacrificatur, sed in qua communicatio corporis & sanguinis Christi legitimo modo & iuxta Christi institutionem servatur, sub utraq; specie panis & vini: quam communicationem postea in undecimo capite pluribus verbis luculentius describit, sicut supra auditum est. Nam si quicquam de Fabri concomitantia (quod corpus non sit absq; sanguine) sciisset, eamq; magni momenti aestimasset, procul dubio sub pane benedictionis, communicationem tum corporis tum sanguinis simul comprehendisset, nec ita distinctè de utrisq; verba fecisset.

SEQVITVR TERTIVM TESTIMONIUM Pauli, citatum à Fabro ex Epistola ad Hebræos cap. 9.

& 10.

**H** Eb. 9. Paulus sic scribit: At Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Et cap. 10. Unica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

Hæc verba Faber, ut solet, secundum peregrinam suam linguam interpretatur, & per (SEMEL) dicit significari, Bis, Ter, Quater, vel centies millies, &c. Sic enim inquit: Apostolus de cruento illo crucis sacrificio semel litato agit: Christus, inquit, semel oblatus est, quod idem est ac si diceret, Christus semel in cruce mortuus est: cui nihil repugnat id, quod Ecclesia ait, quotidie eum in mysterio vel sacramento, ab ipso instituto, Deo patri in memoriam cruenta crucis hostiæ immolari.

Quod Faber mendaciter conqueritur de ministris Evangelij: Cernite, inquit, fratres, cuiusmodi nobis turrim Babylonicam extruxeritis, &c. id verissimè in ipsum retorqueri potest. Suscepit

Gertr. fol. 54.  
Latin. fol. 85.

Gertr. fol. 4.  
Lat. fol. 6.

pit enim semel scriptis suis exadificandam ciuitatem illam magnam Babylonem, de qua Apoc. 18. vt celebre faciat nomen suum, & mirram Episcopalem, quam arroganter ambire videtur, consequatur.

Ecce autem Dominus ea vertigine ipsum percussit, & errare fecit, vt nullam amplius linguam calleat. Quod enim totus mundus vocat panem, vinum, corpus, sanguinem, id ipse sacrificium vocat. Et quod alijs omnibus est, dare, frangere, facere, Fabro est sacrificare. Quod alijs, Omnes, id Faber Sacerdotes. Quod alijs, Multos, Faber Laicos appellat: quemadmodum supra audiuimus. Ita hic quoq; quod in alijs omnib; linguis totius orbis terrarū, significat SEMEL, id Fabro significat Bis, imò pluries, q̄ millesies millies.

Non dubito, quin Faber Epistolam ad Hebræos habeat pro verbo Dei, alioquin non adduceret ex ea testimonium pro defendenda Missa sua. Testatur autem epistola illa quam clarissimè, non solum affirmatiuè, Christum semel oblatum esse, sed etiam negatiuè, Christum posthac non amplius offerri. Defensurus ergò Faber Missaticum sacrificium ex hac Epistola, alterutrum conuincat necesse est: aut SEMEL significare bis, centies, millies: aut, Epistolam hanc falsam mendacemq; esse. Nimis enim friuola est subtilis ipsius distinctiuncula, de cruento & incruento modo. Nam ne iota quidem vnicum de hac distinctione extat in vniuersis literis sacris: quemadmodum suo loco in Classe de Patribus audituri sumus.

Si ergò Christus semel tantum oblatus est, vt verbum Dei testatur, & Faber negare nō potest, querere ex ipso liber: quando & vbi oblatus sit? Si respondeat: in cœna: sequitur supernacaneum fuisse, Christum post cœnam pati & mori, ac sacrificiū suum in cruce peragere. Sin vero dicat, Christum in cruce oblatū esse (id quod verissimū est) quæso quorsum opus fuit oblatione in cœna? Certè si Christus bis sese obtulit, imperfectū erit eius sacrificium, quemadmodū & Lex omnia Aaronica Leuiticāq; sacrificia imperfecta fuerunt.



## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI.

Itaq; cum nec vocabulum *S E M E L*, nec virtus & efficacia sacrificij in cruce oblari, (quæ est æterna & perfecta redemptio) patiantur Christum denuo offerri, unde quæso Faber suam de cruento & incruento sacrificio distinctionem confirmabit? Neq; enim auctoritas Durandi & Fabri sufficit, sed requiruntur sacrarum scripturarum firmamenta.

Gerin. fol 42. 43.  
Lat. fol 69. 70.

*Respondet Faber*, quia idem corpus & idem sanguis in altari adsint, quæ in cruce oblata sint, ideo, quantum ad substantiam ipsam atineat, idem utrobiq; in cruce & cæna oblatum esse. Et quia sacrificij illius in cruce litari vis & efficacia ad extremum usq; diem valeat, illud ipsum corpus, quod pro vobis tradidit, & sanguinem, quem pro vobis effudit, cum virtute & efficacia crucis, per Sacerdotis ministerium in altari Deo patri offerri. Idem ergo planè esse sacrificium altaris & crucis: quàm quod hoc cruento modo factum sit, illud verò incruento modo fiat. *Hæc ille.*

*Assentimur*, idem corpus & sanguinem eundem in cæna adesse, quæ in cruce pependerit, si quidem prima institutio inuiolata seruetur: sed idem esse sacrificium corporis & sanguinis in cæna, quod fuerit in cruce, hoc constantè pernegamus. Nam ad sacrificium non requiritur tantum præsentia materiæ, quæ sacrificatur, sed ipsa etiam actio & finis, ad quem ipsa materia referri & dirigi debet: Vbi verò deest illa actio, certè materia sola sacrificium esse non potest. *Exemplo rem, quò sit illustrior, declarabimus.*

Eadem ovis est, quantum atinet ad substantiam carnis, cutis, ossium, pilorum, &c. siue in stabulo, siue coram altari stet: finis autem & vsus ad quem destinatur non est idem, sed diuersus & dissimilis. In stabulo enim hic ipsius vsus est, ut præbeat lac, caseum, lanam, fenum ad stercorationem agrorum: coram altari autem destinatur maclationi & holocausto.

Sic tam in cruce quàm in cæna est quidem vnum & idem corpus & sanguis Christi: vsus autem & finis veriusq; est diuersus.

*Nam*

Nam corpus & sanguis Christi in cruce ad hoc prodest, ut per hoc sacrificium cum Deo patre reconciliemur, & remissionem peccatorum consequamur. Quem vsus Esaias cap. 53. copiosè tractauit. Hæc reconciliatio fieri non potuit, nisi Christus pro nobis occideretur, sicut Epistola ad Hebræos apertè testatur. Et Paulus ait, Christum mortuum esse pro peccatis nostris. Et de peccato, id est, hostia seu victima pro peccato condemnasse peccatum. Sed in cœna corpus & sanguis Christi eò destinata sunt, ut nos edamus, bibamus, mortem eius commemoremus, ac beneficia ipsius gratam mente celebremus. Id quod suprâ testimonijs Euangelistarum comprobauimus.

Duo igitur requiruntur ad sacrificium expiatorium, tanquàm partes integrales: videlicet corpus & sanguis Christi, ceu materia sacrificij. Et deinde ipsum opus atq; finis, per effusionem sanguinis, in cruce perfectus. Cum ergò altera pars tantum in cruce, non in cœna inueniatur, cumq; Christus semel tantum & non bis offeratur, restat solam mortem Christi in cruce esse verum sacrificium, cœnam autem eius sacrificij communicationem esse, quæ in commemorationem ipsius fiat.

Itaq; ne ex hac quidem ad Hebræos Epistola Faber incruentum suum sacrificium asseruit. Transeamus nunc ad sequentiã.

## QUARTVM TESTIMONIVM ex Paulo adductum, 1. Cor. 5. de Agnò Paschali.

**P**ascha nostrum, inquit Paulus, pro nobis immolatus est Christus. His ex verbis Faber ita ratiocinatur: Figura & res figurata consentire atq; concordare debent in eo, quod figura præsignificat. Constat autem agnum paschalem cœnæ Dominicæ ty-

Germ. fol. 69.  
Lat. 116.

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

pum gestisse. Porro figuram ipsam, id est, agnum Paschalem necesse erat immolari. Sequitur igitur etiam cœnam Dominicam litari debere. Namq̃ Paschalis agnus, in memoriã liberati populi Israëlitiçi sacrificabatur. deinde etiam in cibum sumebatur, id est, & memoriale, & comestibile sacrificium fuit. Atqui crucis victima neq̃ commemoranda redemptionis nostræ sacrificium fuit, sed ipsa nostri redemptio: neq̃ comestibile fuit sacrificium: quandoquidem corpus Christi visibile ac mortale, dentibus lacerari non debebat, ut Iudei quidam sibi persuaserant. Ipsissimum igitur passionis eius memoriale sacrificium illud est, quod sub panis ac vini specie ipse nobis dereliquit. Haftenus Faber.

Simpliciter respondeo. Agnum Paschalem fuisse memoriale liberationis Israëlitarum ex Aegypto, & typum redemptionis per Christum futurae, vltro concedimus. Hanc autem figuram praesignificasse tantum cœnam Dominicam, non sacrificium Christi in cruce, id Faber testimonijs scripturae nunquam demonstrabit: nos vero contrarium demonstrabimus: videlicet, Agnum Paschalem non fuisse typum cœnae, sed mortis Christi in cruce. Sic deinde Missa, quam Faber huic fundamento superstruxit, per se corruet.

Quantum ad edendi & bibendi rationem attinet, posset forsitan quaedam similitudo esse & conuenientia inter agnum Paschalem & cœnam Dominicam: quanquam in ritu agni Paschalis nihil de bibendo praecipitur, sicut in cœna Dominica. Quantum vero ad commemorationem attinet, reuera nulla hîc similitudo reperitur. Agnus enim Paschalis erat sacrificium memoriale, admonens Israëlitas praeteritæ alicuius rei, liberationis nimirum Aegyptiacae, ipsosq̃ ad gratias Deo agendas exuscitans. Si ergo Christus figuram agni Paschalis in cœna implere debuisset, necesse habuisset in cœna etiam celebrare sacrificium memoriale praeteritæ passionis suae. Meminisse enim, & commemorare, rerum est praeteritarum,

non futurarum. In cœna autem nondum peractum erat sacrificium crucis, sed post cœnam demum peragendum erat. Nullam igitur tunc commemorationem mortis suæ Christus facere poterat. Itaq; sacrificium agni Paschalis non gessit typum sacrificij cœnæ, sicut Faber arguitur.

Præterea & hoc fatemur. Christum in cruce non fuisse sacrificium memoriale redemptionis nostræ, sed ipsam nostram redemptionem: agnum verò Paschalem non præsignificasse sacrificium in cruce, id negamus. Quoniam Evangelista Iohannes cap. 19. testatur, milites non fregisse crura Christi, sicut latronum, ab utroq; eius latere pendentium: Facta autem, inquit, hæc sunt, ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. Hoc vero præceptum de non comminueno ossis, pars fuit ritus illius de agno Paschali Exod. 12. Vbi ergò hæc pars in Christo impleta est? Hic Evangelistam audi, testantem, id accidisse in cruce, cum iam spiritum tradidisset Christus, & sacrificio crucis perfunctus esset. Necessè ergò est, figuram eò spectasse, ubi impleri debuit: nimirum ad sacrificium crucis Christi. Quod quidem ipsimet sacrificuli in Missa sua cantant, in præfatione Paschali: cuius verba hæc sunt.

Cum Pascha nostrum immolatus est Christus, ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, &c.

Testantur & reliqui Apostoli ac Evangelistæ. Christum non ideò vocari agnum, quòd in cœna, sed quòd in cruce sese obrulerit. 1. Pet. 1. Cum sciatis, vos non caducis rebus, velut argento & auro fuisse redemptos à vana vestra conuersatione, quam ex Patrum acceperatis traditione, sed precioso sanguine velut agni immaculati & incontaminati Christi. Et Apocal. 5. viginti quatuor seniores canunt canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

natione. Et Iohannes Baptista: Ecce, inquit, agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hec dicta omnia testimonium perhibent Paulo, agnum nostrum Paschalem, Christum, non in cœna sed in cruce immolatum esse.

Recenset Faber & alias quasdam rationes similitudinis inter agnum paschalem, & cœnam Dominicam: quas parum aptè & violenter ad stabilendam Missam suam detorquet. Si verò similitudinibus & parabolis rem agere liceat, multa certè ex typo agni paschalis magis cum nostra cœna quàm cum priuata ipsius Missa conuenient. Exempli gratia, Paterfamilias agnum paschalem non solum comedebat, nec relinquebat quicquàm usq̃ in crastinum, sed comedebat tota familia: aut si hæc sola non sufficiebat ad consumendum integrũ agnum, accersebantur etiã vicini ad conuiuũ, donec integer agnus consumeretur. Ita, quando celebranda est cœna Dominica, non solus Sacerdos in angulo quodam conuiuetur, cæteris carentibus, sed omnibus petentibus communicet, & quidem integram cœnam, non dimidiatam, nihil de ea reseruans & includens, aut circumgestans. Sed Faber neq̃ testimonijs scripturæ, neq̃ aptis similitudinibus ab errore suo se dimoueri patitur. Pergamus igitur ad reliqua: posteaquam satis ostensum est, typum agni Paschalis multò magis pro nobis quàm pro Fabro facere.

## QVINTVM TESTIMONIVM

Paulinum, quod Faber pro asserenda vna specie accersit ex Actis Apostolorum cap. 27.

Germ. fol. 85.  
Lati. fol. 142.

**P**Aulus nauigans, inquit Faber, non solum benedixit panem (hoc est, vnã speciem sacramenti) sed de manu sua porrexit Lucæ, & cæteris discipulis. Sic enim scribitur Act. 27. Et cum

cum hæc dixisset, sumpro pane gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cepit edere. Hunc locum fretus auctoritate Chrysofomi Homel. 17. in Matthæum, ait intelligendum esse de hoc pane, qui non solum sanctificatus, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem. Facit autem & Paulo & Chrysostomo insignem iniuriam.

Principio enim non loquitur Paulus eo loco de Sacramento corporis Christi, sed tantum de quotidiano & vulgari pane. Dies hic, inquit, decimus quartus est, quod expectantes ieiunii permanetis, nihil accipientes: propter quod hortor vos, ut sumatis cibum, hoc enim ad salutem vestram pertinet: quia nullius vestrum capillus de capite cadet. Porro, animis iam recreatis omnium, sumpserunt cibum, & satiati sunt. Deinde, non solum Lucam & reliquos fideles hortatur, sed omnes quotquot erant in navi. Erant autem uniuersæ anime in navi ducentæ septuaginta sex. Certum est autem, plerosq; illorum fuisse impios Iudæos & Ethnicos, non Christianos. Qua fronte ergo hoc de sancto pane cœnæ Dominicæ interpretari audeat Faber? cum is panis conueniat solis Christianis, & ijs, qui se ipsos probarunt: neq; ad satiandum stomachum, sed ad confirmandam fidem destinatus sit.

Ad hæc, quanquam Paulus, accepto pane, gratias egit Deo, & fregit, non tamen adiecit verba primæ institutionis Christi: Hoc est corpus meum. Nec verisimile est, Paulum aliter præbuisse cœnam Diuo Lucæ, quam à Domino acceperat, & Corinthijs tradiderat.

Quod autem Chrysostomus id conuiuium more suo allegoricè interpretatur, & ad cœnam Dominicam accommodat, non male fit, nec quicquam institutioni Christi de accipienda utraq; specie derogat. Sicut alibi, se ipsum explicans, disertè testatur, inter cœnam Laicorum & Sacerdotum nullum esse discrimen. Sed de hoc in Classe, quam Patribus assignauimus, centuria quarta, agemus.

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

Sic igitur nec Pauli nauigantis & panem edentis exemplum Fabro patrocinatur, plurimum laboranti, quo pacto institutionem Christi conuellat, & laicis alteram speciem eripiat. Sed frustra hoc saxum voluit: manet enim, aeternumq; manebit firma & immota Christi institutio.

Absolutis iam tandem Paulinis testimonijs, Missam non sacrificium esse, sed communicationem corporis & sanguinis Christi sub utraq; specie, conuincentibus: age audiamus & alium quendam Apostolum, quid is de cæna Domini docuerit, scripserit & senserit.

D. Mattheus, non solum Euangelista, sed & Apostolus Christi, verba primæ institutionis vigesimo sexto Euangelij sui capite describit, & tam de substantia q̄ de vsu cænae eadem docet, quæ reliqui Euangelistæ, Marcus, Lucas & Paulus tradunt. De qua harmonia & cõcordia Euangelistarũ, cum supra satis multa in prima classe dicta sint, ad reliquorũ Apostolorum testimonia progrediar.

Esi autem nullus reliquorum Apostolorum expressè de institutione & vsu cænae Dominicæ scripserit (nam sexto capite Iohannis nihil de externa cæna, sed tantum de spiritali manducatione, hoc est, de fide in Christum agitur) certissimum tamen est, vniuersos Apostolos non aliter de cæna & sensisse & docuisse, quàm Paulus & Euangelista scriptis tradiderunt.

Posteaquam enim Paulus septendecim annis Euangelion inter gentes prædicauerat, exorta fuit controuersia de articulo iustificationis. Erant enim, qui docebant, hominem non sola fide in Iesum Christum iustificari: sed ad iustitiam & salutem esse etiam necessariam circumcisionem, & obseruationem legis Mosaicæ. Ad quam disceptationem componendam, Paulus iuxta reuelationem ascendit Ierosolymam, vnã cum Barnaba & Tito: ac contulit cum præcipuis Apostolis, qui videbantur esse columnæ, Iacobo, Petro & Iohanne, de Euangelio suo, quod prædicauerat inter gentes. Cum verò Apostoli cognouissent, quàm efficax fuisset Deus in ipso erga gentes

gantes, dexteras ipsi dederunt, hoc est, confitebantur planè in omnibus partibus doctrinæ Euangelij, se cum Paulo consentire. & in Symbolum mutui consensus dexteras iungebant: quod inter amicos mutua beneuolentiæ & concordia indicium esse consueuit.

Nemo autem existimet, primarios illos Apostolos tantum in doctrina iustificationis ( quæ tamen præcipua Concilij Ierosolymitani causa fuit ) cum Paulo consensisse. Nam & de reliquis omnibus articulis fidei optime inter ipsos conuenit. Etenim si Petrus, vel quiuis alius Apostolus aliter de cæna sensisset & docuisset, quàm Paulus: profectò Paulus, qua fuit naïuola, & ardenti zelo præditus, tam non cessisset Apostolis, quàm non cessit, ne ad horam quidem, Pseudoapostolis. Nam & ipse postea Petrum Antiochiæ coram omnibus fratribus grauitè obiurgauit, cum in leuiori causa ( quàm sit cæna Domini ) non recto pede incederet ad veritatem Euangelij. Gallat. 2. Num tu ergò parsurum ipsi fuisse putas, si ( quod Faber omnibus Apostolis tribuit ) cænam Dominicam sensisset, docuissetue, esse sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum? Certè Corinthios seruerissimè reprehendit propter solum cæne Dominicæ abusum: quantò seuerius Apostolos ipsos reprehensurus fuisset, si communicationem corporis & sanguinis Christi, in sacrificium propitiatorium pro uiuis & defunctis conuertissent, aut laicos altera specie priuasset.

## DE PRIMO CONCILIO Apostolorum.

**M**inimè nos fugit, iuquit Faber, Christi Apostolos, primumq; illud Ierosolymis coactum concilium, de quibusdam, quæ Christus libera permiserat, legem sanciuisse, quæ tamen processu

Getm fol. 93.  
Latin fol. 156.

K 2 temporis,



SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

temporis, cessante legis illius causa, abolita est & abrogata. Quid in igitur ea quoque penes Ecclesiam authoritas sit, ut Pauli constitutionem mutare possit? Hac Faber.

Ceterum, ut omnibus manifestum fiat, quam falso Concilij illius Decretis Faber contra usum calicis abutatur, placet Recensum Concilij de verbo ad verbum huc adscribere: Apostoli & Presbyteri, & fratres, his, qui sunt Antiochia, & in Syria, & in Sicilia, fratribus qui sunt ex gentibus, salutem, &c. Usus est Spiritui sancto, ac nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, quam hac necessaria: videlicet, ut abstinatis ab his quae sunt immolata simulachris, & sanguine, & suffocato, & scortatione. A quibus si conseruaueritis vos ipsos, benefacietis. Valete.

Non erit autem Faber usque adeo impudens, ut dispensationem suam, quam Ecclesia tribuit, de scortatione omnibus modis prohibita, intelligat. Hanc enim Christus nequaquam liberam reliquit, sed sub comminatione seuerissimae indignationis ac poenae Diuinae prohibuit. Quicumque aspexerit, inquit, uxorem alterius, ad concupiscendam eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Matth. 5. Eandem pari seueritate Apostoli vetuerunt, scortatores etiam a regno caelorum excludentes: Ne erreris, inquit Paulus, neque scortatores, neque adulteri, regni Dei hereditatem accipient. 1. Cor. 6. Nec vero post Apostolorum tempora, lex illa de vitanda scortatione sublata est. Quia enim praecipuo diuino repugnat, perpetuo peccatum manet. Nec credo Fabrum, quamuis propter suum de perpetua castitate votum coniugio sit iniquissimus, id negaturum esse. Restat ergo, ut dispensationem illam non ad scortationem extendat, sed ad medias tantum res, quarum Christus liberum usum reliquit: videlicet ad idolothya, & sanguinem, & suffocatum.

Mea igitur haec sit responsio. Primum, Faber Christo & Apostolis manifestam hoc loco facit iniuriam. Neque enim Apostoli necessariam

cessariam aliquam legem ijs de rebus tulerunt, quas Christus liberas esse voluit. Ac Decreti Apostolici sententiam, de idolothytis, sanguine & suffocato, Paulus ipse, qui Concilio interfuit, alijs suis Scriptis perspicue explicat. Ut cum 1. Cor. 10. fideles hortatur, ne idolothytis vescantur: causam hanc adfert: non quidem per se illicitum esse, sed ne infirmis in fide Iudæis offendiculum decur, abstinentum esse. Sic & Rom. 14. 1. Tim. 4. docens de ciborum libertate, nihil prorsus excipit, nisi ut scandalum, idq; non Pharisæicum, sed infirmorum fratrum, caueatur. Eadem Christus iam ante a docuerat: Væ homini, inquit, per quem offendiculum venit. Expedi ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris. Itaq; Christi & Apostolorum constitutiones eadem sunt, atq; etiam num hodie vigent: videlicet, ut Christiani idolothytis, suffocato & sanguine liberè vescantur, vel non vescantur, si nullum sit offendiculi alicuius periculum. Accedente autem offendiculo, seuerissimè præcipitur, ut abstineamus. Sicut apud nos esus carnum feria sexta, alijsq; vetitis diebus per se quidem non illicitus est: fit autem illicitus, cum infirmo fratri offendiculum ponitur. Malitiosè ergò Faber Christi & Apostolorum decreta, ut & alibi solet, non tam interpretatur, quàm calumniatur.

Esto autem, quòd Apostoli tam duras & rigidas leges, de rebus, quas Christus liberas reliquit, præscripserint: quæso quid hoc ad vnam speciem sacramenti atinet? Num Christus potum calicis liberum & in nostro situm esse arbitrio voluit? Minimè id quidem. Expressa enim sunt verba: Accipite, Bibite ex hoc omnes. Mihi crede, si Christus tam disertè idolothyta prohibuisset, quàm calicem præcepit, nunquam Apostoli, contrarium statuissent. Nulla ergò similitudo est inter calicem Domini, & res illas medias, de quibus Apostoli in primo Concilio decretum fecerunt.

Præterea, si maximè medias & adiophoras res necessarijs le-

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

gibus adstrinxissent Apostoli, num tu eandem potestatem in conuellenda institutione Christi tribues Ecc'esie? An nescis sanctos illos Christi legatos maiori auctoritate potestateq̄ præditos, quam ceteros Episcopos & Prælatos Ecclesie? Qua de re infra in prima centuria locus dicendi dabitur. Vides igitur primum Concilium Apostolorum non magis vnã speciem Fabri adstruere, quam reliquorum Euangelistarum & Apostolorum tum scripta tum acta adstruxisse adiunimus.

Porro ne quis dubitet, Petrum & reliquos Apostolos non tantum Pauli de iustificatione hominis sententiam approbasse, sed omnibus etiam Epistolis illius subscripsisse, age testem audiamus D. Petrum, secunda Epistola capite tertio ita scribentem: Quapropter dilecti, patientiã Domini nostri, salutem arbitremini, quem admodum & dilectus frater noster Paulus iuxta sibi datam sapientiam scripsit vobis etiam in omnibus ferè Epistolis, loquens de his, inter que sunt nonnulla difficilia intellectus, que indocti parumq̄ firmi detorquent, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perniciem, &c. Quibus verbis subscribit Petrus omnibus Paulinis Epistolis, ei quoq̄, que est ad Corinthios, cuius pars est capitulum undecimum. Proinde non alia fuit Petri ac reliquorum Apostolorum de cœna Domini doctrina ac sententia, quam que Pauli fuit, quam quidem prædicto capite satis perspicue tradidit.

Faber autem nullius Apostoli testimonium producere potest, qui de Missa & vna specie sacramenti ita scripserit vel senserit, ut à Monachis & sacrificulis Papisticis usurpatur. Frivolus enim est, quod pro opinione sua fulcienda ex Actis Apostolorum cap. 13. probare nititur, Paulum & Barnabam in cœna sacrificasse Domino. Nam vox *κατεσχευον*, quam cum Erasmo interpretatur, sacrificantibus illis, omnium eruditorum consensu, Fabro etiam fatente, non proprie significat sacrificare: sed generaliori sanctificatione idem est, quod ministerium & officium publicum obire

obire seu administrare, tam in Ecclesiastico quàm politico statu. Cum ergò circa primitiue Ecclesiæ initium hoc esset munus Prophetarum, Apostolorum, & aliorum Doctorum Ecclesiæ, vt prædicarent, baptisarent, cœnam distribuerent, orarent, ieiunarent, eleemosynas colligerent, &c. quod abundè Acta Apostolorum docent: rectè nostri verterunt: Ministrantibus illis Domino, id est, demandatum ministerium & cultum diuinum exequentibus in publico, non in priuato angulo cœnam sacrificantibus. Nihil ergò verbum datu veris ad Missam attinet: nec probat Apostolos Missam celebrasse.

Adde, quòd ne vno quidè verbulo aperta illo in loco mentio fit corporis & sanguinis Christi, quæ in cœna principem locū obtinent.

Et quamuis cõstaret, Prophetas & Doctores eo in loco vnà cum populo Antiochene Ecclesiæ cœnam Domini celebrasse, tamen verus cœnæ vsus ex verbis primæ institutionis potius peti debebat, quàm ex hoc & similibus locis Actorū Apostolicorū, vbi obscure & obiter tantum de fractione panis, & de liturgia mentio facta est.

Tandem vt & hoc Fabro largiar, Apostolos & Doctores in hac liturgia etiam cœnam, vel (vt Faber loquitur) Missam celebrasse: quid tum postea? Num propterea priuatam Missam approbabitur? Certè datu veris (vt antè diximus) non significat suū aliquod priuatum negocium agere: quemadmodum Missarius tacitè apud animum suum Passionem Christi considerat, solusq̄ ficticiu suum sacramentum comedit & bibit: Sed significat, publicum officium in communionem aliqua administrare: vt mortem Domini annunciare, & Sacramentum solenniter distribuere. Quomocunq̄ igitur Faber rem aggrediatur, hoc ex Actis testimonium, Missam ipsius magis infirmat quàm confirmat: & vicissim cœnam nostram magis adstruit quàm destruit.

Itaq̄ vbi se scriptis Apostolorum tueri amplius diffidit, tandem hoc suffugiū querit at: Apostolos non omnia ea, quæ ad salutem nostram necessaria

SECUNDA CLASSIS, DE TESTI

Germ fol. 83. *necessaria sint, scriptis tradidisse. Sic enim inquit: Ecquis tandem*  
 Latin-fol. 140. *certum efficere queat, que nam Apostolus apud Corinthios consti-*  
*tuerit, cum ipse se cetera, ubi venerit, dispositorium scribat? i. Cor.*  
*11. Hinc modò inferre, que ab Apostolis omissa sint, ea Ecclesie,*  
*hoc est, Monachorum & sacrificulorum conciliabulis reseruat*  
*esse: cuius Ecclesie non minorem, quam Apostolorum potestatem*  
*esse asserit.*

Germ fol. 93.  
 Lat-fol. 156.

*En sic tandem Fabri bilis efferbuit, ut quasi omnia simul & se-*  
*mel conuulsurus, ipsis Apostolis aperte in faciem contradicere non*  
*dubitet. Quid enim aliud sibi vult, quam Apostolos non recto pede*  
*ad veritatem Euangelij incesisse? multa item infideli & inuida*  
*disimulatione occultasse, que scire salutis nostre intersit? arta-*  
*men Spiritum sanctum Pontificia ecclesie talia reuelasse, que po-*  
*stea ex scrinio pectoris sui nobis etiam communicari. Hec sunt no-*  
*mina blasphemie super capita bestie septicipitis, de qua est Apo-*  
*cal. 13. Horrenda profecto & detestanda blasphemia est, Aposto-*  
*los falsi testimonij arguere, vel ( ut in Scholis loquuntur ) negare*  
*prima principia, & de religionis nostre. Etenim testis verita-*  
*tem subtricens, quam debebat proloqui, non minus, quam menda-*  
*cium dicens, falsus testis habetur. Et notum est commune di-*  
*ctum: Contra negantem principia non esse disputandum. Negare*  
*enim principia, nihil aliud est, quam totum nature ordinem in-*  
*uertere: & album asseuerare esse nigrum, & duo esse vnum.*

*Cum ergo Faber scripta Apostolorum ( que prima quasi prin-*  
*cipia & fundamenta sunt Ecclesie ) mendacij arguat, & in du-*  
*bium reuocet, an omnia ad salutem necessaria in his comprehensa*  
*sint, idem facit, ac si prorsus negaret atq; respueret. Proinde dignum*  
*non esse iudico, cum quo de his disputetur. Monet enim D. Iohannes*  
*secunda sua Epistola: Si quis ad nos veniat, & hanc doctrinam non*  
*offerat, nec recipiendam eum esse in domum, nec aue ei dicendum.*  
*Qui enim dicit illi que, communicat operibus eius malis. Idcirco*  
 non

non propter Fabrum, sed ad docendos & consolandos simplices atq; credentes, demonstrabo, Apostolos sufficienter & integrè omnia ad salutem necessaria per scriptisse, nec omisisse quicquam: imò, quod maius est, in rebus fidei nihil recipiendum esse, quàm quod Apostoli scriptum reliquerint.

Nam ad Ephesios scribens Paulus: Superstructi, inquit, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide Iesu Christo. Idem ad seniores Ephesi verba faciens, ac valèdicens: Scitis, inquit, quomodo nihil suffugerim eorum quæ essent in rem vestram: quin annunciarem vobis, & docerem vos publicè, ac per singulas domos testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum. Et rursus: Quapropter contestor vos hodierno die, quòd mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarim omne consilium Dei vobis.

Audis Paulum, quàmuis in tertium cælum raptus audiuerit arcana verba, quæ fas non sit homini loqui, tamen Euangelion per reuelationem Iesu Christi acceptum fideliter annunciaffe, nulla prorsus re ad salutem necessaria prætermissa.

Quòd si Faber dicat, hæc de vocali tantùm prædicatione, non autem de scriptis Pauli intelligenda esse, respondebit ei D. Ioannes, inquit: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: (si enim scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur libros) Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus est Christus ille filius Dei: & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Ita non dubium est, Apostolos multas præclaras conciones passim in toto terrarum orbe habuisse de Christo, eiusq; regno, quarum pauca de scriptæ sunt. Nihilominus tamen in ijs quæ scriptæ extant, plenè solideq; traditum est, quicquid ad salutem est necessarium.

## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI

Quomodo enim Christus celasset aliquid illos, quibus dicit: *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem non est datum?* Matth. 13. Dicit quidem alibi: *Adhuc multa habeo quae vobis dicam, sed non potestis portare nunc. Verum continuo subiungit: Cum autem venerit ille qui est spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Si ergo per promissum spiritum veritatis omnia reuelata sunt Apostolis, quae haec esset ipsorum crudelitas, si invidentes nobis salutem nostram, ea quae ad consequendam ipsam necessario requiruntur, occultassent? Optat Paulus anathema esse à Christo pro fratribus suis iuxta carnem, hoc est, impijs Iudaeis: & ceteras et gentes, quarum praecipue Doctor constitutus est, ea quae ad salutem necessaria sunt? Quam id deceret tantum Apostolum, quis adeo caecus est qui non videat?*

*Aspulantur nobis vetustissimi Scriptores Ecclesiastici, quorum testimonia adscribere non abs re visum est.*

### Tertullianus in libro de Praescriptionibus, aduersus Haereticos.

*Hanc igitur dirigimus praescriptionem: Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipientes praedicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit: nec alijs videtur reuelasse filius quam Apostolis, quos misit ad praedicandum, verum quod illis reuelauit. Quid autem praedicaerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsiis praedicando, eam viva (quod aiunt) voce, quam per epistolas.*

### Ambrosius lib. 4. de Virginibus.

*Quae Christus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Christus est.*

*Idem*

Idem in 1. Corinth. 4.

*Quicquid non ab Apostolis traditum est, sceleribus plenum est.*

Hieronymus super Matth. cap. 23.

*Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Augustinus in Iohan. Tract. 49. cap. 11.

*Nam cum Dominus Iesus multa fecisset, non omnia scripta sunt, sicut idem ipse sanctus Evangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fecisse, quae scripta non sunt. Electa sunt autem, quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur.*

Chrysostomus in Matth. cap. 22. Homelia 4 1.

*Quicquid quaeritur ad salutem, totum iam impletum est in scripturis.*

Cyrillus ad Reginas de recta fide.

*Necessarium nobis est, diuinas sequi literas, & in nullo ab earum praescripto discedere.*

Theophylactus in epistolam ad Romanos cap. ultimo.

*Qui aliquid adferunt praeter Apostolorum doctrinam & dogma, scandala, ac haereses & dissensiones inducunt.*

*Itaque uno ore nobiscum fatentur Patres, scripturam abunde docere, quicquid necessarium ad salutem sit: nec indigere nos ulla alia reuelatione extra scripturas. Quia autem Apostolorum acta & scripta, sunt interpretatio seu enarratio sacrae Scripturae, certissimum est hac sola reuelatione omnia nobis ad salutem necessaria esse patefacta: praeter quam qui alias reuelationes quaerit, temeraria cuiusdam curiositatis culpam sustinet. Neque enim extra vel supra scripturas sapere ullo modo conuenit.*



## SECUNDA CLASSIS, DE TESTI-

*Sed quid ad hæc Faber? Scribas imitatur & Phariseos. Vt enim isti signa de cælo petebant à Domino, cum iam pridem in terra cælestibus signis cumulati essent: ita Faber parum curat ea omnia, quæ Apostoli de verè Euangelica Missa, hoc est, de cænâ Domini scripserunt: aut certè fictitijs suis glossis ad Papisticam Missam decorquet. Vbi verò nihil hac de causa scripserunt, ibi de sacrificio Missæ, de vna specie, de alijsq; abominationibus Missæ, ita anxie & scrupulosè inquit, vt ab exccatis Iudæis, Ethnicis & Turcis testimonia mutuari non vereatur: sicut in Oracula classe dicitur.*

*O lepidum hominem, & Theologum bellissimum. Scripturas, vbi adsunt, repudiat: vbi desunt, scrutatur. Sic tandem nulla erit tam absurda opinio, nullus error tam pestilens, nulla tam blasphemica hæresis, quam non fictitiarum reuelationum suarum fucò pingere et excusare queat. Sed valeat Faber ac totum ipsius sodalitiũ cum fabulosis suis reuelationibus. Nos scripta potius sequamur Apostolorum, quos Christus Ecclesiæ suæ donauit, vt fundamentum iaciant eius structuræ, cuius caput & lapis angularis est Christus, in quo omnis structura coagmentata crescit in templum sanctum in Domino.*

*Habes nunc pie lector consentientia omnium Apostolorum suffragia, quibus testantur, cænâ Domini nostri Iesu Christi nõ esse sacrificium pro viuis & defunctis: sed esse cõmunionem corporis ac sanguinis Christi, in commemorationem ipsius. Itaq; si Faber Missam suam Euangelicam & Apostolicam esse demonstrare velit, alios Euangelistas & Apostolos habeat necesse est, quàm quos Christus Ecclesiæ suæ dedit, vt Paulus quarto ad Ephesios capite docuit.*

TER TIA

# Tertia Classis testi- MONIORVM, EX Prophetis.



**Q**UOD IN OPPUGNATIONE pertinax miles facit, qui à primo & secundo propugnaculo deiectus, subinde ad aliud atq; aliud confugit, nec, quamuis summis conclusus angustijs, hosti victori se vult dedere: idem Fabrum facit are videas. Destitutus enim in asserenda sua Missa noui Testamenti suffragijs, ad Prophetas, ceu Romani olim ad Triarios, sese recipit: Dauidem, Danielem, Malachiam, Mo-  
sen & Esaiam. Prophetæ, inquit, de Missæ sacrificio varicinati sunt. Vnde euicturum se arbitratur, Missam pro viujs & mortuis sacrificium esse.

Quamuis autem Prophetæ, quantum ad historiam attinet, prorsus nihil de cœna Dominica scripserint ( neq; enim Christus erat ipsis in carne manifestatus, sicut Apostolis & Euangelistis, qui, quod viderunt & audierunt, testatur ) tamen non detrectabo colloquium & dissertationem cum Fabro de Prophetarum etiam testimonijs. Spero enim me iuuante Deo id effecturum, vt Lector intelligat, Missam Fabri multò minus Propheticis, quàm Euangelistarum & Apostolorum testimonijs defendi posse.

Exordiar autem à testimonio Dauidis, Psalmo 110. de aeterno Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech. Quem locum tanquam abeneum murum Missæ suæ Faber substruit, cum pro stabiliendo errore ipsius quauis glacie sit fragilior. Verba Psalmi hæc sunt: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos

TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

Germa. fol. 53

54-55-

Latin. fol. 89.

90-91-92-

in aeternum secundum ordinem Melchisedech. His ex verbis Faber ita ratiocinatur: Christus esse Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Is panem & vinum obtulit. Christum igitur eadem offerre oportuit. Firmamento autem tali vitur. Quod Melchisedech Abrahamo benedixit, & decimas ab eo accepit, sunt quidem Sacerdotalia munia, verum omnibus Leuiticis seu Aaronicis Sacerdotibus communia: oblatio autem panis & vini soli Melchisedecho conuenit, non Aaronicis Sacerdotibus. Siquidem hi vitulos, boues, hircos, capras, arietes, oues, aliasque pecudes obtulerunt. Vt ergo Sacerdotium Christi cum Sacerdotio Melchisedechi congrueret, decuit Christum itidem offerre panem ac vinum. Porro id nusquam nisi in sacra Coena fecit, idemque Sacerdotibus noui Testamenti faciendum mandauit, in sui memoriam. Consequitur ergo, Missam esse sacrificium pro viuis & mortuis.

Simpliciter & distincte respondeo. Sacerdotium Melchisedechi figuram fuisse Sacerdotij Christi fatemur, edocti certissimo verbo Dei Psal. 110. Heb. 9. & 10. Sed Melchisedechum Deo patri panem & vinum obtulisse, atque hac in parte Christum Melchisedecho correspondere, negamus. Nec vitiosam suam consequentiam Faber ex sacris Scripturis unquam contexere poterit.

Nam in historia Melchisedechi Genes. 14. non extat apud Moysen verbum *Hickrib*, aut simile quodpiam, Hebraica phrasi sacrificium exprimens: Sed *Hogi*, quod verterunt Graeci, *ἕρως*: Latini, protulit: Germani, *Er trüg Herfür / oder / Er trüg entgegen* / Veluti cum ex cella aut penu, esculentum vel poculentum aliquid depromitur, atque prolatum conuiuii apponitur, quo vescentes recreentur. Consentit cum hac interpretatione Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 18. hunc ad modum scribens: Melchisedechus milites Abrahami hospitaliter habuit, nihil eis ad victum deesse passus: Simulque ipsum adhibitum mensae meritis laudibus

dibus extulit, & Deo, cuius favore victoria contigerat, debitos hymnos, ut sua pietate dignum erat, cecinit. Sed & ipsa vetus translatio non omnino repudianda est. Offerre enim, amplam significationem habet, nec significat tantum sacrificare, verum etiam representare, exhibere, porrigere. Ut, obtulerunt discipuli Domino partem piscis assi, id est, proposuerunt seu porrexerunt. Et, obtulerunt ei paralyticum, id est, representarunt & posuerunt ante eum.

Quia ergo Moses nihil de Melchisedechi sacrificio, sed de solo comaeatu agit, quem Abrahamo eiusque, seruis adduxerit, nec vlllo alio loco Melchisedechici sacrificij meminit: frustra laborat Faber, ut hinc Missam suam suffulciat.

Itaque restat aliud quid, cuius ratione & respectu Christus cum Melchisedech comparatur. Id quale sit, David perspicue explanat: Tu es, inquit, Sacerdos in æternum (vel, Sacerdos æternus) secundum ordinem Melchisedech. Vocula illa, **ÆTERNVS**, rationem similitudinis inter Christum & Melchisedechum, & rationem dissimilitudinis ac differentie inter Christum & Aaronicos Sacerdotes exponit: non, sicut Faber ineptit, oblatio panis & vini. Nam Aaronici Sacerdotes erant temporarij & mortales: sacrificia eorum imperfecta erant, & quotidie repetebantur. Contrà Christus in æternum permanet Sacerdos: & sacrificio suo semel in cruce oblato perfectos reddidit eos qui sanctificantur, ita ut posthac nullo alio sacrificio, nullaque reconciliatione opus habeamus.

Deinde, vocabulum Regis eandem similitudinem dissimilitudinemque explicat. Christus enim non Sacerdos tantummodo, sicut Leuitæ & Aaronici Sacerdotes, sed etiam Rex esse debuit. Rex inquam pacis & iustitiæ.

Tercio, ratione etiam benedictionis Christus cum Melchisedech conferri meretur. Benedicit enim filios promissionis, hoc est, credentes.

## TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

eredentes, qui sunt verum semen Abrahæ, spiritualibus & æternis benedictionibus.

Germ. fol. 55.  
Latin. fol. 92.

Sed quid opus est in re manifesta tam prolixè immorari? cum Faber ipse volens nolens sæpenumerò fateatur, Christum esse æternum Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech. Quòd si æternus Sacerdos est, æterna etiam esse necesse est munia & officia Sacerdotalia, à quibus nomen & dignitatem Sacerdotis habet. Dicat ergò nunc Faber, verum inter hæc duo Christi sacrificia æternum sit, & æternam redemptionem inueniat? crucis ne, an Missæ?

Germ. fol. 90.  
Lat. fol. 152.

Hic ingenuè fateatur, sacrificium Missæ non mansurum in æternum, sed tantum vsq; ad finem mundi, cum Christus visibili spectatur, ad iudicandum viuos & mortuos. Et alibi conficitur, sacramentalem fruitionem vnà cum hoc mundo descuram. Sed sacrificium crucis fateatur cum Apostolo Heb. 9. æternum esse, cuius virtus & efficacia perpetuò duratura sit, cum æternam redemptionem, Apostolo teste, inuenerit.

Ex quibus omnibus hoc conficitur: Christum esse æternum Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech, non ratione sacrificij Missæ, sed respectu sacrificij crucis. Aliàs vnà cum sacrificio Missæ, etiam Sacerdotium Christi finiretur: atq; ita non æternus Sacerdos esset.

Sin verò Faber respondeat, **ÆTERNVM** sæpè in scripturis longi tantum temporis durationem significare: pugnabunt cum hac responsione sua ipsius verba, pugnabit diuini verbi veritas. Cum enim ipse fateatur vim & efficaciam sacrificij Christi in æternum durare, fateatur simul, etiam tunc duraturum, cum tempus utpotè creatum quiddam, & totus hic mundus desierint. Hæc autem æterna virtus nulli sacrificio, nisi huius, quod in cruce peractum est, tribui potest: cuius commemoratio quedam est cæna Dominica.

Hanc

Hanc esse sententiam Spiritus sancti, non hominis alicuius commentum, eiusdem spiritus verba Heb. 7. declarant. Quis enim melius nouit ea que sunt Dei, quam Spiritus Dei? Sic autem inquit: Iesus iuxta ordinem Melchisedech Pontifex factus est in eternum. Nam hic erat Melchisedech Rex Salem, pontifex Dei altissimi, qui occurrit Abrahamæ, reuertenti à cæde Regum, & benedixit illi, cui & decimas ex omnibus impartitus est Abraham: qui primum quidem ex interpretatione dicitur Rex iustitiæ: deinde verò etiam Rex Salem, quod est Rex pacis, ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis, nec initium dierum, neq; vitæ finem habens, sed assimilatus filio Dei manet Sacerdos in perpetuum, &c. Quæ omni eodem capite copiosius tractata & expolita inuenies.

Ahæc, si Melchisedech, ratione panis & vini, typum quendam Missarici sacrificij præfigurasset, oportuisset Christum quoq; in cæna nil nisi panem & vinum offerre. Neq; enim Melchisedech corpus & sanguinem obtulit, nec ullus post Melchisedechum Sacerdos. Eò igitur tandem res redibit, nullum Sacerdotem corpus & sanguinem Christi offerre posse. En quàm aptè similitudo ista cum sacrificio Missæ conueniat?

Itaq; cum nec Psalmus 110. nec Epistola ad Hebræos, vel minimam quidem panis & vini à Melchisedecho prolati mentionem faciant, satis apparet, Christum nequaquàm hac ratione cum Melchisedecho conferri, ac Sacerdotem secundum ordinem ipsius appellari.

Sed ut & hoc Fabro concedam, (quamuis nolim, ut veritati hæc præscribat concessio) Christum in cæna Deo patri panem & vinum obtulisse, non tamen propterea Sacerdos erit secundum ordinem Melchisedech, sed erit potius Sacerdos secundum ordinem Aaronis. Nam Melchisedechum sacrificasse panem & vinum, nec Moses, nec Psaltes, nec Apostolus testantur. Et ut maximè

### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

tunc sacrificasset, semel tantum id fecisset. Neq. enim, vel ipse id sacrificium repetijt, vel alij, vt repeterent ac reiterarent, demant dant.

Sacerdotes verò Aaronici non solum immolarunt vitulos, boues, hircos, capras, arietes, oues, &c. vt Faber ait: sed sacrificarunt, etiam vinum & similia, in sacrificium & libamen: idq. compluribus singulis diebus, tam manè quàm vesperi, omnibus sabbatis & Neomenijs, Quos ritus Num. 29. & Deut. 18. copiosè descriptos, & à nobis breuitatis studio omisos, legere, qui volet, poterit.

Sic ergò, si sacrificium panis & vini spectes, Sacerdotium Christi & sacrificium Missæ (quod Faber Christo tribuit) erunt secundum ordinem Aaronis potius, quàm Melchisedechi. Id quod Epistola ad Hebræos vehementissimè impugnat. An non hoc est suo se iugulare gladio, & se suis ipsius verbis condemnare?

Sin omninò pertinacissimè Faber vrgeat, Christum ratione panis & vini cum Melchisedechi conferri: quæso cur non & ipse cum suis sodalibus pane & vino ita vratur, sicut Melchisedechum & Christum ijs vsos fuisse constat? Suprà enim ostensum est, Melchisedechum non obrulisse Deo patri panem & vinum, sed distribuuisse commearum defessis & famelicis militibus Abrahæ, vt cibo ac potu refecti vires colligerent. Adde, quòd id semel tantum fecit, nec vt alij id imitarentur constituit. Similiter & Christus in cœna panem & vinum Deo patri non obrulit, sed vt verba simpliciter sonant, discipulis edendum & bibendum dedit. Cur non idem faciunt Missarij? cur panem & vinum consecratum non distribuunt petentibus? si Melchisedechi & Christi exemplum imitari cupiunt? Imò verò, cur in priuatis Missis planè contrarium Melchisedechi & Christi exemplo admittunt? dum quasi uoropariter quandam usurpantes soli sacrificant, soli comedunt,

dunt, soli bibunt, interim plebecula nil nisi inane spectaculum, & histrionicarum gesticulationum phantasmata relinquunt.

Eat nunc Faber, & ex Sacerdotio Melchisedechi firmamentum Missæ suæ petat.

Et hæc quidem impræsentiarum de Sacerdotio Melchisedechi dixisse satis sit. Quoniam quid Patres de eo senserint scripserintque, consulto in classem Patrum reijcimus. Nunc alterius Prophetæ testimonium discutiendum suscipiemus.

Secundus Propheta, quem in partes suas Faber pertrahere conatur, est Daniel. Is nono & undecimo capitibus vaticinatur, iuge & quotidianum sacrificium Iudeorum auferendum, partim dolo, partim tyrannide fraudulentæ Regis, ab Aquilone egredientis. Hinc Faber ita colligit: Antiochum Epiphanem aboliturum esse quotidiana sacrificia templi. Hunc porro esse typum Antichristi. Futurum igitur, ut Antichristus quotidianum sacrificium Ecclesiæ, Missam videlicet, aboleat.

Germ fol. 63.  
Lat fol. 109.

Errursus: In Ecclesia novi Testamenti duplicia sunt sacrificia: Interna seu spiritualia, & externa. Antichristus autem interna abrogare non potest. Externum igitur, hoc est, Missaticum sacrificium abrogabit, ut Prophetia Danielis impleatur.

His sanè verbis non fictitiam tantummodò Missam suam Faber defendere studet: sed etiam omnibus Missam oppugnantibus hanc labem aspergit, quòd sub Antichristi signis militent. Hanc autem maculam mendacissimi hominis, vera & simplici responsione abstergemus.

Equidem Anthiochum Epiphanem, Danielis vaticinio præsignificatū esse, facile concedo, præsertim attestantibus Machabæorū libris, & Iosephi historijs. Nec inficias eo, hunc ipsum Antiochum abominandæ desolationis authorem, præcursorem exitisse Antichristi



### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

christi. Sic enim Christus ipse varicinium Danielis interpretatur Matthæi 24. Marci 13. & c. Sed Missam esse iuge illud sacrificium, quod Antichristus aboliturus sit, tam abesse, ut concedam, ut planè contrarium statuam. Demonstrabo enim sacrarum literarum & historiarum, quarum minimè dubia fides est, testimonijs: sodalitium Fabri, hoc est, colluuiem Pontificiam, verè Antichristi regnum esse, & Missam non modò non esse iuge sacrificium Ecclesie, sed ipsissimam abominationem desolationis, qualem Antiocho Daniel tribuit.

Enimvero iuge sacrificium, si propriè loqui velimus, significat tantum agnos anniculos duos, & quartam partem simila, & vini, qua holocausti & libamenti nomine per singulos dies à Sacerdote offerbantur, iuxta legem Domini. Exodi 29. & Num. 28.

Constat autem ex 1. Machab. 1. Antiochum Epiphanem non hanc tantum sacrificij speciem abrogasse, sed & reliquas omnes ceremonias & ritus Iudaicos: circumcisionem, sabbatum, festa, abstinentiam à carne suilla, totam deniq; religionem Leuitici sacrificij sustulisse, superinductis per vim & tyrannidem gentilijs & Græcis superstitionibus atq; idolomanijs. Itaq; Daniel abrogatione iugis sacrificij, non unicam tantum illam holocausti & libamenti speciem, sed totum cultum Iudaicum diuinitus institutum denotat. Vt sit at a enim Synecdoche est, qua pars pro toto, vel species pro genere ponitur. Et quidem Daniel expressè addit: Polluet sanctuarium fortitudinis, id est, totum cultum diuinum prophanabit.

Sic igitur nihil vltèrius ex hac figura Faber euincet, quàm quòd Antichristus generaliter verum & sincerum cultum Dei à Christo institutum sit aboliturus, quemadmodum olim Antiochus veros cultus in populo Iudaico aboleuerit. Nec sequitur inde Antichristum in Ecclesia inuenturum esse iuge sacrificium, quale apud Iudeos inuenit Antiochus. Pari enim ratione sequeretur

retur, etiam circumcissionem adhuc in vsu futuram esse, aliaq; absurda quam plurima.

Cæterum, quod Faber ait, Antichristum interna & spiritualia sacrificia abrogare non posse: quia etiam Tyranni, quantumvis in corpora sæviant, tamen cordis sacrificia pijs auferre nequeant: crassissimam profecto ignorantiam prodit, & declarat, se nescire, quid sit Christus, quid Antichristus, quæ utriusq; sint condiciones & officia, & quæ internorum atq; externorum cultuum sit differentia. Etsi enim magna est inter Antiochum & Antichristum similitudo ( ille enim verum cultum Iudæis abstulit, & Græcas idolomanias inuexit: hic verum cultum Ecclesiæ Christi abolet, & effertur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ) Tamen magna est in alijs partibus dissimilitudo. Nam Antiochus mundanus Rex & legitime electus fuit, & mundano regno, toti videlicet Syria, imperavit. Adhæc in terra Israëlitica externum & carnalem populum inuenit: inuenit & cultus externos, legem, sacerdotium, sacrificia, &c. Externam quoq; potentiam & tyrannidem in illos exercuit: externis armis pugnavit: suos etiam externos Antagonistas expertus est, Machabæos. Deniq; omnia in Antiochi Epiphanis imperio externa fuerunt, ut testantur historia.

Contra Antichristus, quamvis sanctos Dei homines etiam externa vi persequatur, proprie tamen loquendo non est legitimus Magistratus mundanus, proinde nec tyrannus mundanus esse potest. Tyrannus enim est, qui contra ius & fas legitima potestate illegitime abutitur. Sed proprie, iuxta etymon nominis, Antichristus est, aduersarius & hostis Christi, filius perditionis, qui insurgente Sathana, & permittente Deo, scelerata libidine se in templum Dei & gubernacula Ecclesiæ ingerit, & effertur aduersus omne id quod dicitur Deus, aut cultus Dei, ostentans se ipsum esse Deum. Pugnât etiam tanquam spiritualis hostis, contra spiri-

### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

tuale regnum Christi, armis spiritualibus, & sub spirituali prædicatione atq; hypocrisis ita latet personatus & laruatus, ut non nisi à spirituali Machabeo reuelari & interfici possit, spiritu videlicet oris Domini, hoc est, verbo Euangelij.

Quandoquidem igitur Antichristus est spiritualis tyrannus, spiritualis etiam erit tyrannus ipsius, & spiritualia oppugnabit. Quæ sunt ergo spiritualia sacrificia in spirituali regno Christi? Primum & præcipuum est, sacrificium Christi pro expiandis peccatis in cruce litatum. Alterum est prædicatio Euangelij incorrupta, & legitimus usus sacramentorum. Deinceps sequuntur & alia, oratio, gratiarum actio, mortificatio veteris hominis, eleemosynæ, & similia, de quibus infra dicemus, ubi peculiariter tractationem de sacrificijs susceperuri sumus.

Quæ sunt autem arma spiritualia, quibus Antichristus spiritualia illa noui Testamenti sacrificia immani crudelitate oppugnat? De his Paulus nos edoceat 2. Thessa. 2. Cuius est aduentus, inquit, secundum operationem Sathanae, cum omni potentia, & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitia in ijs qui pereunt. Et 1. Tim. 4. Attendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis demoniorum per simulationem falsiloquorum, &c. Quibus verbis graphice depingit Paulus spiritualia Antichristi arma: videlicet, operationem Sathanae, hypocrisim, falsiloquium, deceptionem, deniq; & miracula, & quidem tanta, ut si fieri posset, etiam electi seducerentur.

Nam sacrificium propiciatorium oppugnat Antichristus impia doctrina satisfactionis, & priorum meritorum. Prædicationem Euangelij obscurat humanis traditionibus: virtutem baptisimi extenuat Monasticorum votorum præconijs: verum usum canonicæ Dominicæ euertit per Missaticum sacrificium: preces fidelium detorquet ad inuocationem sanctorum. Breuiter, mendaci & fraudu-

fraudent a tyrannide multò crudelius vastat interna & spiritualia noui Testamenti sacrificia, quàm mundani tyranni illis quantumuis atrocissimis persecutionibus vastare queant.

Fuit itaq; Antiochus Epiphanes, qui in corpora & fortunas Iudeorum seuebat, typus Antichristi, qui utpotè spiritualis hostis in animas Christianorum seuit. Et quemadmodum Antiochus corporalibus armis externum sacrificium Iudeorum aboleuit: sic Antichristus spiritualibus armis interna sacrificia cordis abolet. Nihil ergò hic locus Fabri Missam adiuuat.

Citat Faber & aliunde testimonium de Missa, ex Danielis capite septimo: ita pueriliter tamen, & absurdè, ut me respondere pigeret, nisi mirificè sibi ob tam egregium firmamentum placeret, & palmarium se reperisse putaret. Apud Danielelem, inquit, legis, Angelos obtulisse filium hominis, in conspectu antiqui dierum, id est, Patris cœlestis. Et videntur hinc desumpta verba illa canonis: Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tue, &c. Hinc Faber colligit, Missam esse sacrificium incuruentum.

Germ. fol. 47.  
Latin. fol. 78.

Quid audio? Num & sancti Angeli facti sunt Missarij & sacrificuli? Certè Faber ipse alibi dicit, solis Sacerdotibus hanc collatam esse potestatem, ut ex pane & vino corpus & sanguinem Christi conficiant, & in altari offerant. Cui & Gabriel Biel assentitur, lectione 4. Litera B. Ad Sacerdotij, inquit, auctoritatem Angeli cœlorum ciues, non audent aspirare. Cui namq; Angelorum aliquando dixit Deus: Hoc facite in mei commemorationem? Itaq; Faber & sibi ipsi & Gabrieli Biel contrariatur, imò & ipsi Prophete Danieli, & Gabrieli Archangelo, qui tam hanc quàm alias visiones Prophete explicat.

Germ. fol. 18.  
Latin. fol. 31.

Licet enim verbum (obtulerunt) quod ex veteri translatione Faber

### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

Faber arripit, sæpe in scripturis sacrificare significet: tamen circumstantiæ illius loci non patiuntur id de sacrificio intelligi. Sed simpliciter significat, Appropinquare fecerunt, vel Adduxerunt, non ad sacrificium, sed ad iudicium. Vaticinatur enim Daniel eo in loco, Christum à Deo patre constitutum esse iudicem viuorum & mortuorum. Quemadmodum autem in foro & iudicio civili primo collocantur subsellia: deinde iudex cum toto Assessorum collegio ordinè confident: post accusaciones & responsones vtrò citroq; allatæ audiuntur: tandem iudicialis sententia promulgatur, & in executionem deducitur. Ita in nouissimo die, cum aduenerit tempus iudicij, vt reueletur, quicquid fuit absconditum, & accipiat vnusquisq; secundum opera sua: ibi tum Pater ipse, quantumuis supremus Monarcha sit, non exercebit iudicium, sed Angeli, tanquam satellites, filium hominis in nubibus comitabuntur, & ad patrem cælestem adducent, vt Regalia, & iudicalem potestatem (quod in collatione Feudorum fieri videmus) accipiat. Sicut Daniel confestim subiicit: Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Et Christus ipse Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Et iterum: A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli Matth. 26.

Quòd si Angeli ipsi filium hominis non obtulerunt, hoc est, sacrificarunt, quomodo Faber sacrificium humanum inde euincet? Sed esto sanè, quòd Angeli Christum sacrificarint: num ideo fuit imago sacrificij Missarici, & non potius sacrificij in cruce offerendi?

Alios ergò Missæ suæ patronos querat necesse est, quàm Danielelem, qui ne per somnium quidem vnquam de Missarico sacrificio cogitauit, cum de Antiochi Epiphaniæ vastatione, & extremo iudicio vaticinaretur.

TERTIVM nunc Prophetam Faber in subsidium  
aduocat,

aduocat, Malachiam, primo capite ita vaticinantem: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

Germ fol. 61.  
Latin, fol. 107

Ex hac Prophetia tale argumentum contexit Faber: Prophe-  
ta promittit nouum sacrificium, in toto orbe offerendum. Porro id  
Aaromicum sacrificium esse nequit, cum hoc auferendum & no-  
uum huic successurum sit. Nec intelligi potest de internis & spiri-  
tualibus sacrificijs, hæc enim & antea semper necessario præstan-  
da erant à Patribus, tam sub natura quam scripta lege de genti-  
bus. Sed nec ipsa crucis hostia denotata est: ea namq; semel & vno  
in loco, nempe Ierosolymis litata est. Superest igitur Prophetæ  
vaticinium nouum quoddam sacrificij genus spectasse, Missam ni-  
mirum, in qua corpus & sanguis Christi sub panis ac vini specie  
Deo Patri sacrificantur.

Hic primum mihi vide egregias Fabri glossas. Nam cum  
Propheta simpliciter dicat, oblationem **MUNDAM** in  
omni loco oblatam iri, Faber pro consuetâ suâ peregrina lingua in-  
terpretatur, **NOVAM** oblationem: eamq; vocem sexies  
vno folio repetit. Quæ autem sit inter **MUNDVM** &  
**NOVVM** differentia, lippis & tonsoribus notum est. Mun-  
dum enim idem est quod purum, immaculatum, carens labe. No-  
uum verò id significat, quod antea non extitit. Vnde ergò Faber  
affingit hanc voculam, **NOVVM**? In textu certe non in-  
uenitur. Nec Patres hoc vaticinium interpretantes, de nouo, sed  
de mundo tantum sacrificio loquuntur: vt infra ostendemus. Ex  
suo ergò cerebro hanc appendicem attexit, tantum vt argumen-  
ti sui hiatum expleret. Nam sine hac additiuicula essent dissolutæ  
scope.

N      Prophetæ

## TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

Propheta autem non loquitur de nouo aliquo sacrificio, quod antea nunquam oblatum fuerit: sed de mundo & puro sacrificio, illo ipso nimirum, quod apud Patriarchas, Prophetas & omnes veros Israëlitas inde ab exordio mundi usque ad Christum, in usu fuit.

Vaticinatur enim Propheta de vocatione gentium, qua per totum orbem terrarum disseminata voce Euangelij colligenda sunt: unde nomen Domini, quod antea Iudæis tantum innotuerat, etiam inter gentes magnū, hoc est, celebre & gloriosum sit futurum. Gentes enim Dominum vera fide agnoscentes, inuocantes & confitentes, nomen eius celebrabunt & benedicent. Hæc ergo est Propheta sententia: Quemadmodum Deus antehæc notus fuit Patriarchis, Prophetis, & populo Iudaico, & certis etiam sacrificijs religiosè cultus: ita diuulgato Euangelio Christi, passim in toto mundo cognoscetur, & offeretur ipsi in omni loco munda oblatio. Gentes enim ad fidem conuersæ, non sacrificabunt boues, oues, capros, agnos, & similes pecudes: sed iuxta vaticinium Osee cap. 13. reddent vitulos laborum, hoc est, prædicabunt, confitebuntur, inuocabunt, gratias agent, & celebrabunt sanctissimum nomen Dei per Iesum Christum, ex vera fide. Quæ omnia non sunt nouus quidam cultus, sed dilatationem & propagationem tantum veteris, imò vetustissimi cultus diuini significant.

Prædicationem autem Euangelij, & ceteros fructus fidei, esse mundam illam oblationem gentium, Propheta suis ipsius verbis declarat. Offeretur, inquit, nomini meo oblatio munda. Quomodo, aut qua ratione illud fiet? Quia magnum, inquit, nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Magnificatur autem nomen Domini prædicatione Euangelij, alijsque fructibus fidei. Gentes, inquit Paulus Rom. 15. glorificant Deum pro misericordia, sicut scriptum est Psalm. 18. Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Et rursum Psalm. 117. Laudate Dominum

minum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et rursum Esaias dicit: Erit radix Jesse, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt. Esa. 11. Et mox de se ipso loquens Paulus: *Ut sum, inquit, minister Iesu Christi inter gentes, administrans Euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per spiritum sanctum.*

Vides itaq; Fabrum verba Malachie violententer contra aliorum Prophetarum & Apostolorum testimonia ad istud recens confictum Missæ sacrificium detorquere. Pergamus nunc ad aliud quoddam alterius Prophetæ testimonium.

QUARTO enim loco Faber pro asserenda Missa sua profert leges Mosaicæ de Sacerdotio & sacrificijs Leviticis: atq; hunc in modum ratiocinatur: Quemadmodum Dominus per Moesem in veteri Testamento Sacerdotium & sacrificia instituit: sicut in Exodo cap. 28. & 29. & Num. 39. legitur. Ita suum etiam est noui Testamenti Sacerdotium, quod purissimam simulam, hoc est, corpus & sanguinem Christi sub panis & vini speciebus quotidie sacrificat.

Quid dicam? Faber in Missatico suo sacrificio ita perplexus hæret, ut phreneticorum more sui ipsius oblitus, quid dicat, quidve agat ignoret. Antea enim acerrimè dimicauit, ut Sacerdotes noui Testamenti secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaronis institutos esse conuinceret. Nunc è contrario Aaronicum Sacerdotium fundamenti loco ponit, cui Papisticum Sacerdotium & sacrificium Missæ superstruat:

Sanè externum Sacerdotium in Lege typum fuisse Sacerdotij in nouo Testamento, & nos facemur, assentientes Epistola ad Hebræos, prolixè hanc materiam tractanti. Sed non necessariò sequitur, in Ecclesia Christi etiam esse externum Sacerdotium, in quo certæ quædam personæ peculiaribus ceremonijs consecrentur,



### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

ad externa sacrificia peragenda destinantur, quae reliquis Christianis non sint communia. Nihil ex nuda figura Leuitici Sacerdotij Faber euincet: sed quemadmodum Moses in lege Exod. 28. & 29. expressis verbis externum Sacerdotium Aaronicum cum omnibus circumstantijs instituit, ita & Fabrum probare oportebit expressis & perspicuis noui Testamenti verbis, Christum vel Apostolos externum sacerdotium & sacrificium instituisse. Hoc ut probaret, multum quidem in torquendis verbis prima instituit conisudauit, sed quàm vano labore, ex classe Euangelistarum & Apostolorum discere lector potuit. Ego verò contrarium demonstrabo: videlicet neq; Christum neq; Apostolos externum Sacerdotium & sacrificium Missaticum in Ecclesia vel exercuisse vel instituisse.

Ne autem Faber existimet, me tantum velle  $\lambda\omicron\gamma\omega\mu\alpha\chi\epsilon\iota\varsigma$ , ante ingressum disputationis definiam, quid nomine Sacerdotis intelletum velim. Ita elucescet, hanc controuersiam non esse verbalem, sed realem, vel (ut Graeci loquuntur) non esse  $\lambda\omicron\gamma\omega\mu\alpha\chi\epsilon\iota\varsigma$ , sed  $\pi\alpha\tau\epsilon\upsilon\alpha\tau\omega\mu\alpha\chi\epsilon\iota\varsigma$ . Agitur enim de toto negotio, cui tam speciosus titulus Sacerdotij praetexitur.

Vocabulum (Sacerdos) latè patet, & communi significatione designat eum, qui cultui diuino addictus & dedicatus seu destinatus est. Germanica autem vox (Priester) nimis angusta est, quàm ut amplam illam & latè diffusam latini vocabuli significationem exprimat.

In nostra siquidem vernacula lingua, Sacerdotes (Priester) intelliguntur soli illi, qui consecrati seu initiati sunt ad celebrandum sacrificium pro viujs & mortuis.

Vera autem officia sacerdotalia tribus his partibus absoluntur, docendo, orando, sacrificando. Tales Sacerdotes erant in lege Mosi. Primò, administrabant officium docendi, teste Malachia cap. 2. Labia, inquit, Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius. Secundò, orabant & deprecabantur pro populo

populo. Num. 16. Tertio, sacrificabant Domino omnis generis sacrificia pro populo. Exod. 28. Sic Ethnici quoq; anachites suorum idolatricorum cultuum vocabant Sacerdotes, non tam propter sacrificia, quàm propter sacrorum oraculorum (quæ Dij ipsorum ædebant) interpretationem. Eodem sensu & Iurisperiti, Sacerdotes dicuntur, non quòd iura sacrificent, sed quòd iura tractent, interpretentur, consulant, & in rebus dubijs de iure respondeant atq; decident.

Nunc ergò dispiciamus, quid de Sacerdotibus & Sacerdotio in nouo Testamento scriptum extet: & an aliquid de Missatico sacerdotio & Missaticis sacrificiis traditum sit. Cur enim nos Christiani eiusmodi sacerdotium amplecteremur, quod institutione & vocatione diuina careret?

Aaronicum Sacerdotium non humano figmento, sed diuina ordinatione institutum fuit: alioqui fuisset irritum, imò etiam idolatricum. Et Christus sibi ipsi non vsurpauit honorem sacerdotij, sed à patre ad id vocatus atq; glorificatus fuit. Heb. 5. Multò minus in nouo Testamento Sacerdotium valebit, quòd sine omni testimonio diuine voluntatis solo hominum arbitrio & electione instituitur.

Triplex autem Sacerdotium in nouo Testamento ab Apostolis & Euangelistis describitur.

Primum est vnicum & æternum Sacerdotium Domini nostri Iesu Christi.

Secundum est spirituale Sacerdotium, Christianis omnibus commune.

Tertium Sacerdotium Apostolis alijsq; ministris Ecclesie proprium & singulare est.

TERTIA CLASSIS, DE TESTI-  
DE VNICO ET ÆTER-  
no Sacerdotio Christi.

**E** Pistola ad Hebraeos Sacerdotium Christi à quinto capite usq[ue] ad decimum accuratè & exquisitè per omnes circumstantias describit, & antithesi quadam Christi & Leuiticum Sacerdotium conferens, distinctè docet, quibus in rebus utraq[ue] tum conueniant tum differant. Quia verò benè longa est illa disputatio, repetitio eius odiosa esset futura, si de verbo ad verbum exscriberetur. Ideoq[ue] breui quadam summa veriusq[ue] Sacerdotij conuenientiam & discrepantiam complectar. Si cui libet, integram Apostoli translationem perlegat.

Conueniunt autem Christi & Aaronis  
Sacerdotia, in his partibus.

1. *Utrobiq[ue] est Sacerdotium vnum.*
2. *Utrumq[ue] Sacerdotium ab ipso Deo institutum est.*
3. *Utrumq[ue] suum habet tabernaculum.*
4. *Utrumq[ue] habet sacrificia.*
5. *Veriusq[ue] sacrificia occiduntur.*
6. *In vtriusq[ue] sacrificijs fit effusio sanguinis.*
7. *Veriusq[ue] sacrificia semel sunt.*
8. *Veriusq[ue] sacrificia expiant peccata.*

Discrepant porrò in sequentibus  
partibus.

1. *Vnum est secundum ordinem Aaronis: Alterum secundum ordinem Melchisedech.*
2. *Vnus Sacerdotum est infirmus, peccator & mortalis homo, habetq[ue] suos successores: Alter præterquam quòd homo est,*  
et

& quidem sine peccato, etiam Deus est, & in æternum permanet.

- 3 Vnus & populi & sua ipsius peccata reconciliat: Alter tantum populi peccata expiat.
- 4 Vnus est externus: Alter spiritualis.
- 5 Vnus à Deo quidem institutus est, sed absq; iureiuranda: Alter autem iureiurando confirmatus est.
- 6 Vnus habet terrestre tabernaculum: Alter cœleste.
- 7 Alter sacrificat in terris: Alter etiam in cœlis.
- 8 Alter immolat boues, agnos, hircos, &c. Alter seipsum.
- 9 Alter mactat pecudes ad sacrificium: Alter suum ipsius corpus & vitam.
- 10 Vnus effundit alienum sanguinem: Alter suum proprium.
- 11 Vnius sacrificium semel tantum fit in anno: Alterius semel tantum in vltimis temporibus.
- 12 Vnius sacrificium expiat peccata externa in legem commissa: Alterius verò, expiat interiora peccata conscientia.
- 13 Vnius sacrificium est imperfectum, ideoq; saepe repetitur: Alterius, est perfectum, ideoq; fit semel tantum.

Ex his omnibus tandem concludit Apostolus, Leviticum Sacerdotium fuisse typum & exemplar Sacerdotij Iesu Christi: & Christum vnico suo & aeterno sacrificio illud consummasse ac prorsus abrogasse.

Adhæc, Christus non solum abrogat vetus Sacerdotium Leviticum: Sed occurrit etiam Apostolus in hac collatione omnibus alijs futuris Sacerdotijs atq; sacrificijs, quæ vllò vnquam tempore excogitari poterunt. Nam singula ferè verba, quibus in collatione vtriusq; Sacerdotij vitur, eo dirigit, vt ostendat Christum cum suo vnico, perfecto, spirituali, cœlesti & aeterno Sacerdotio, nullum aliud externum Sacerdotium & sacrificium vel ante se, vel iuxta se, vel post se, tolerare posse. Ideoq; Christus Leviticum illud Sacerdotium

### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

cerdotium non solum de tribu in tribum transtulit: verum etiam externum in internum, temporarium in aeternum commutauit.

Si enim Deus præter filij sui Sacerdotium & sacrificium, etiam externum aliquod extare voluisset, nunquã profecto voluntatem suam mutasset, sed vetus illud Sacerdotium à seipso institutum in suo vigore reliquisset: nec passus fuisset templum, altare, Sacerdotes, & Sacrificia antiquissima, diripi ac deuastari à Vespasiano & Tito, Romanis Imperatoribus.

Hæc de primo genere Sacerdotij, quod solius Christi est, ex Epistola ad Hebræos ceu commentario quodam Leuitici Sacerdotij dixisse sufficiat. Quæ omnia quomodo cum Missatico sacrificio conueniant, Faber viderit.

### DE SPIRITVALI SACERDOTIO, quod omnibus Christianis commune est.

Quanquàm Christus solus sit spiritualis Sacerdos & Pontifex noui Testamenti, vt modò dictum est: tamen quemadmodum nos tanquàm fratres & cohæredes suos omniũ suorum cælestium bonorum participes facit, ita quoq; omnes in se credentes consecrat in regale Sacerdotiũ, vt in Spiritu & veritate omnia Sacerdotalia officia administrent, hoc est, doceant, orent, sacrificent.

De hoc spirituali Sacerdotio scribit Petrus, secundo capite prioris Epistolæ: Vos ipsi quoq; inquit, veluti viui lapides adificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et modò: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit, vt virtutes predicetis illius, qui è tenebris vos vocauit in admirabilem suam lucem.

Quæ sanè verba Petrus non scribit consecratis sacrificiis Missarijs,

sarijs, sed (quod inscriptio Epistolæ docet) electis aduenis, spar-  
sim incolentibus, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bi-  
thyniam. Causam insuper reddit, quare Sacerdotes sint: videlicet,  
ut spirituales hostias offerant, utq; virtutes prædicent illius, qui  
è tenebris idolatriæ & variorum errorum in lucem agnitionis Dei  
ipso vocauerit atq; perduxerit.

Iohannes Apocal. 1. Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à pec-  
catis nostris per sanguinem ipsius, & fecit nos Reges & Sacerdo-  
tes Deo, & patri suo.

Et post cap. 5. Redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex om-  
ni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro  
Reges & Sacerdotes.

Et cap. 20. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurre-  
ctione prima. In ijs secunda mors non habet potestatem, sed erunt  
Sacerdotes Dei & Christi.

In his quatuor locis mentio fit Sacerdotij in nouo Testamento,  
& nullibi præterea, nisi in Epistola ad Hebræos. Cum autem hæc  
Epistola de unico & æterno Christi Sacerdotio, reliqui loci, de Sa-  
cerdotio omnibus Christianis cõmuni, loquantur, adhuc Fabri Mis-  
sa claudicat.

## DE SACERDOTIO APO- stolorum, aliorumq; ministrorum Ecclesiæ proprio.

**E**tsi nomen SACERDOTIS in toto nouo Testa-  
mento Apostolis ac cæteris Ecclesiæ ministris nunquam tri-  
buitur, eo quidem sensu, quo Faber pro Missarijs sacrificiis inter-  
pretatur: tamen si Faber alia testimonia ex nouo Testamento pro-  
ferret, quibus Christus externum Sacerdotium & sacrificium A-  
postolis vel alijs Ecclesiæ ministris mandasset, quæue Apostolos ta-  
le quid-

TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

le quiddam sibi usurpasse conuincerent, de nomine ac titulo sancti (potesſ enim omnibus ministris Ecclesie tribui) non litigaremus. Neq; enim de nomine Sacerdotis, sed de externo opere atq; officio inter nos controuertitur: de sacrificio nimirum Missatico, in quo sub specie panis & vini corpus & sanguinem Christi Deo patri offerre tentant Missarij.

Age ergò videamus, quomodo Dominus Ecclesie sue prospexit, ordinandis ministris & ministerijs necessarijs, num forsan & Missas & Missarios Sacerdotes inuenire liceat?

Apostolos numero duodecim emisit Iesus, quibus præcepit, dicens: Profecti prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cælorum. Matth. 10.

Et rursus: Data esſt mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunq; præcepi uobis. Matth. 28.

Marci 16. Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creature. Qui crediderit, & Baptisatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur.

Actorum 1. Eritis mihi testes non solum Ierosolymis, uerum etiã in uniuersa Iudæa, Samariaq; deniq; usq; ad extrema terra.

Paulus 1. Corinth. 12. Et alios quidem, inquit, posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deindè Prophetas, tertio Doctores, &c.

Ephes. 4. Et idem dedit, alios quidem Apostolos, alios uerò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores at Doctores.

Actorum 20. Paulus seniores Ephesi ita adhortatur: Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Officium porrò Episcopi Paulus satis explicauit 1. Tim. 3. Vbi non solum exigit, vt sit irreprehensibilis, verum etiam vt sit doctus, aptus ad docendum.

Et Tit. 1. Episcopum vult non solum esse inculpatum, sed tenacem quoq; eius qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, vt potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere.

Officium autem Diaconorum erat, ministrare mensis, hoc est, curare necessitatem pauperum & indigentium, Act. 7.

Hi sunt loci noui Testamenti, in quibus Ministri Ecclesie à Christo ordinati, & ab Apostolis atq; Euangelistis iuxta ministeria & officia sua descripsi sunt. De Missarijs autem sacrificulis altum est silentium. Nec mandatur cuiquam Missaticum officium, sed solum officium docendi ac prædicandi Euangelion.

Apostoli namq; erant illi, qui toto orbe circumambulantes Euangelion prædicabant: ac testes erant resurrectionis Christi. Marci 16. Act. 1. Euangelistæ erant, qui vel historiam vitæ Christi describebant, vel certis in locis Christum purè prædicabant. Prophetæ erant interpretes & enarratores scripturarum 1. Corinth. 14. Hos sequebantur Pastores & Doctores, qui apud nos dicuntur Pastori. Hi fixis sedibus passim in ciuitatibus cum Ecclesia permanebant (quemadmodum pastor cum grege) & instabant docendo, arguendo, exhortando &c. pro vt Ezechielis 34. officium pastoris describitur. Deniq; erant & Episcopi, quasi superintendentes & inspectores aliorum pastorum: quales fuerunt Timotheus ac Titus. De horum omnium communi officio Paulus scribit 1. Cor. 4. Sic nos æstimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et rursus 2. Cor. 5. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos rogamus pro Christo, reconciliemini Deo, &c.

Quòd si Sacerdotium Missaticum tempore Apostolorum fuis-



### TERTIA CLASSIS, DE TESTI-

set præcipuum & primarium in Ecclesia ministerium ( quemadmodum Faber in 1000 suo libro iactitat ) fieri profecto non potuisset, quin Euangelistæ & Apostoli aliquam saltem mentionem eius fecissent, cum omnium aliorum Sacerdotiorum & ministrorum Ecclesie descriptionem susceperint, adeo, ut ne Diaconorum quidem sint obliti.

Quandoquidem verò nihil de eo scripserunt, certum est, Sacerdotium, sacrificium & officium Missæ, temporibus Apostolorum prorsus fuisse ignota: & longo demum tempore post, ex hominum placitis, iuxta exemplum Sacerdotij Leuitici, in Ecclesiam introducta, indies magis magisque crescente cecitate, maiora subinde incrementa sumpsisse, donec tandem in hanc indigestam molem excreuerunt, quam nostra tempestate vidimus. Sed plura de his dicendi occasionem præbebit Classis quinta, quæ Patribus assignata est.

Germ. fol 67.  
Latin. fol 111.

Porro Esaie testimonium, quod ex capite sexagesimo primo Faber allegat: Vos ( Apostoli & ministri Ecclesie ) Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicitur vobis: nihil instituto Fabri seruit. Nam etiamsi de solis Apostolis intelligendū esset, non sequeretur tamen illos futuros Sacerdotes Missarios. Testantur enim omnes loci illius circumstantiæ, Prophetam loqui tantū de Sacerdotibus docentibus, qui & ipsi sunt ministri Dei. Et quemadmodū Christus eodem capite spiritu Domini ungitur, et ad **EVANGELIZANDVM** mittitur, ut **PRÆDICE**t captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: ita etiam arbores iustitiæ, & plantatio Domini, hoc est, Apostoli, edificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent. Quo nam modo, aut quo instrumento? num canone Missæ? minime vero: sed, quemadmodum & ipse Christus, prædicatione Euangelij.

Olim dicebant, Vesperas nec meliorem nec deteriorem reddere hominem: quod inde accidebat, quia nullæ habebantur conciones vespertinæ.

vespertina. Sed nos verè possumus idem affirmare de Canone Missæ, quòd hominem non immutet, sed qualem acceperit, talem dimittat. Quia enim non annunciat publicè, nec prædicatur lingua cognita, nè tantillum quidem ædificat. Si enim Sacerdos in Ecclesia linguis loquatur, hoc est, submissa voce & ignota lingua Missam celebret, & ingrediantur increduli, nonne dicent ipsum insanire? Quòd si prophetet, id est, concionetur & scripturas explicet, ingrediat autem incredulus, coarguitur à Sacerdote & dijudicatur: sic occulta cordis eius manifesta fiunt: atq; ita procidens in faciem adorabit Deum, renuncians, quòd Deus reuera in Ecclesia illa sit. Hoc verè est ædificare deserta gentium. Necesse igitur est, Apostolos esse Doctores, non sacrificulos Missarios, ut vaticinium Esaiæ impleatur.

At nequaquam Fabro concedimus, hanc Prophetiam Esaiæ de solis Apostolis & ministris Ecclesiæ esse prædictam. Pertinet enim ad omnes credentes, qui in Christo spirituales Sacerdotes vocantur, & quorum opera omnia ex fide profecta sunt acceptabiles hostiæ coram Deo, ut supra dictum est.

Quare, ut superiora omnia in unam summam colligam, Faber ex Levitico Sacerdotio nihil aliud emittit, quàm Christum solum in nouo Testamento unicum & æternum esse Sacerdotem, per quem omnes credentes fiant spirituales Sacerdotes: Apostolos autem, aliosq; ministros Ecclesiæ esse Sacerdotes non missificantes, sed prædicantes Euangelion.

Itaq; cum nec David, nec Daniel, nec Malachias, nec Moses, nec Esaias, Missaticum sacrificium approbent, alios necesse est Prophetas habeat Faber,  
 si tueri Missam suam  
 velit

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-  
 Quarta classis testi-  
 MONIORVM, EX SAN-  
 cta Catholica Ecclesia.



**V**E M A D M O D V M Faber testimonijs Euangelistarum, Apostolorum & Prophetarum, conatus est Missaticum sacrificium asserere: ita nunc sanctae Catholicae Ecclesiae auctoritatem obtendit: cuius post sacra Biblica scripta maximum pondus est atq; momentum. Sic enim Christus ipse inquit Matth. 18. Qui ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Hic autem summa opera danda est, ut agnoscamus, quae sit vera, sancta & Catholica Ecclesia: habet enim & Diabolus suam ecclesiam, quae malignarum dicitur. Ergo si Faber testimonium verae Catholicae Ecclesiae proferat, non minus ei credendum est, quam ipsis Prophetis, Apostolis, Euangelistis, & ipsi deniq; Christo. Sin alterius ecclesiae testimonium d:promat, non patiamur nobis tam splendido fucatae ecclesiae titulo oculos perstringi: sed multo magis obseruemus ac reueremur Patrem, hoc est, Christum ipsum, quam Matrem, imò Nouercam potius, hoc est, falsam & hypocriticam Ecclesiam.

Hanc autem Faber iudicat esse Catholicam Ecclesiam, quae ordinaria successione S. Petri sedem teneat, credatq; id, quod ubiq; semper, & ab omnibus unanimiter creditam confessumq; sit. Eam ipsam porro esse Romanam ecclesiam, in qua Iulius tertius, inde à Petro ducentessimus tricesimus primus Pontifex seu Papa numeretur. Et huic Romanae ecclesiae tribuit Faber ea omnia, quae in sacris literis verae Catholicae ecclesiae tribuuntur: videlicet, quod sit firmamentum

firmamentum & columna veritatis: quòd à Christo & Spiritu sancto regatur: quòd errare non possit, nec vlla hæresi contamineur: quòd potestas eius non minor sit quàm Apostolorum: quòd q̄ (ò horrendam & execrandam vocem) absq̄ vitio possit diuinus prætermisissis constitutionibus, speciales quasdam ipsa sancire. Cum ergò Romana ecclesia inde ab Apostolorum vsq̄ temporibus supra mille & quadringentos annos cum toto orbe terrarum crediderit & docuerit, & adhuc doceat, corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini in Missa Deo Patri offerri, non dubium esse, quin Missa sit sacrificium, quantumuis Apostoli & Prophetæ nihil de eo scripserint.

In hac descriptione Ecclesie recenset Faber quinque conditiones seu proprietates, ex quibus tanquàm infallibilibus signis vera Catholica ecclesia agnosci & dijudicari debeat. Primo, successione Pontificum, à Petro vsq̄ ad hæc nostra tempora. Secundo, vetustam & diuturnam consuetudinem. Tertio, multitudinem sectatorum & adherentium Romanae ecclesie. Quarto, potestatem parem cum Apostolis. Quinto & ultimo, ius & potestatem mutandi diuinas constitutiones.

Hæc omnia sanè specioso prætextu ornantur. Et quem tandem non permouerent tituli vsq̄ adeò splendidi? ecquis errare hanc ecclesiam existimaret? Verùm quomodo hæc cum vera Catholica ecclesia conueniant, sigillatim discutiemus.

## DE ORDINARIA SVC- cessione Episcoporum.

**I**N Ecclesia Christi esse ordinariam successione Episcoporum, hoc est, alterum vsq̄ ad alterius ætatem pertingere, atq̄ ita sibi inuicem succedere, nec nos diffitemur. Eam verò successione certis quibusdam familijs, personis, locis alligatam esse, sicut olim

Leuiticum

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Leuiticum Sacerdotium alligatum fuit, & sicut Faber longam seriem Romanorum Pontificum texit, id non modo non concedimus, sed contrarium ex sacris literis demonstrabimus.

Quemadmodum enim regnum Christi est regnū spirituale, ita etiā noui testamenti ecclesiā liberauit ab externis ceremonijs atq; circumstantijs locorum, temporum, personarum, vestium, &c. Itaq; vera Catholica ecclesia est in omnibus & singulis locis, regionibus atq; populis, vbi Euangelion legitime & publicè prædicatur, & Sacramenta secundum institutionem Christi dispensantur. Et quia hic cætus idem docet & confitetur, quod omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & Euangelistæ, alijsq; Christi fideles passim in toto orbe dispersi docent ac confitentur, iure optimo dicitur Catholica, id est, vniuersalis ecclesia.

Etenim regna, diriones, oppida, & Republicæ huius mundi non sunt Catholica Ecclesia: sed est dispersa hæc ecclesia per omnes regiones, omniaq; loca totius orbis. Quemadmodum Christus ad Samaritanam mulierculam dicit, Ioan. 4. Venit hora, & nunc est, quando neq; in monte hoc, neq; Ierosolymis adorabitis patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Et Paulus Ephe. 5. Christus, inquit, dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, vt illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbum, &c.

Audimus prædicationem verbi, & vsum sacramentorum, & veram inuocationem in spiritu & veritate, esse certas notas ecclesiæ: non Ierosolymas, non Romam, non hunc vel illum populum. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Sic & Hieronymus describit Ecclesiam Catholicam, ad Eugenium Episcopū, & repetitur Dis. 93. Ca. Legimus: Nec altera, inquit, Romana vrbis ecclesia, altera totius orbis æstimanda est, & Gallie & Britannie. Nam & Affrica, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbæræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis.

Adhuc,

*Adhæc, non in eo consistit ordinaria successio Episcoporum, ut in cathedra Petri sedeant, sed ut in vestigijs Petri ingrediantur. Quod tum fit, cum gregem Christi pascunt, sicut Christus Petro mandavit, quod & fideliter executus est. Cathedram enim Petri rapax etiam lupo tenere potest, gregem verò Christi pascere nemo potest, nisi qui Euangelion prædicat. Porro id Pontifices Romani vsq; adeo non prædicant, ut alios id prædicantes ferro & igni persequantur. Quod quàm diu facere pergunt, non sunt vera ecclesia, quantumvis cathedram Petri teneant.*

*Quibus autem in rebus ordinaria successio verè Christianorum Episcoporum consistat, multò certius docet Paulus Ephes. 4. Ascendit, de Christo loquens, in altum, captiuam duxit captiuam a-tem, & dedit dona hominibus (prædicationem Euangelij, & dona Spiritus sancti) Et idem dedit, alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores ac Doctores, ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi &c. Et ad hanc militiam non semper vocat eos, qui ordinaria potestate & magistratu funguntur, sed hos ipsos ad gubernacula sedentes sæpenumerò per pios Doctores & Pastores, ex plebeio & vulgari ordine à se electos, atq; excitatos, arguit, obiurgat, & oppugnat.*

*Nam quemadmodum Deus ab initio mundi salutare Doctores, Patriarchas & Prophetas ecclesiæ suæ dedit, qui perpetua serie sibi inuicem succederent: Sicut in acie sublatis è medio anterioribus posteriores è vestigio succedunt. Ita Christus in nouo Testamento ecclesiæ suæ non solum dedit Apostolos & Euangelistas, sed illis viva defunctis, passim alios fideles Episcopos & Pastores submisit. Qui etsi Prophetis & Apostolis non sint comparandi, testes tamen sunt Christi & doctrinæ Euangelij. Omnibus enim temporibus verbum Dei alicubi purè prædicatum, alibi falsis hæreticorum dogmatibus oppugnatum fuit.*

**P** Quando-

#### QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Quandoquidem enim singulis ferè annorum centurijs nouæ hæreses exorta sunt, subinde Deus heroicos aliquos Doctores excitauit, qui hæreses refutarunt, & veræ doctrinæ Apostolicæ testimonium perhibuerunt.

Ita in prima centuria Deus ecclesiæ suæ dedit Iohannem Baptistam, Christum, Apostolos, & sepeuaginta discipulos Christi. Mortuis Apostolis substituit eorum discipulos, Ignatium Antiochia, Quadratum Athenis, Polycarpum Smyrnæ, Irenæum Lugduni. In secunda centuria excitauit Tertullianum in Affrica, Origenem Alexandria, Cyprianum Carthagine. In tertia centuria, Eusebium Casarea, Athanasium Alexandria, Hilarium Pictaui, Gregorium Nazianzi, Epiphanium in Cypro. In quarta centuria, Ambrosium Mediolani, Hieronymum Bethlehemi, Augustinum Hippone, Chrysostomum Constantinopoli, & sic deinceps, vsq; ad tempora Gregorij Magni. Quemadmodum infra in Classe Patrum dicetur.

Atq; hi sunt, qui Ecclesiam magis adificauerunt, articulos fidei defenderunt, & noua dogmata oppugnarunt, quàm omnes Romani Pontifices. Quid enim hi eximiu scripserunt? quid boni posteris reliquerunt? Nam qui optimi inter illos sunt, Missam & alias ceremonias instituerunt. Reliqui magna ex parte, de externis opibus, iurisdictione, gloria & honore dimicant, & infinitam tyrannidem exercent: quod ex historijs & communi experientia discitur.

Attamen inter Romanos etiam Pontifices nonnulli fuerunt vitales atq; salutares. Nam quanquàm valdè sint dissimiles, maximè post Syluestri præcipuè tempora, quibus subinde ambiciosus Primatum affectauerunt: nihilominus tamen Christus aliquos heros excitauit, qui tam ore quàm calamo hæreses impugnarunt, & puram doctrinam Euangelij propagarunt, nonnulli etiam pro Christo sanguinem suum profuderunt.

Porro qui post Gregorium Magnum Petri cathedram tenuerunt,

runt, prorsus degenerarunt, ex Episcopis in Papas transformati.  
 Hi diuinorum oraculorum loco humanas traditiones substituerunt,  
 & sub falso titulo ecclesiae mundanum dominium exercuerunt.

Veruntamen ne tum quidem Christus ecclesiam suam prorsus deseruit, sed post tempora Gregorij Magni usq; ad Concilium Constantiense multos præclaros Doctores ecclesiae dedit. Qui licet reuustioribus Patribus non sint similes, ac multa temporibus suis tribuerint, humanas tamen traditiones acriter repræhenderunt, ac veritatem suis comprobarunt suffragijs. Tales fuerunt, Beda, Rabanus, Bernhardus, Bonauentura, Nicolaus de Lyra, Taule-  
 rus, & complures alij, qui infra recensentur.

Tandem excitauit Dominus Iohannem Hufs, & post hunc Martinum Lutherum, qui Traditiones humanas & omnes falsos cultus, cum primis verò prophanationem cænae Dominica in Mis-  
 sa, fortissimè oppugnavit, euerit, expulit, & Biblijs, quæ diuissimè sub scamno delituerant, in lucem prolatis, veram agnitionem Dei passim in orbe terrarum plantauit.

Quare cum Romana ecclesia aliud Euangelion de cæna Domini prædicet, q̄ Petrus & Paulus à Domino acceperunt & ecclesiae tradiderunt, profectò Pontifices Romani nō sedent in cathedra Petri, sed in cathedra derisorij, vt primo Psalmo scribitur. Quemadmodū enim in cathedra Moysi sedere, non est Synagogam occupare, & Mo-  
 sen velata facie legere, aut humanas traditiones vrgere, sed re-  
 recta facie Moysen intueri, & scrutari quid de Christo scripserit, idq; publicè docere: Sic in cathedra Petri sedere, non est, eo in lo-  
 co habitare, in quo Petrus prædicauit, sed gregem sibi à Christo commissum pascere prædicatione Euangelij, & sollicitè cauere, ne qua falsa doctrina irrepat: idq; facere non turpis lucri gratia, sed propenso animo: neq; dominium exercere aduersus clericos, sed esse exemplar gregis. 1. Pet. 5. Sic & Hieronymus ad Eudorū scribit. 2. q. 7. Non omn. s. Non est facile stare in loco Petri &  
 P 2 Pauli,



QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Pauli, scilicet tenere cathedram iam cum Christo regnantium: quia his dicitur: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Si ergo Romani Pontifices præceptū Petri sequerentur, libenter eos agnosceremus Petri successores & nostros Antistites. Cum verò nihil minus faciant, certè gloriatio ipsorum de ordinaria successione tam non iuvat ipsos, ut se Ecclesiam Catholicam esse probent, quàm non iuabat Iudeos iactantia illa de patre Abrahamo, ut se populū Dei esse probarent. Hinc Paulus 1. Tim. 1. Genealogia, inquit, nunquàm finiendæ, quæstiones præbent magis, quàm ædificationem Dei, quæ est per fidem.

Quid enim anxia illa Papisarum computatio & enumeratio ordinaria successiones aliud est, quàm Iudaica genealogia?

Contrà verò doctrina de cæna Domini, sonans in nostris ecclesijs harum regionum, pulcherrimè concordat non tantum cum testimonijs Euangelistarum, Apostolorū & Prophetarum, verum etiam cum scriptis vetustiorum Patrum & Episcoporum, qui inde ab Apostolorum temporibus vsq; ad Gregorij Magni seculum vixerunt: insuper cum omnibus totius orbis, extra Romam, ecclesijs, cumq; multis præstantissimis doctoribus, qui sub ipso etiam Papatu docuerunt, & libros posteritati reliquerunt. Vnde sequitur, apud nos esse ordinariam successionem, non quidem externæ cathedræ Petri, sed puræ & sincerae doctrinæ ipsius: ac nostram Confessionem esse vnam consensus veræ Catholicae Ecclesiæ, quem ab Apostolis perpetua quadam serie Episcopi & Doctores tam scriptis quàm viva voce ad hæc vsq; tempora perduxerunt.

Quocirca Faber auctoritatem Romanæ ecclesiæ, tanquàm Apostolicæ & Catholicæ, asserturus, aliò confugiat necesse est, quàm ad ficticiam successionem Petri. Nisi etiam alia testimonia adferat pro Missatici sui sacrificij defensione, quàm Romanensis ecclesiæ, iustissima ratione rejiciemus.

De vetusta origine, & diuturna consuetudine.

**S**I Faber ea esset aetate, ut Petri condiscipulum fuisse constaret, crederemus fortassis affirmanti, Missam Pontificiam ab Apostolis, qui & ipsi Missas celebrarint, originem ducere.

Nunc cum ex relatu aliorum, & ex lacunis Eccij, Vvimpinae, Sidonij, praeceptorum suorum, hauserit, non immeritò dicere possumus, Fabrum nimis liberali calculo vetustatem Missae supputasse. Extant enim libri, qui tam egregij factus, Missae inquam, naturam & ortum referunt. & testantur illam nongentos annos non excedere. Ab Apostolorum namq; temporibus vsq; ad Gregorium Magnum, hoc est, sexcentis annis post Christi ad caelos ascensionem, nusquam in toto orbe extitit Missaticum sacrificium pro vivis & mortuis.

Itaq; si diuturnitas temporis & vetustas consuetudinis aliquid in dirimendo de Missa certamine valere debent, Fabro certe non cedimus. Nam nostra Coena ad minimum sexcentis annis Missa est antiquior, Et impudens est Fabri calumnia, cum ait, ipsam vix ante annos triginta vel quadraginta in quibusdam Germania locis extitisse.

Germ. fol. 41.  
Latin. fol. 68.

Sed sit sanè Missa tam vetusta, quàm Faber asseuerat (quamuis id in aeternum probare non poterit) num propterea erit iusta & pia? quasi verò vetusta & diuturna consuetudo non possit etiam iniusta esse & impia? Alligauit enim Dominus ecclesiam verbo suo, sine cuius praescripto nihil in rebus sacris suscipiendum est. Solum verbum sequendum est, nec discedendum vel ad dextram vel ad sinistram: quemadmodum Dominus Deut. 4. & Leuit. 18. praecipit: Facietis, inquit, iudicia mea, & praecepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis. Custodite legitima mea atq; iudicia: & non faciatis ex abominationibus, quas fecerunt hi qui fuerunt

## QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

ante vos. Sic Hier. 44. populo obijcanti vetustatem & diuinitatem cultuum suorum idolatricorum respondet Propheta: Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem, vos & patres vestri, reges vestri, & principes vestri, & populus terra, recordatus est Dominus, & ascendit super cor eius? Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes quas fecistis. Idcirco euenerunt vobis mala hæc, &c.

Testantur & ipsa Pontificij Iuris decreta, consuetudinem nihil contra veritatem præualere.

Dist. 8. Ca. Veritate manifestata. Et Ca. Si consuetudinem. Item, Qui contempta &c.

Qualibet consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata veritati omnino est postponenda. Nam Dominus in Euangelio, Ego sum, inquit, veritas, non dixit, Ego sum consuetudo. Errostra igitur quidam, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obijciunt: quasi consuetudo maior sit veritate: aut non sit in spiritalibus sequendum, quod melius à Spiritu sancto reuelatum est.

### Ead. Dist. Can. Si solus.

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit: Sed quid primus qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

Si verò consuetudo absque verbo Dei aliquid momenti haberet, certè nec Iudeorum nec Turcarum religio erit impia. Illorum siquidem nugæ pleræque Canone Missæ vetustiores sunt. Nec vlla scelerata flagitiaque punirentur si ad excusationem peccati longa & vetusta consuetudo sufficeret.

Vt autem consuetudo aliqua laudabilis vel saltem tolerabilis sit

fit, necesse est, eam verbo diuino subniti, vel certe ei non repugnare, sed consentire potius. Alioquin consuetudo nihil aliud est quam inueteratus & corroboratus error.

Quapropter cum Missa, qualis nunc per aliquot annorum centurias in ecclesia Romana vsitata fuit, non solum non habeat verbum Domini, sed eidem ex Diametro sit opposita, ac sola consuetudine verustateq; nitatur, profecto Faber nec Romanensis ecclesie auctoritatem & primatum, nec Missatici sacrificij veritatem hisce ruinosis & fragilibus fulcris sustentabit. Firmiora enim testimonia & certiora signa requirimus.

### De numerosa multitudine sectatorum Romanæ ecclesiæ.

**T**ertiam notam falsæ ecclesiæ, & falsò dictæ Catholicæ, assignat Faber multitudinem asseclarum. Hic non solum pro-uocat ad Concilia, Patres, Imperatores, Reges, Cardinales, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Academias, Principes, Nobiles & ignobiles, &c. Sed ad nouas insulas orbis nuper cogniti, & ad ciuitates aliquot, in quibus adhuc celebratur Missa. Ac tan-ropere de hac multitudine gaudet, vt in toto suo libro huic argu-mento plurimum confidat.

Primam sanè argumenti partem non negamus. Habet enim, proh dolor, Missa plures sectatores, quàm cæna Dominica institu-tioni Christi conformis. Sed alteram argumenti partem, quòd ea propter Missa sit sacrificium pro viuis & mortuis, constanter ne-gamus. Quæ enim hæc est ratio consequentiæ? Aliquæ ciuitates & Regiones sentiunt Missam esse sacrificium pro viuis & mor-tuis, & exhibent Laicis vnã duntaxat speciem. Ergò vera est Pontificiorum doctrinã. Heus tu, Ecclesia Catholica non est su-perstructa super multitudinem, sed super fundamentum Aposto-  
lorum

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

lorum & Prophetarum, summo angulari lapide Iesu Christo. *Oves meae, inquit ipse Christus, vocem meam audiunt. Hæc vox Christi, Prophetarum & Apostolorum, sola est veritas, omni errore atq; ambiguitate carens. Hanc qui prædicant, audiunt, confitentur, quantumvis pauci, vera sunt ecclesia.*

*Quid quòd & ipse Faber paulò antè factus est, oblationem no-  
ui Testamenti ( quam dixit esse Missam ) in toto mundo ab ortu  
solis vsq; ad occasum inter gentes esse offerendam, iuxta Malachiam  
vaticinium suprà explicatum? Num ergò Vuimpinenses ali-  
quor civis & Gamundienses, cum nonnullis alijs civitatibus Por-  
tifficiam religionem amplectentibus, totum mundum constituunt?  
Quid tum iudicabis de ecclesijs Græciæ, Affricæ, Asiæ, Indiæ,  
&c? Sunt enim adhuc ijs in locis multi, qui Christum confitentur,  
& tamen Ecclesiæ Romanæ non sunt subiecti, nec de Missa seve-  
riunt cum Romanensibus. Taceo Ecclesias occidentales in Euro-  
pa, quæ nostra ætate Euangelion agnouerunt & profitentur. Itaq;  
Vuimpinensium, Gamundiensium & similium opinio non est Ca-  
tholicus consensus vniuersalis Ecclesiæ Christi, sed est particula-  
ris solius Romanensis ecclesiæ.*

*Ceterum diligenter cogitanti, cur Faber Vuimpinam & Ga-  
mundiam pro confirmanda Missa sua in testimonium adducat,  
præteritis Aala & Vuyla oppidulis, æquè pertinaciter Missam  
defendentibus, nulla alia occurrit ratio, quàm quòd duæ illæ civi-  
tates fouent sodalitia Monastica sanctissimi ordinis Dominicani,  
cuius institutum ipse quoq; Faber sequitur. Solent autem in his lu-  
stris esse zelosi (propemodum dixeram scelerosi) inquisitores here-  
tica prauitatis, qui nullam heresin patiuntur exurgere. Horum  
opera effectum est, vt duæ illæ civitates in prisca religione perma-  
nerent. Sic gloria non ad solum Magistratum quantumvis prudent-  
ter regentem, sed multò maximè ad sanctum suum ordinem redit,  
in quo*

in quo ipse Doctor esse eximius. En habes, quae sit sancta Catholica Ecclesia, & per quos conseruetur.

Sed dic quaeso, Fuit ne Catholica Ecclesia priusquam Monasticus iste ordo Praedicatorum exortus esse? nondum enim quadringentos annos durauit. Aut, non potuissent Bernates in Heluetia Christum colere, nisi Dominicastrors aluissent? qui tam pulchram fabulam egerunt, ob quam ab ipsis Episcopis degradari, & ad rogos condemnari eos oportuit. Aut, num existimas Ecclesiam Catholicam perituram fuisse, si beatisimae memoriae Maximilianus Imperator eo tempore totum ordinem Dominicastrorum funditus extirpasset? quemadmodum Templarij ante ducentos annos sub Imperatore Henrico eius nominis septimo ad interuersionem usque trucidati & deleti fuerunt. Quod sane supplicium non minus commeriti sunt Dominicastri, non modo ob sceleratissimum flagitium Bernae perpetratum, verum etiam quod eidem Imperatori Henrico septimo, Maximiliani proauo & antecessori, sacram cenam sumpturo, intoxicatam hostiam praebuerunt, qua optimus Imperator & longiori vita dignissimus e vita sublatus esse, Platina & Nauclero testibus. Vnde in perpetuae ignominiae infamiaeque notam, aiunt Dominicastrors Missam celebrantes, hostiam non dextra manu (quod alij Sacerdotes faciunt) sed sinistra accipere & ad os ad mouere.

Verum tolerari utcumque, posset facinus parricidio crudelius, nebulonis istius & venefici Dominicastri, vitam Caesari eripientis, eo cibo, qui viuificus esse debuit. Noster autem Dominicastrors, & concionator summi templi Augustani, mensuram Patrum ordinis sui impleturus, non solum armat Ecclesiasticos proceres mundano gladio, ut haereses mature in herba opprimant & eradicent, sed cupit etiam totum mundum lethali veneno Missatici sacrificij & vnius speciei inficere, & tam animas quam corpora hominum aeterno exitio tradere. O facinus nefarium, & homicidium omni-

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Mal. 93. bus alijs cœdibus longè truculentius. Usq; quò impij Domine, quò impij exultabunt? effabuntur & loquentur praefracta omnia qui operantur iusticiam? Veni Domine Iesu ad summendam vitionem de sanguine Abelis, & seruorum tuorum, qui propter te morti traduntur tota die, habiti sunt velut oues destinatae mactationi. Amen, etiam, veni Domine Iesu.

Sed vt ad institutū, vnde digressimus, reuertamur, concedimus sanè plures esse sectatores Missæ Pontificiæ quàm cœnæ Dominica. Sed quid tum postea? Num propterea Romanensis Ecclesia erit vera Catholica Ecclesia Christi? imò verò hanc ipsam ob causam erit potius Ecclesia Antichristi. Testantur enim sacræ literæ tam verbis quàm exemplis, plerumq; maiorē multitudinem in Ecclesia fuisse pessimam. Ideoq; præcipit Dominus Exod. 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquies sententia, vt à vero deuies. Et Christus, multos vocatos, paucos electos esse, non vno in loco affirmat. Et Matth. 7. Introite, inquit, per arctam portam: quoniam lata est porta & spaciota via, quæ abducit in exitium, multiq; sunt qui ingrediuntur per illam: quoniam angusta est porta & stricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam. Adde & Pauli dictum 2. Thess. 3. Non omnium est fides.

Temporibus Helia regimen Ecclesiæ erat penes Achab & Sacerdotes Baal, & multitudo vulgi ita ipsis adhaerebat, vt Propheta sibi solus relictus videretur, qui genua ante Baal non curuasset. Sic tempore nascētis Christi, cum Scribi & Pharisei templū & Synagogam occupauerant, exiguus erat piorum numerus, & in angustum redactus: quales erant Zacharias, Elizabeth, Simeon, Anna, & pauci similes. Nec id mirum est, cum Christus in parabola de semente Matth. 13. doceat, paucissimos verbum Dei vera fide amplecti. Ac præsertim de extremis temporibus, in quæ nos incidimus, vaticinans: Putasne, inquit, filius hominis, quando ven-

turus

eurus est, fidem reperiet in terra? Luc. 18. Consolatur autem electos Luc. 12. Noli timere pusille grex.

Cum igitur nos in cœna nostra verbum Domini à nostra parte habeamus, Faber autem solam multitudinem contra verbum Dei obijciat: iure ipsi cum rege Exechia & Propheta Heliseo insultabimus, dicentes: Plures nobiscum sunt, quam vobiscum. Verbum enim Domini superat omnia. 4. Reg. 6.

Sic ergò Ecclesiam & Missam suam non defendet Faber sola multitudo, nisi & verbum Domini expressum habeat, siue mandati siue promissionis.

### DE POTESTATE Ecclesiæ.

**T**Res notæ Romanensis Ecclesiæ, de quibus Faber hætenus gloriatus est, ita specioso prætextu & splendido ornatu fulgent, ut si fieri posset, etiam electi in errorem inducerentur. Diabolus enim candido colore, ceu cerussa, illitus, fucum mundo facere solet. In hac autem quarta nota, de potestate videlicet Ecclesiæ, ita enormiter fines modestiæ Faber transgreditur, ut pios omnes magis de cauenda & vitanda Antichristi Ecclesiæ commonefaciat, quam seducat. Hic enim Sathan a terrimo colore, & fœtore teterimo, manifestissimè se ipsum prodit. Quemadmodum Paulus de hominibus mente corruptis, & reprobis circa fidem doctoribus vaticinatus est. 2. Timoth. Non proficient, inquit, amplius: siquidem amentia istorum evidens erit omnibus, quemadmodum & Iannæ & Iambriæ, qui resistebant Moysi.

Faber enim non veretur affirmare, potestatem Ecclesiæ Romanæ non minorem esse quàm Apostolorum. Insuper etiam, Romanam Ecclesiam absq; vitio posse diuinis prætermisissis constitutionibus, peculiare quassdam sancire.

Germ fol 93.  
Lat fol. 157.  
Germ fol. 84.  
Latin. fol. 147.

Equidem & nos fatemur Ecclesiam Christi in terris magnam habere



QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

habere potestatem, & glorificamus, Deum qui dedit talem potestatem hominibus. At tamen eam contra vel supra verbū Dei nequeat quā extollimus, cum ex ipso verbo Dei manare debeat: iuxta dictum Christi Ioan. 14. Spiritus sanctus vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecunq; dixi vobis. Et Matth. 28. Docere omnes gentes seruare omnia, quaecunq; præcepi vobis. Ita & Paulus potestatem ecclesie certis limitibus circumscribit Ephes. 5. Ecclesia, inquit, subdita est Christo in omnibus.

Vnde liquidò apparet, eos qui se supra verbum Dei efferunt, ac omiſſis diuinis constitutionibus peculiare ipsi ſanciunt, non esse veram Catholicam Christi, sed Antichristi potius, ecclesiam: quam tali nota descripserunt Daniel cap. 12. & Paulus 2. Thess. 2. Nam cum Deus ipse verbum suum & cōstitutiones suas non mutet, quis fronte hanc sibi potestatem homines arrogabunt? Sicut enim Deus seipsum negare & mutare non potest, ita & verbum constitutionesq; suas non mutat. Nec Mosaicam legem mutasset, nisi ipse hanc mutationem in verbo suo promisisset.

Adde, quòd ecclesia non est Domina ac magistra, verbi & constitutionum diuinarum, ut pro suo arbitrio articulos fidei condere, cultusq; diuinos instituere possit: sed est tantummodo testis vererum articulorum fidei à Deo ipso patefactorum. Vos testes mei estis, inquit Christus, quia ab initio mecum estis. Et Act. 1. Eritis mihi testes non solum Ierosolymis, verum etiam in vniuersa Iudæa, Samariaq; deniq; vsq; ad extrema terra. Sciunt autem omnes, legitimum & fide dignum testem nihil vel addere vel detrachere veritati debere. Porrò qui omiſſis diuinis constitutionibus alias ipsi ſanciunt, veritati addunt atq; detrahunt: ideoq; falsi testes inueniuntur, nec sunt membra veræ Ecclesie, sed falsa & hypocritica.

Deniq; vera Ecclesia Catholica de verbo Dei non dubitat, nec in constitutionibus diuinis hæſitat: sed cum Dauide Psalm. 111. prædicat

prædicat magna opera Domini, inquirenda propter omnia desiderabilia sua. Gloriosum & magnificum opus eius, & iusticia eius manet in seculum seculi. Idcirco iuxta Pauli sententiam est columna & firmamentum veritatis, id est, firmissimè innititur fundamento veritatis, nec ullis mendacijs se inde dimoueri patitur.

Thomas Aquinas in sua summa, Parte 3, in additione quæstionis 6, Art. 6.

Quia Ecclesia fundatur in fide & in Sacramentis, ideò ad ministros, novos articulos fidei adere aut aditos remouere, aut noua Sacramenta instituere, aut instituta remouere, non pertinet: sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.

Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 11.

Neq; enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum & Sacramentum dominicum ministramus. Quibus verbis Augustinus nullam aliam potestatem Ecclesiæ tribuit, quàm vt illud ipsum verbum, quod à Domino accepit, prædicet, & Sacramenta eodem modo, quo Christus instituit, ministret atq; distribuat.

Quandoquidem ergò Romana Ecclesia non in sola cæna, sed in alijs etiam plurimis rebus, constitutionem Christi abrogat, aliasq; sancit pro suo libito: certè non Christiana sed Antichristiana erit Ecclesia, nec pertinebunt ad eam amplissimæ promissiones Christi, quibus ecclesiam suam dignatus est. Itaq; nos iure optimo tam ab hac ipsa Romanensi ecclesia, quàm à testimonijs ipsius de Missæ sacrificio, ad veram Christi Ecclesiam prouocabimus.

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Vides Fabro ad asserendam falsæ suæ Ecclesiæ auctoritatem nihil prodesse, vel longissimū istum catalogum de perpetua Romanorum Pontificum successione, vel consuetudinis vetustatem atq; diuturnitatem, vel numerosam multitudinem, vel opinatā potestatem. Restat ergo, vt non modò alios Euangelistas, Prophetas & Apostolos, sed etiam querat aliam Ecclesiam: quam quidem anxie curiositate scrutatur, adeò vt deficientibus veris testimonijs, pro defendendo Missarico sacrificio, ad Iudæorum Rabinos, ad Ethnorum idolatrica sacrificia, ad Turcarum demq; asperos nummos confugiat. Tanti & tam scrupulosi laboris est, mendacium in veritatem conuertere.

Germ. fol. 116.  
40-170-  
Latin. fol. 216.  
66-295

Hic ex aduerso Faber responsit at: Ecclesiam Romanam tantquam caput & matrem omnium Ecclesiarum nunquam in errore versatam, sed esse firmamentum & columnam veritatis, cum qua Spiritus sanctus perpetuò maneat: qua nullam vnquam hæresos labem senserit, sed pura semper, inuiolatq; permanserit, &c. Hanc cantilenam Thraconicè multis in locis reperit, in fronte & in calce libri, & in omnibus ferè Missæ partibus, vbi agit de sacrificio, de vna specie, de transubstantiatione, de inuocatione sanctorum, de anniuersaria defunctorum commemoratione, &c.

Germ fol. 169.  
Latin. fol. 292.

Aiunt vulgò, tribus hominum generibus mendacia non facile exprobrari posse: Peregrinantibus, qui multas peregrinas & longinquas regiones peragrarūt: Doctioribus, qui si mendacij arguantur, aiunt se in libris legisse. Senioribus, quibus iuniores propter ætatem non audent contradicere. His omnibus multò audaciores sunt & impudentiores, Faber, & (quos Catholicam Ecclesiam nominat) Præsides atq; Præsules seu Prelati. Hi enim, iuxta Fabri opinionem, mentiri non possunt: sed omnia quæ loquuntur, sunt Spiritus & veritas. Illi, quos audacter mentiri diximus, interdum parcius & timidius loquuntur, quòd metuant, ne alij ipsos æquent doctrina, ætate, & peregrinationibus. His verò ista prærogatiua concessa

concessa est, quod nemini licet contra eos hiscere, nedum concionari & scribere, nisi tanquam rebellis & hereticus excommunicationem & condemnationem incurrere velit.

Bone Deus, posteaquam huc deuentum est, vt sine discrimine omnia, quae dicuntur, credere & approbare oporteat (quemadmodum ante complures annos sub Papatu accidit) certè iam perijt & prorsus euauit veritas. Nulla enim erunt tam absurda somnia, quae nõ pro diuinis oraculis obrudantur, nullæ tam aniles fabulae, quae non caelestium reuelationum nomine promulgentur. Itaq; mirum est, Rusticos non dudum à sacrificiis persuasos fuisse, vt pecudum more foenum comederent. Sed benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui omnes resistentes veritati non sinit proficere amplius, sed manifestat insipientiam eorum omnibus, quemadmodum Iannen & Mambren, resistentes Mosi, pudificet. Ille idem ex mera gratia his postremis temporibus accensa clarissima lampade Euangelij, nos docuit, ne vlli homini, imò ne Apostolis & Angelis quidem credamus, nisi verbũ Domini adferat. Omnes enim homines & spiritus, verbo Dei carètes, nihil possunt quam mentiri, errare falli & fallere. Itaq; nunquam persuadebit nobis Faber, vt Pontificiam Ecclesiam errare non possit atquamus.

Vt autem omnes intelligant, inanem esse Fabri iactantiam, quod Ecclesia errare non possit, distinctè de Ecclesia & de erroribus loquendum est. Vtrunq; enim suo modo verum est. Ecclesiam errare, & non Ecclesiam errare. Duplex enim est Ecclesia: vera & falsa, quarum illa verè sancta & Catholica est: hæc titulo tenus tantum & laruata quadam specie. Præterea, aliud est errare, aliud in errore perseverare.

Quamuis enim tota Ecclesia, si substantiam & externos cultus consideres, externa & visibilis sit, habeatq; suas certas notas, quibus vbiq; terrarũ à reliquis populis dignosci potest, videlicet publicam prædicationem Euangelij, & legitimũ vsum Sacramentorũ, congruentem

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

congruentem cum institutione Christi: tamen iuxta spiritum, fidem, spem, sanctificationem, &c. inuisibilis est & abscondita, quam mundus & ratio videre & agnoscere nequeunt, unde Almutius id esse, abscondita dicitur.

Nam primum, multi sunt in externa Ecclesia, solo nomine Christiani, qui verbum audiunt, Sacramentis vtuntur, & doctrinam non impugnant: reuera tamen non sunt renati, sed admisti sunt Christianis, tanquam xizania tritico. Hi tolerantur vsq; ad messem extremi iudicij, aut certè vsq; ad conuersionem & emendationem ipsorum. Multi enim quotidie ex illorum numero sunt vera & viua membra corporis Christi. Matth. 13. & Rom. 2.

Secundo. Multoties accidit, vt illi, qui regimen & cathedram in externa Ecclesia obtinent, non modo ipsi non sint renati, sed alios etiam seducant, docentes erronea & impia dogmata, Christi & verbo ipsius contraria. Qui quamuis admoneantur, perseuerant tamen in errore, nec patiuntur se in viam reduci. Hi omninò non sunt membra verè Catholicae ecclesiae, sed hostes & vastatores, etiamsi ad riuum vsq; de ordinatione & potestate sua declamant. Scriptum est enim: Oues meae vocem meam audiunt. Et: Qui aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit.

Tertio. Iam & ipsa inuisibilis & vera Catholica Ecclesia, cum viuis suis membris & renatis filijs, habet suos quosdam nauos & defectus. Est enim circumdata infirmitate carnis, & multiplici cruce. Interdum etiam supra fundamentum, quod est Iesus Christus, edificat ligna, fœnum, stipulam, non semper aurum, argentum, lapides preciosos. Itaq; semper manet abscondita & occultata, propter infirmitatem & crucem, & propter hos etiam, qui in externa Ecclesia aut impie docent, aut impure viuunt.

Quemadmodù ergò non is, qui in manifesto Iudæus fit, Iudæus est: nec ea, que in manifesto fit carnis circumcisio, circumcisio est: sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est: & circumcisio cordis.

dis, circumcisio est, quæ spiritu constat, non litera: cuius laus non ex hominibus est, sed ex Deo. Rom. 2. Ita non omnes ij sunt vera Ecclesia, aut viua membra Ecclesiæ, qui se externo cœtui adiungunt, vel publicum officium in Ecclesia gerunt: sed hi soli, qui verè per fidem renati, vt dignum est Euangelio, ambulant: qui non hominibus, sed soli Deo noti sunt.

Quæcumq; igitur sanctæ Ecclesiæ Catholicæ in Iesu Christo promissa sunt: videlicet, quòd Spiritu sancto gubernanda, & in omnè veritatem ducenda sit: quòd portæ inferorum non sint præualitura aduersus eam: quòd sit columna & firmamentum veritatis: quòd non erret, non peccet, &c. ea omnia non pertinent ad istos, qui solo inani nomine Christi gloriantur, cum interim non sint viua membra Christi, sed Diaboli. Spiritus enim Dei non effunditur in membra Diaboli: ideoq; ad extremum velut putridi palmites amputantur, & in ignem conijciuntur.

Multò minus benignissimæ illæ promissiones Ecclesiæ, pertinent ad eos, qui gubernacula Ecclesiæ tenentes, aliud Euangelion prædicant. His enim dicitur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Osee. 4. Sed pertinent tantùm ad veram Catholicam Ecclesiam, quæ ex Deo nata est, & abscondita. Externa namq; & falsò dicta Ecclesia, nihil nisi errare potest, donec non ambulat in vera via, quæ est Iesus Christus, & verbũ eius. Vera autem Ecclesia, quæ in Spiritu est abscondita, etiamsi aliquanciſper erret, fieri tamen non potest, vt in errore perseueret, & pereat. Matth. 24.

Exempli gratia. Temporibus Achab Regis Israëlitici externa Ecclesia tam crassis tenebris erat obducta, vt Helias, non paulò intelligentior Fabro, putaret neminem remansisse, qui non errore Baalirico infectus esset, præter se solum. Sed quid dicit ei diuinum responsum? Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baa. 3. Reg. 19. & Rom. 11.

R Temporibus

QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Temporibus Ieremia tam Pontifices, quàm ipsorum affectu gloriabantur de templo Domini, hoc est, de externis ceremonijs & cultib<sup>9</sup> diuinis: & vociferabantur: Nō peribit lex à Sacerdotib<sup>9</sup>, neq<sup>ue</sup> consilium à sapiente, nec sermo à Propheta: cum tamen nihilominus essent quàm vera Ecclesia. Imò erant Idolatrae, mendaces, fures, latrones, adulteri, & quid non? Veruntamen Dominus veram Ecclesiam, in externa ista latentem, puram & incontaminatam ab omni errore conseruabat: vt Ieremiam, Baruch, Abde-melech, Aethiopem, Elnatan, Delaiam, Gemariam, & nonnullos alios. Iere. 7. 18. 35. 36. 38.

Tempore Christi, per exigua erat Ecclesia, & verè Almuti seu abscondita. Etenim Pontifices, Pharisei & Scribae traditionibus suis Ecclesiam fedissimè coinquinauerant. Nihilominus Ecclesiam suam à corruptelis doctrinae defendebat Dominus: vt Zachariam, Elizabetham, Simeonem, Anniam, Pastores, & alios, qui in turba externae Ecclesiae latebant.

At tamen non solum falsa Ecclesia errat, vt diximus: sed ipsa etiam electa Ecclesia, quae in spiritu est abscondita, suos habet defectus. Quanquam enim à Spiritu sancto in omnem veritatem ducatur: tamen donec est in his terris, non sine omni labe est, ita vt prorsus nullam habeat maculam aut rugam: sed in altera demum vita perfectè mundabitur. Quod & exempla sacrarum scripturarum ostendunt. Nonne enim Petrus erat viuum membrum Ecclesiae? vel etiam, vt Faber opinatur, caput? cum plenam fidei confessionem aderet: Tu es Christus filius Dei viuentis. Vnde beatus à Christo praedicabatur, & promissiones etiam ipsis inferis insuperabiles accipiebat. Mox tamen à Christo audit: Abi post me Sathana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea quae sunt Dei, sed ea quae sunt hominum. Quid est errare, si hoc non est?

Quòd si Faber dicat id accidisse, antequàm acceperit Petrus Spiritum sanctum, qui in die Pentecostes ipsum in omnem veritatem

tem duxerit, audiat, quid Paulus de eodem post acceptum Spiritum sanctum scribat: videlicet, quod non recto pede inceserit ad veritatem Euangelij, adeo ut Barnabam & ceteros simul abdukerit in simulationem. Gal. 2. ubi Paulus testatur, Petrum non solum errasse, sed alios etiam vna secum seduxisse.

Præterea, nonne & hic crassus erat Petri error, solos Iudæos, non etiam gentes, in communionem Euangelij recipiendos esse? quem errorem oportebat cælesti visione, & Angelo cælitus demisso, & donis Spiritus sancti miraculosè super gentes cadentibus, à Domino refelli, & ex animo Petri eximi. Act. 10.

Si Faber excipiat, Petrum esse vnicum membrum Ecclesiæ, non totam Ecclesiam, hoc sibi habeat, etiam sanctissimam, quæ in terris inquam fuerit, Ecclesiam, interdum errasse. Quis enim negat Adamum & Euam fuisse Ecclesiam Dei? cum Adam uxori suæ de creatione, & vitanda arbore verita scientiæ boni & mali concionaretur. Hæc tamen Ecclesia ab errore non fuit immunis, seducta quippè fuit à serpente. Quod si Adam & Eva creati ad imaginem Dei errare potuerunt, quomodo idiviatos esset, alios quoque homines post corruptam naturam errare, labi, falli, decipi? Unde & Paulus non ignorans Sathane consilia, sollicitam curam gerit pro Ecclesia. Metuo, inquit, ne quæ fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. 2. Cor. 11.

Post Protoplastos nulla procul dubio sanctior fuit Ecclesia, quam Apostolorum, qui tanto tempore Christum ipsum audierunt, eiusq; miracula conspexerunt. Et tamen hi ante & post resurrectionem Christi satis crasse errabant: nunc contententes, quis eorum videretur esse maior in regno Dei: nunc percontantes Christum, quando restitutus esset regnum Israël. Erant enim immergi huic opinioni, quod Christus futurus esset Rex mundanus. Luc. 22. Act. 1.



## QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

Quæ omnia, optime Lector, non idcirco commemoro, ut doctrinam Apostolorum in dubium reuocem (est enim indubitatum verbum Dei, & fundamentum, super quod extructa est Ecclesia, Ephess. 2.) Sed ut ostendam, ipsos etiam Apostolos carnis & sanguinis imbecillitatem sensisse: ac proinde ut homines facile potuisse errare, quoties citra verbum Dei proprijs cogitationibus indulserint. Quoniam verò electi erant testes Christi, & ut sapientes architecti, fundamentum, Christum, ponebant, Dominus hos errores, sicut & alia peccata clementer condonauit, & per Spiritum veritatis in omnem veritatem duxit. Humanum enim est, errare: desistere ab errore, Angelicum: in errore autem perseverare, Diabolicum.

Præterea breuitatis causa vetustos Patres & Doctores Ecclesie, qui propemodum singuli suas quasdam in aliquibus capitibus singulares & erroneas opiniones tuerentur. Tertullianus nimium tribuit Montanistis, Cyprianus Anabaptistis. Hieronymus immodicus laudator virginitatis, coniugio est iniquior. Augustinus de cura pro mortuis quædam scripsit inconsideratus. Sed quæ fuit modestia, agnouit ipse multa in suis libris non iniuste reprehendi posse.

Augustinus ad Vincentium Victorem, lib. 2. & citatur Dist. 9. Can. Negare.

Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari.

Sed quia aliàs super fundamentum, Christum, superstruxerunt aurum, argentum, lapides preciosos, ideo Christus ligna, fenum & stipulam humanarum opinionum igni tribulationis excussit, & clementer igno:it. Nostra enim sanctitas & perfectio non in eo consistit,

fit, quòd non erremus aut peccemus, sed quòd errata & delicta nobis remittantur, & non imputentur. Rom. 4. Psalm. 31.

Relinquitur ergò, quantũ ad errores attinet, nullum aliud esse inter veram & hypocraticã Ecclesiam discrimen, quàm quòd illa humiliter cum Esaia cap. 53. confitetur: Omnes nos quasi oves errauimus: & cum Dauide Psalm. 119. orat: Erraui sicut ovis quæ periit, quare seruum tuum Domine: & credit cum publicanis & peccatoribus, se à Christo tanquàm bono pastore humanissimè suscipi. Hæc verò, non tantũ sine fine errat, sed in errore quoq; redargui non sustinet, ac pertinaciter in eo perseuerat. quod, vt diximus, planè est Diabolicum.

Idem nostris temporibus accidit. Etsi enim Ecclesia Pontificia sacratissimum cænæ Dominicæ Sacramentum longo tempore horribiliter prophanauit: vera tamen Ecclesia in his erroribus non periit, nec Spiritu sancto destituta fuit. Multi namq; pij homines caput idolatriæ Missaticæ, videlicet quòd Christus pro viuus & mortuis offeratur, ignorarunt: neq; collocarunt fiduciam suam in sacrificio Missatico, sed in vnicò sacrificio Christi: atq; in medio Babylonis Papisticæ & tenebricosæ Egypti, per gratiam Dei piè in Domino Christo obdormierunt: quemadmodum temporibus Helia Dominus sibi septem millia reseruauerat, eorum, qui non curuauerant genua ante Baal. Atq; ita Christus promissiones suas fideliter veraciterq; illis præstitit, spiritu suo gubernans, & de vera remissione peccatorum, de reconciliatione cum Deo, & vitæ aeternæ edocens. Sic cum dispersa Ecclesia in medio regni Babylonici Spiritus sanctus permansit.

Sed hoc solum Fabro obstat, quòd sibi perpetuò splendidam & pompaticam quandam Ecclesiam imaginatur, quam multi Episcopi & Prælati externis ceremonijs regant, & que nunquàm errare queat: quod ne verè quidem Ecclesie suæ Christus promisit. Quare cum tanta sit Fabri & Pontificiæ Ecclesie securitas atq;

#### QUARTA CLASSIS, DE TESTIMO-

temeritas, tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut perpetuis erroribus inuoluantur. Quod vel ex hoc unico Fabri libro perspicitur: qui, etsi horrendis erroribus scateat, tamen ita induratus est auctor, ut ne minimū quidem errorem agnoscat, sed tanquam pro ipsissima veritate propugnet.

Quapropter, ut semel dicam quod sentio, etiamsi nullo alio errore infecta esset Pontificia Ecclesia, quàm hac sola persuasione, quòd errare nequeat, meritò cuius Christiano suspecta esse debebat, & velis remisq; fugienda. Etenim non alij periculosius cadunt, quàm qui maximè securi de casu aditissima loca conscendunt.

Nihil ergò te moueat, nec transuersum abripiat inanis ista Fabri iactantia, qua se & Pontificiam Ecclesiam errare non posse affirmat: nec quæ de Missarico sacrificio, & vna duntaxat specie Laicis exhibenda deblaterat, amplectaris, nisi indubitata & expressa diuini verbi testimonia proferat. Aliàs cæcus cum cæcis ductoribus in foueam æterni exitij cades.

Quæ autem sit causa, quare Christus veram suam Ecclesiam in terris relinquat infirmā, & interdum labi sinat, breuibus verbis Paulus exponit: videlicet, ne excellentia donorum efferatur, & sciat sufficere sibi gratiam: virtus enim Dei per infirmitatem perficitur. Causas etiam errorem falsæ Ecclesiæ, quoniam hæ non sunt eiusdem generis, suis locis demonstrabimus.

Hæc semel & simul respondere libuit, ad ea omnia quæ Faber sparsim de potestate Ecclesiæ iactat. Transeamus nunc ad  
alia.

QUIN.

# Quinta classis testi-

MONIORVM, COMPLECTENS  
sex centurias Patrum, qui à temporibus Aposto-  
lorum vsq; ad Gregoriũ Magnum, hoc  
est, sexcentis annis post Ascen-  
sionem Christi ad cœ-  
los, vixerunt.



*VANQVAM IN QVA*  
tuor primis classibus, Euangelistarum,  
Apostolorum, Prophetarum & Ecclesie  
Catholicæ, satis demonstratum à nobis sit,  
Missam non esse sacrificium pro viuis &  
mortuis, sed communicationem corporis  
& sanguinis Christi, in memoriam passio-  
nis & mortis eius, ad excitandam gratia-

rum actionem, & confirmandam fidem nostram erga Deum: qua  
confessione omnibus pijs & veritatem amantibus, ita satisfactum  
esse arbiteror, vt turò hanc sententiam sequi, & contrarias omnes  
explodere queant. Tamen his non contentus Faber subsidium opi-  
nionis suæ querit à Patribus & vetustis Doctoribus Ecclesie, qui  
à Spiritu sancto (vt ipse ait) illuminati, cœnam Dominicam ali-  
quoties appellant Missam, sacrificium, oblationem, immolationem  
inruentam, &c. Insuper etiam memoriam recolunt defunctorum,  
tam eorum, quorum miseræ animæ cruciatibus purgatorij tor-  
quentur, quam eorum, qui cum sanctis iam in cœlis triumphant.  
Vnde Faber colligit, Missam, qualem hodie Monachi & sacrifici-  
li celebrant, inde ab Apostolorum temporibus semper in Catholica  
Ecclesia

QVINTA CLASSIS, DE TESTIMO-

*Ecceſia celebratam eſſe: vnde conſtet eam eſſe piam, ſanctam, virelem & ſalutarem. Atq; hic plenis buccis conuitia in noſtros euomit, quòd ſpretæ & reiectæ ſanctorum Patrum authoritate, doctores ſibi ipſis videantur, quàm priſci illi Patres fuerint: quòdq; ſolius ſue ſectæ verbum Dei arrogent, quaſi ſanctis Patribus & alijs in toto orbe fidelibus ignotum fuerit, &c.*

*Quandoquidem ergò omnia Fabri argumenta ſemel refutanda ſuſcepi, hanc quoq; claſſem Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum aggrediar, Fabro Pſeudoprophetæ veſtimenta ouium ita detracturus, vt rapax lupus ſub his deliteſcens ab omnibus agnoſcatur: & manifeſtum fiat omnibus, Fabrum non minorem iniuriam Patribus facere, quàm Euangelis, Apoſtoliſ, Prophetis, & toti deniq; Eccleſiæ fecerit: quod ex quatuor primis claſſibus apparuit.*

*Sed priuſquam Patrum ſententias ſigillatim excutiam, calumniam Fabri diluam, oſtenſurus, Patres à noſtris hominibus non modo non reſpui, ſed eorundem teſtimonia, pro defendenda noſtra cœna, Miſſæ Pontificiæ opponi.*

*Ingens quidem eſt diſcrimen inter teſtimonia Apoſtolorum, & vetuſtorum Patrum ac doctorum Eccleſiæ. Apoſtoli enim immediate à Chriſto vocati ſunt addocendum Euangelion, & ſunt ornati teſtimonio Spiritus ſancti, ac miraculis, quòd doctrina eorum diuina ſit, & quòd non errent in doctrina. Epiſcopi autem & alij miniſtri Eccleſiæ, ordinariè quidem, ſed tamen per homines vocantur, ad prædicandum certis in locis Euangelium. Et quantum ad doctrinam attinet, non ſemper certum eſt eos habere Spiritum ſanctum, quemadmodum habent ipſum Apoſtoli: ſed neceſſe habent verbum ab Apoſtoliſ accipere, & id abſq; omni corruptela prædicare, nihil nouantes, aut immutantes. Niſi hoc faciant, facile errare poſſunt, iuxta dictum Pauli: Si quis vobis prædicauerit Euangelion, præter id quòd accepis, (nimirum ab Apoſtoliſ) anathema*

anathema sit. *Est* & inter ipsos doctores non exigua differentia. Alij enim super fundamentum, quod est Christus, superstruunt aurum, argentum, & lapides preciosos: alij verò ligna, fenum & stipulam.

At amen piæ menti iucundum est videre, quomodo post Apostolorum tempora subinde à Christo Orthodoxi & orthodoxi quidam doctores in diuersis partibus orbis terrarum excitati fuerint, quorum multi synceram doctrinam Apostolorum contra innumeratas hæreses non solum docendo & scribendo approbarunt, sed sanguine etiam suo obsignarunt. vnde & Martyres, hoc est, testes Christi appellantur. Non enim possunt esse conficta, & de composito subornata mendacia, quæ à tot sanctis & doctissimis viris, diuersissimis locis & temporibus unanimi consensu scripta sunt.

Tales doctores profecto non sunt vulgaria dona Dei. Dedit, inquit Paulus Ephes. 4. *DO NA* hominibus. Et mox: Idem dedit alios pastores ac doctores, &c. Meriti etiam sunt suis vigilijs & laboribus, vt magnas Deo gratias agamus, quod per illos multas hæreses refutauerit, & synceram doctrinam nobis posteris quasi per manus illorum tradiderit. Cumq; doctores hodie viua voce scripta Prophetica & Apostolica interpretantes magna voluntate audiamus, & honorificè de illis sentiamus: quanto magis in testimonium fidei nostræ audienda & legenda sunt veterum authorum monumenta, qui Apostolorum temporibus fuerunt proximi. In civilibus negocijs multum valent veteres limites, literæ & sigilla. Quanto plus valebunt apud nos testimonia eorum, qui Euangelion non ex lectione librorum, sed ex ore ipsorum Apostolorum hauserunt. Verè ergo possum cum Augustino dicere: Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia & veterum Patrum moueret autoritas.

Itaq; cum luce clarius sit, vestram de cæna Domini Confessionem cum primitiua Ecclesia & vetustis Patribus consentire, nos Orthodoxorum

QVINTA CLASSIS, DE TESTIMO-

thodoxorum Patrum testimonia pro confesso accipimus : non quod de institutione Christi quicquam dubitemus , sed ut testemur , non sententiam nostram de cœna Domini , ac vero ipsius usu , non nostra ingenio finxisse , nec à consensu Catholica Ecclesiæ discessisse .

Ergò inter Fabrum & nos non hoc controuertitur , an prisci Patres & Doctores Ecclesiæ audiendi sint , nec ne ( vtræq; enim pars audiendos esse fatetur . ) Sed hic est cardo controuersie , vtræq; pars bona integrâ fide Patrum testimonia alleget . Namq; ab vtracunq; parte testimonia Orthodoxorum Patrum steterint , et certum & indubitatum consensum Ecclesiæ Catholicæ habebit , victoriâq; obtinebit . Catholicus enim consensus Ecclesiæ non est alius , quàm quo Patrum scripta cum scriptis Prophetarum & Apostolorum ( qui sunt præcipua & nobilissima membra Ecclesiæ ) consentiunt . De hoc consensu deinceps ordine dicemus .

Vt autem pius Lector expeditius in testimonijs Patrum versari queat , obseruabit , quo ordine in his allegandis progressuri sumus . Primum enim producam authores omnium antiquissimos , discipulos videlicet Apostolorum , qui centum circiter primis annis post Christi in cœlos ascensionem vixerunt , & annunciatum post se in diuersis locis Euangelio , scripta quedam posteritati reliquerunt . Horum testimonia an Fabri Missatice sacrificio , an verò cœnæ nostræ suffragentur , examinabimus .

Præterea Episcoporum Romanam sedem tenentium constitutiones , & præcipuorum Conciliorum decreta de cœna Dominica & de Missa recitabimus . Atq; ita per singulas centurias celeberrimos quosq; Patres coniungemus , eorumq; testimonia iuxta analogiam fidei pensitabimus : itemq; Romanorum Pontificum appendices , quibus indies Missam auxerunt , annotabimus , vsq; ad Gregorium Magnum , qui cathedram Romanæ Ecclesiæ circiter annum Christi sexcentimum tenuit . His sexcentis annis Ecclesiæ tanquam

tanquàm aurea sua etate floruit: mox enim secuta est religionis inclinatio, & res subinde in deterius mutatae sunt.

Huc usq; praeceptorum Patrum testimonijs continua serie deducis, confirmaturum me confido, caenam Domini nostri Iesu Christi non esse tale sacrificium, quale Faber suo libro describit: sed esse communicationem corporis & sanguinis Christi, sub utraq; specie panis ac vini, in commemorationem passionis ac mortis Christi, & gratiarum actionem toti Ecclesiae communem. Qualis caena, diuino beneficio, in nostris Ecclesijs instituta, solenniter & deuotè celebratur.

## Patres primæ centuriæ.

**P** Rincipio Faber in hac prima Centuria quatuor Patres citat: Clementem discipulum Petri, Dionysium Areopagitam discipulum Pauli, Ignatium discipulum Iohannis, & Martialem discipulum Apostolorum in genere, qui omnes in prima centuria simul & vno eodemq; tempore vixerunt, Euangelion docuerunt, ac scriptis etiam mandarunt. De his Faber eiusmodi conclusionem ponit: Discipuli, inquit, Apostolorum, totam actionem, à Christo in caena celebratam, Missam vocarunt. Hinc mox infert, Missam peruetustam esse, & sacrificium esse pro viuis & mortuis.

Postea prolixum Soriten & aceruum testium accumulatur. Missam, inquit, sacrificium esse tradiderunt nobis sancti Patres.

Patres id acceperunt à discipulis Apostolorum.

Discipuli acceperunt ab ipsis Apostolis.

Apostoli à Christo & Spiritu Sancto.



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Christus deniq; & Spiritus Sanctus ab ipso Deo Patre celesti.  
Relinquitur ergo, Missam esse sacrificium, & permanensuram  
vsq; ad finem mundi.

Quò nunc nos vertemus? Audimus enim Deum Patrem, Fi-  
lium, & Spiritum sanctum, Apostolos, Apostolorum discipulos,  
sanctos Patres, & conspicuos Doctores Ecclesie vno ore testantes,  
Missam esse sacrificium pro viuis & mortuis. Quis tot & tam lo-  
cupletibus testibus contradicere vel poterit, vel audebit?

Sed heus tu. Non nouum & inusitatum est, sacrosancto nomi-  
ne Dei & sanctorum Patrum auctoritate, ad prætextum & ve-  
lamen omnium mendaciorum & nequitiarum abuti. Quis enim  
manifesto assentiretur mendacio, nisi verbi diuini & veritatis  
quædam species prætenderetur? Eua omnium nostrum communis  
mater, serpenti nequaquam credidisset, nisi is de verbo Dei cum il-  
la differuisset. Eadem versutia Faber quoq; vitur: Verum qui-  
dem est, sanctos illos Patres Euangelium audiuisse ab Apосто-  
lis, hos à Christo. Certum item est, illos non viua tantum voce &  
scriptis, sed sanguine etiam suo de Christo testificatos esse, vt Eu-  
sebius scriptum reliquit. Hinc tamen non sequitur, Scripta & E-  
pistolus, quæ illorum nomine circumferuntur, verè & veros horum  
auctorum esse, aut vt maxime eorum sint, Missam esse sacrificium  
pro viuis & mortuis.

Epistola enim, quam Clemens Romanus Pontifex ad Iacobum  
Fratrem Domini scripsisse fertur, postquam Pontificatum Roma-  
num adeptus sit, ex qua Faber testimonium adducit, nullo cerro  
fundamento nititur. Etenim Iacobus ille frater Domini, ad mini-  
mum triginta annis lapidatus & martyrium perpeffus est Ie-  
rosolymis, antequàm Clemens factus est Romanus Pontifex.  
Quomodo ergo hanc Epistolam ad Iacobum scribere Clemens po-  
tuit?

Ad'ac, Eusebius lib. 3. cap. 38. & Hieronymus de viris illu-  
stribus

stribus testantur, Epistolam Clementis, tam dictionis caractere, quam ipso sensu, Epistola ad Hebræos esse consimilem. Ista autem, cuius Faber meminit, nullam habet cum hac similitudinem, sed Romanæ curiæ stylum redolet. Non enim commendat & prædicat Sacerdotium Iesu Christi, sed Sacerdotium Romani Pontificis. Reliquas Epistolas, & scripta Clementis, Eusebius eodem loco repudiatur, ut potè quæ sincerum rectæ & Apostolicæ doctrine caracterem non teneant.

Idem iudicandum est de Epistola Ignatii ad Smyrneneses, quam itidem Faber allegat. De hac Eusebius lib. 3. cap. 36. loquens: Hic Ignatius, inquit, cum Smyrnæis scriberet, verbis nescio unde sumptis usus est. Et Hieronymus lib. 3. Dialogorum contra Pelagianos, hanc Epistolam in dubium reuocat: cum inquit: Quibus testimonijs (Ignatii) si non vteris ad *AVTHORITATEM*, vtere saltem ad *ANTIQUITATEM*. Ideoq; Abbas Spanheimensis eam velut incertæ fidei Epistolam omisit: nec accensuit alijs Epistolis, quæ ab Ignatio scriptæ perhibentur.

Iam & Liber ille, qui Ecclesiastica Hierarchia inscribitur, an sit Dionysij Areopagitæ, dubitatur. Certè Laurentius Valla & Erasmus Rotterodamus vehementer reclamant. Eusebius meminit quidem Dionysij, quòd Atheniensis Episcopus fuerit: sed quòd librum aliquem scripserit, ne gry quidem: cum tamen alibi semper, de Episcopis scribens, mentionem Epistolarum & aliorum operum, si quæ scripserint, facere soleat. Nec Hieronymus de Viris illustribus libri istius meminit.

Huc accedit, quòd Dionysius iste citat Clementem Alexandrinum, Stromaton lib. 8. qui vixit anno Domini 215. hoc est, 150. annis post Dionysium Areopagitam. En ex ipsa temporum ratione, alium istius libri authorem esse, quam Dionysium Areopagitam,prehenditur.

In lib. de diuinis nominibus-

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Ad Burdega-  
lenfēs.

Porro *Martialis Epistola*, quam pro defendenda *Missâ* sua *Faber* allegat, cum aram in nomine *Stephani* dedicatam prædicet, in qua corpus & sanguis *Christi* in vitam æternam offerantur, æquè dubia & incerta est, ac *Clementis* & *Ignatii Epistole*. Quid ergo *Faber* tam obscuris & incertis testimonijs comprobabit? Nam quælibet conclusio certas præmissas habere debet, præsertim si pugnet cum re, tot certissimis testimonijs confirmata.

Sed ut *Fabro* largiar, ipsos *Apostolorum* discipulos, & sanctos *Christi* Martyres has epistolas & libros post se reliquisse, non euincet tamen *Faber* *Missaticum* suum sacrificium. Si enim testimonia illa accuratè per omnes circumstantias, & in originali lingua, qua primùm scripta fuerunt, perpenderimus, utiq; nihil inde aliud colligere poterimus, quàm quòd sancti Martyres cœnam *Dominicam* appellent *Missam* & sacrificium. Quis autem est, qui hoc neget?

Quoniam verò non modò discipuli *Apostolorum*, sed & alij scriptores *Ecclesiastici* usq; ad *Gregorium Magnum*, cœnam *Dominicam* multoties *Missam* & sacrificium nominant, ne eadem sæpius cum fastidio repetenda sint, prius exponam, quid vniuersaliter *Patres* senserint, quoties cœnam *Domini* *Missam* vel sacrificium nuncuparunt.

## DE VOCABVLO Missæ.

**F**aber in omnibus testimonijs, quæ ex antiquis scripioribus decerpit, duo hæc vocabula maxumè vrget: *Missam*, & sacrificium: & vbiq; ea reperit, ad priuatam *Missam* derorquet. *Missâ*, inquit, dictio *Hebraica* est, diciturq; oblatio spontaneæ primitiarum, ex quibus *Isrælitæ* placentas conficiebant, & leuabant in sacrificio. Quia ergo *Patres* ante mille & quadringentos annos,

annos, totam actionem Christi in cœna Missam nominarunt, sequitur Missam esse sacrificium pro viuis & mortuis.

Equidem fateor, aliquos ex Latinis scriptoribus ante Gregorium Magnum cœnam Dominicam nō minus appellasse Missam, quàm post Gregorium Pontificij Rhapsodi appellauerint. Sed Hebraicam dictionem esse, quæ oblationem significet, & eo sensu ante Gregorium acceptam atq; usurpatam esse, quo postea usurpari consuevit, & à Fabro usurpatur, hoc opus, hic labor est demonstrare.

Nam Santes Pagninus in noua translatione Bibliorum locum illum Deut. 16. à Fabro allegatum interpretatur, nō oblationem, sed sufficientiam, hoc est, pro vt ferunt cuiusq; facultates. Et hunc sensum testimonijs insignium Hebræorum confirmat: & suffragantur eidem verba proximè subsequentiā: Iuxta benedictionem Domini Dei tui. Pagnino igitur, tanquàm perito & probato Hebraica lingue artifici, malo hac in parte assentiri, quàm Fabro, nec Hebraicam nec Germanicam linguam probè callenti. Et quia Pagninus eiusdem cum Fabro professionis, ordinis & religionis est, non potest tanquàm suspectus aut partialis ( vt loquuntur ) interpretari, à Fabro reijci.

Sed quid multis peregrinis testibus opus est, cum Faber ipse alibi Latinam vocem esse sentiat? Ite, Missa est, id est, sacrificium peractum est, vel hostia Deo Patri pro nostri consolatione & salute missa est. Tanta est hominis vertigo, vt ipse quid dicat scribat, non consideret.

Sed sit sanè Missa dictio Hebraica, significetq; spontaneam oblationem, vt Faber contendit, num propterea Missaticum suum sacrificium euicit? Nam spontaneum est, & quod spontè fit, & ad quod faciendum nullo debito obstringimur. Cœna autem Dominica non est Spontaneum quippam, quod vel agere vel omittere pro nostro arbitrio liceat. Sed quia mandato Christi præcipitur, est sacrificium

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

crificium debitum. Similiter & Missa Pontificia, quàm spontanea oblatio sit, apud plerosq; sacrificulos, liquido apparet. Nisi enim ex debito Fundationis, vel amore Prasentiarum, ut vocant, Missas celebrarent, maior earum pars, crede mihi, omitteretur. Itaq; Hebraica dictio, Missa, nec cœnæ Dominica, nec Missatico sacrificio congruit.

Porrò *ἡ* Græca dictio est, Missa, ut aliqui opinantur. Nam ubicunq; Latini interpretes Missam ponunt, ibi in Græco est *ἡ* *λατρευτή*, *ἡ* *ἱερουργία*, *ἡ* *προσφορὴ*, *ἡ* *ἑκκλησιαστικὴ*, *ἡ* *συναγωγὴ*, & similia: quorum nihil propriè Missa interpretari potest. *ἡ* *λατρευτή* enim significat ministerium & officium publicum. *ἡ* *ἱερουργία* sacra actio est, & cultus diuinus. *ἡ* *προσφορὴ* munus seu oblatio. *ἡ* *ἑκκλησιαστικὴ*, est concionem conuocare, seu conuentum celebrare. *ἡ* *συναγωγὴ* est congregare, & conuenire. Sed quomodo hæc cum Missa conueniunt?

Exempli gratia, sanctus martyr Ignatius, qui Græcè scripsit, in Epistola quam Faber citat, ponit verbum *λατρευτή*, quod Latini interpretes verterunt, Missas celebrare. Porrò id nec Græci verbi proprietates, nec argumentum & omnes Epistola illius circumstantiæ, de Missatico sacrificio intelligi patiuntur.

Postquàm enim Apostoli alijq; discipuli, qui Christum ipsam viderat & audiuerant, vita defuncti essent, & Pseudoapostoli atq; heretici neminem amplius metuerent, turmatim eruperunt, syncera doctrinæ Apostolorum impudenter contradicentes, ut Eusebius auctor est. Ignatius igitur vnus ex senioribus, cum Antiochia Romam captiuus traheretur, leonibus atq; bestijs obijciendus, fidelis & solliciti pastoris officio fungens, in itinere multas Ecclesias tam viuâ voce quàm Epistolis confirmauit, admonuitq; ut ab hæreticis & clandestinis seductoribus cauerent, qui clanculum inscijs Episcopis, hoc est, legitimis pastoribus (tum enim Episcopi nondum erant mundani proceres atq; Principes, sed pauperes Ecclesiastæ) sese insinuantes, plebeculam seducebant, & priua-

ta cogebant conuenticula, quod Anabaptista hodie faciunt. Inter cetera autem Smyrnenses quoq; adhortatus: Non licet, inquit, sine Episcopo neq; offerre, neq; sacrificium immolare, neq; λειτουργία, Missas celebrare.

Hoc autem non de priuata Missa, in qua Sacerdos solus sacrificat & vescitur, intelligi potest: sed de publico ministerio Ecclesie, & integra actione, quæ in Ecclesijs celebratur. vt sunt, concionari, orare, eleemosynas colligere, baptizare, cœnam Dominicam iuxta institutionem Christi ministrare. Et hunc sensum præcedentia verba Ignatii gignunt: Ea demum firma est, inquit, Eucharistia, quæ ab Episcopo conceditur. Quibus verbis Ignatius declarat, se Missam non iudicare esse sacrificium, sed Eucharistiam, id est gratiarum actionem.

Sic & Dionysij Hierarchia Ecclesiastica, quam Faber citat, Græcè conscripta est: in qua hoc sacratissimum Sacramentum non appellatur sacrificium, sed mysterium, *καθυσία, σὺνὰξις, ἁγιασμία, ἱερουργία*. Pie, inquit, inspiciendum est, cuius rei gratia quod alijs Cap. 3. Part. 1. quoq; venerandis, diuinisq; mysterijs commune vocabulum est, huic præ ceteris præcipuè ac peculiariter applicetur, vt singulariter communio siue societas, & synaxis siue collectio dicatur. Nempe enim & vnaquæq; sacramentalis institutio id agit, vt nostras vitas in plura diuisas, in vnicum illum statum, quo Deo iungimur, colligat. Vides Dionysij etate (quem Apostolorum temporibus vixisse Faber asserit) nomen sacrificij vel oblationis cœnæ Dominicæ attributum non fuisse.

Mox enim in secunda eius capitis parte exponit, quo ritu hoc sacramentum Athenis celebratum fuerit. Primum, inquit, Pontificem (quem & Antistitem & Sacerdotem appellat) incensum in altari adolere, deinde omnes Psalmorum melus concinere, tum sacrarum scripturarum lectionem à ministris recitari. Post hæc indignos à sacramento arceri, diaconos panem & calicem benedictio-

## QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

nis altaribus imponere, Sacerdotem peracta oratione sanctissimam pacem omnibus nunciare, & ad medium altaris assistentem, mysteria vel sacramenta præperata reuerenter ostendere, utq; omnes communicent, hortari: sumpta demùm atq; omnibus tradita communionem, gratijs ælis finem mysterijs imponere.

Pòst in tertia eius capituli parte, clarè ostendit, hoc Sacramentum omnibus sub vtraq; specie exhiberi. Ita enim scribit: sanè operum panem & individuum aperit, in frustra concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, vitam signanter multiplicat atq; distribuit, inq; his consummat celeste mysterium.

Hinc elucescit, cœnam Dominicam tempore Dionysij non fuisse privatam Missam, sed publicam, in qua toti Ecclesie integrum Sacramentum distributum est, obseruato etiam vero usu, videlicet, commemoratione mortis Domini, prædicatione, oratione, & gratiarum actione. Quis non videt illa omnia nostræ cœnæ congruere, Missæ verò Pontificiæ è diametro aduersari?

Ita quoq; S. Martialis in Epistola ad Burdegalenses satis clarè testatur, se non loqui de sacrificio Missæ, sed de legitimæ actione totius cœnæ. Inquit enim in principio capituli tertij: Nunc autem multò magis Sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam vobis tribuunt in calice & pane viuo, honorare debetis. Et in fine eiusdem capituli: sicut communicatio vini Dei est vobis vita: sic participatio mensæ simulachrorum erat vobis æterna mors. Nihil hîc audis de sacrificio Missæ, sed de communicacione vini Dei in Sacramento: nihil etiam de vna specie panis, sed tam in calice, quàm in pane vitam tribui. Totam verò actionem cur sacrificium nominet, paulò pòst dicemus.

Aliud exemplum adducit Faber ex tripartita historia lib. 3. cap. 11. Missas celebrabant, &c. Sic Epiphanius Scholasticus in-

Interpretatus est. Sed Sozomenus, qui hanc historiam Græcè scripsit, ita habet: *ἡ δὲ τῶν πατρῶν ἐκείνων ἐκείνη ἡ εὐχὴ ἡ αὐτῶν ἡ κοινὴ ἐστὶν.* Certum est autem *ἡ κοινὴ ἐστὶν*, non idem esse, quòd sacrificare, aut Missas celebrare, sed in Ecclesia conuenire, vel ad concionem accedere. Insuper etiam circumstantiæ istius loci, quem Faber nimis decuratum allegat, ostendunt, non de Priuata Missa, aut sacrificio Missarum: sed de cæteris Ecclesiasticis, & cultibus diuinis, qui vniuersæ Ecclesiæ communes sunt, intelligendum esse.

Nam antequàm Imperatores Romani fidem Christi amplecterentur, magna erat in Ecclesijs persecutioni obnoxijis, confusio. Aliqui enim heretici habebant propria conuenticula & oratoria. Alij verò, vt Arriani, admiscebant se Catholicis & Orthodoxis. Etiam si enim Catholici & Heretici sententijs quibusdam inter se inuicem discreparent, ab Ethnicis tamen idem conseruebantur, & pariter affligebantur: & propter communes calamitates in seipfos curiosius inquire nequibant: eamq; ob causam facile fiebat, vt singuli separatim conuenientes Ecclesias colligerent, & continuè inter se conuersantes, licet pauci essent, non diuiderentur. Constantinus autem Imperator ad fidem Christianam conuersus, legem tulit, qua oratoria illorum destrui, Ecclesijsq; eos coniungi, & nec in priuatis adibus, nec publicis Ecclesiam colligere mandauit. Decentius enim esse monebat, cum Catholica Ecclesia communicare, & vt in hac conueniretur, consulebat. Post hanc legem, nec publicè tanquàm prohibiti, nec latenter conueniebant. Hinc factum est, vt maior pars perterrita Catholica Ecclesiæ sese coniunxerit. Quæ omnia suprâ dicto loco tripartitæ Historia fusius tractantur.

In hac tota historia nulla fit mentio priuatae Missæ vnius alicuius Sacerdotis: sed publicorum cæterum, qui inuicem communi-



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

cabant, non modò de consecrato pane & calice Domini, verum etiam in prædicatione, oratione, gratiarum actione, elemosynis, & cæteris cultibus. Itaq; nec verbum  $\mu\alpha\rho\tau\alpha\rho\iota\sigma\iota\varsigma$ , nec consuetudo Ecclesie, temporibus Constantini vsitata, Pontificie Missæ patrocinantur.

Eadem ratio est aliorum Patrum & Doctorum, qui Græcis scripserunt, Origenis, Athanasij, Nazianzeni, Epiphaniij, Chrysostomi, & similitum. Ex quibus, quoties aliquid de Missa allegatur, certum est, nec vocabulum Missæ, nec sententiam de sacrificio pro viuis & mortuis apud illos extare, sed loqui tantum de  $\lambda\epsilon\upsilon\tau\epsilon\rho\rho\iota\alpha, \iota\epsilon\rho\rho\epsilon\rho\iota\alpha, \kappa\alpha\tau\alpha\tau\alpha\iota\sigma\tau\iota\sigma\mu\alpha, \sigma\omega\mu\alpha\tau\omega\rho\alpha$ , &c. hoc est, de integra actione Sacramenti, quæ totius Ecclesie communis est.

Faciunt igitur iniuriam Græcis scriptoribus, qui usum vocabuli Missæ, & totam Missam Latinam, ac Romanensem ex ipsi probare conantur.

Restat itaq;, Missam nec Hebraicam nec Græcam dictionem esse, sed Latinam: videlicet Participium fæmininum à mittendo.

Quæ autem huius etymologiæ ratio & origo sit, & quo tempore primùm indita sit cæne Dominicæ hæc appellatio, multa & & varie sunt, ac proinde incertæ tam veterum quàm recentiorum scriptorum sententiæ.

Ex nudis literis & syllabis vocabuli Missæ, nihil certi colligi potest. Quis enim scit, quæ res, à quo, & in quem locum, & unde missa sit? cum absolutè tantum dicatur M I S S A. Nec possunt Papiæ primam & veram huius vocabuli originem indicare. En tam egregio & certo fundamento idolum istud Papiæ ninitur.

Vergilius Polydorus de Inuentoribus rerum lib. 5. cap. 12. derivat à Græca voce,  $\mu\iota\sigma\iota\sigma$ , id est, missio. Nam ex Apuleij libro 11. de aureo asino probat, etiam Ethnicorum Sacerdotes peractis suis sacris solitos esse renunciare:  $\tau\omega\iota\varsigma \lambda\alpha\omega\iota\varsigma \mu\iota\sigma\iota\sigma$ , hoc est: Populis missio.

missio. Idem igitur mos à nostris etiam seruatur ( inquit Polydo-  
 rus ) vt peractis sacris, per Diaconum pronuncietur: *Ite, Missa*  
*est*, hoc est, ire licet. Non est autem præter consuetudinem, quòd  
*Missa*, non *missio* pronuncietur, quando nostra religionis au-  
 thores promiscuè *missionem*, & *Missam* usurpare, Diuus Cypria-  
 nus testatur, qui remissam peccatorum scripsit. lib. 2. Epist. ad For-  
 tunatum de infantibus baptizandis. Hac ergò significatione *Mis-*  
*sa* accipitur pro dimissione, vt cum plebs ex concione, aut Schola-  
 stici è schola dimittuntur: & Latina phrasis est, *dimittere ex-*  
*erctum*, vel *Senatum*. Eodem sensu *Misse* vocabulum accipit Io-  
 annes Cassianus de institut. Monach. lib. 3. cap. 7. & Beatus Rhe-  
 nanus in Annotationibus in lib. 4. Tertulliani contra Marcionem.  
 Et suffragatur conclusio *Misse*, in qua Sacerdos ad populum  
 conuersus, cantat: *Ite, Missa est*.

Alij, vt Rabanus lib. 1. cap. 32. Hugo de sancto Victore, de Sa-  
 cra. lib. 2. parte 8. cap. 14. Innocentius lib. 6. de Sacramento Alt.  
 Myst. Can. 2. affirmant, *Missam* dici ab emittendis Catechumenis,  
 id est, nondum baptizatis. Antiquitus enim, cum Sacerdotes fi-  
 nito Offertorio, consecrationis mysterium incipere essent, dimitte-  
 bantur Catechumeni. Neq; enim nondum baptizatis consecrationi  
 huius Sacramenti interesse licebat. Et hæc sententia minime est  
 improbanda.

Durandus in Rationali diuinorum lib. 1. Rub. 7. ait, *Missam*  
 inde nominatam, quòd Sacerdotes orationem seu preces, tanquam  
 nuncium, mittant ad Deum. Esset & hoc exymon tolerabile, si de  
 communi prece totius Ecclesie, non de intercessione Sacerdo-  
 tis quasi mediatoris inter Deum & homines, intelligeretur.

Sed Faber in capite de clausula: *Ite, Missa est*, hanc rationem  
 nominis assignat. *Ite*, inquit, *Missa est*, id est, sacrificium pera-  
 ctum est, vel, hostia Deo Patri pro nostri consolatione & salute  
 missa est. Quod in solenni-ribus festis pluribus verbis dicitur: *Ite*

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

vos benedicti & electi viam pacis . Pro vobis Deo patri hostia missa est . Verum hæc sententia impia est, & primæ institutionis ac vero vsui cæne contraria . Et sanè dignum est patella operculum: Idolatrica Missæ idolatrica conuenit conclusio.

Ego verò, si liceret, dicerem (cum prorsus nihil certi de hoc vocabulo constet) Missam nec Hebraicam, nec Græcam, nec Latinam vocem esse, sed Chaldaicam: fretus varicinio Danielis, qui Chaldaico idiomate longè antè Pontificia Missæ idolomaniam prædixisse videtur. Sic enim inquit, cap. 11. Deum patrum suorum non reputabit ( Antichristus. ) Deum autem Maxxim (propè modum Missam dixisset) in loco suo venerabitur, & Deum, quem ignorauerunt patres sui ( id est, Apostoli ) colet auro, & argento, & lapide precioso, rebusq; preciosis.

Sed vereor, ne, si hoc dicam, Faber putet, me sentire Papatum esse regnum Antichristi . Quod, si Dijs placet, ingens esset piaculum . Sed me tacente, ipse Papatus se Antichristianismum esse non vno indicio prodit.

At si Faber pro sua ruditate & inscitia linguam Chaldaicam non intelligat, & hæc etymologia minus ei placeat, non erraueris si Germanicam vocem esse dixeris, quæ celebres & frequentes nundinas significet . Nam Francosurtenses, Lipsicas, Nordlingenses, & similes nundinas Germani sua lingua Missas vocant. Nec ineptè quadrat hoc etymon Missæ Pontificiæ . Quemadmodum enim filij huius seculi in eiusmodi nundinis varros contrahunt exercent, emendo, vendendo, vsuris, dolis, fraudibus, mendacijs, sæpè viciosas merces pro bona pecunia extrudentes: ita priuata Missa nihil aliud est quàm nundinatio, qua sacrificuli & Monachi ita negociantur, vt imposturis suis & fictitijs sermonibus, ( quemadmodum Petrus prædixit ) omnes ferè totius mundi opes ad se rapiant . Sed misificent, quantum velint, iudicium ta-

men ipsorum non tardat, & perditio illorum non dormitat. Nam  
qua mensura mensi sunt, eadem remerietur illis Dominus.

Quia verò ex simplici & nudo vocabulo Missæ, Pontificia  
Missæ evinci & defendi non potest, confugiunt aliqui nostrorum  
adversariorum ad distinctionem Missæ. Patres, inquiunt, distinctè  
loquuntur de Missa: aliam privatam, aliam publicam dicentes.  
Ideoq; privata Missa erit aliquid aliud, quàm cœna toti Ecclesiæ  
communis. Quid ergò erit? sacrificium, aut, Sacerdotis pro vivis  
& defunctis.

Deus bone, quoties repetendum nobis est, nos non de verbis  
pugnare, quibus interdum veteres scriptores cœnam Dominicam  
bono & simplici animo appellarunt? Sed de ipsis rebus, de substan-  
tia, in quâ, cœnæ, de vero usu & abusu, de observatione & viola-  
tione institutionis Christi. Hic non verbis patimur nobis satisfac-  
ri, sed rebus & sententijs.

Fatemur Patres de publica & privata Missa loqui. Interim  
tamen scimus, eos utraq; appellatione denotasse solam communio-  
nem corporis & sanguinis Christi, non privatam Missam & sacri-  
ficium Missaticum. Interdum enim cœna Dominica Missa publi-  
ca dicitur, quòd in publico, & in communione totius ecclesiæ cele-  
brata fuerit. Interdum verò Missa privata dicitur, eò, quòd non  
in publico cœtur, sed in privatis ædibus, ægrotis, Martyribus, ex-  
communicatis, lapsis, in articulo necessitatis subministrari consue-  
verit. Talem fuisse publicæ & privatæ communionis morem, testa-  
tur tripàrtita historia lib. 3. cap. 11. Itaq; hæc distinctio Missam  
Pontificiam nihil iuvat.

Hæc ergò summa sit eorum, qua diximus. Primum, Missam  
neg. Græcam neg. Hebraicam dictionem esse: ac proinde tum Apo-  
stolis, tum eorum discipulis, tum uniuersæ Ecclesiæ primitiua su-  
pra trecentos annos ignotam fuisse.

Secundò, omnes Patronos Missæ nullum probatum aucto-  
rem

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

rem Latinum proferre posse, qui cœnam hoc nomine appellauerit, ante sanctæ memoriæ Episcopum Victorem Vicensem, qui historiam Vandalicæ persecutionis conscripsit, & ante Epiphanium Scholasticum Historiæ Tripartitæ interpretem. Qui ambo inter quartam & quintam centuriam vixerunt.

Tertio, Papistas ne vnum quidem vel ex Græcis vel ex Latinis Patribus posse adducere, qui ante Gregorium Magnum aliter vsi sint vocabulo Missæ, quàm pro legitima & publica actione cœnæ Dominicæ, quæ toti Ecclesiæ communis est.

Quomodo ergo Faber aliq̃ patroni Missæ ex vocabulo Missæ probabunt, ipsos Apostolos, eorumq̃ discipulos, & reliquos primitiua Ecclesiæ Patres Missam priuatam celebraisse, vel aliquid de ea scriptum reliquisse. Certè meræ sunt præstigiæ, quibus simplicem plebeculam fascinare student, vt credat recens natam Missam tantæ vetustatis esse, vt à Christo ipso, à sanctis Apostolis, eorumq̃ discipulis originem suam ducat.

Quid autem Pontificiorum scriptorum turba, post Gregorium Magnum, vsq̃ ad nostra tempora, per vocabulum Missæ intelligant, suis locis, iuuante Deo, ostendemus. Nunc de vocabulo sacrificij aliqua dicenda restant.

## DE VOCABVLO sacrificij.

**Q**uemadmodum Faber vocabulum Missæ hûc illûc flexit atq̃ reflexit: Ita & vocabulum sacrificij, vbicunq̃, vel in sacris Literis vel in Patrum scriptis reperitur, violenter ad suum institutum detorquet: videlicet, vt Missam probet esse sacrificium pro viuis & mortuis. Non esse autem hanc sacræ scripturæ mentem, in tribus primis Classibus prolixè à nobis demonstratum est. Nunc quid Patres de eo sentiant, considerabimus. Primum ergo dicemus,

dicemus, de vi et significacione vocabuli. Deinde commemorabimus causas, quare Patres cœnam Dominicam sacrificium appellaerunt. Postremò docebimus, Patrum dicta non de sacrificio priuatiœ Missæ, sed de integra cœna totius Ecclesiæ intelligenda esse.

Germanica vox, *Opffer*, plerisq̃ non tam cognita est, quàm frequens alioquin & protrita esse solet. Nec dubium est, quin ab offerendo dicta sit. Græca autem vox, *ἱερωσία*, & Latina sacrificium, vim vocabuli dilucidius explicant, quàm Germanica. Nam *ἱερωσία* generaliter significat sacram actionem, seu quoduis opus sanctum & pium. Et sacrificare generaliter est, aliquid sacrum facere. Sacrificiũ idem sonat, quod sacrum officium. Vnde & Missarum sacrificium appellarunt, *OFFICIUM MISSÆ*, quasi sacrum, & Deo conuenientem cultum.

Aspiratur nobis Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 6. ita scribens: Proinde verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus. Cum igitur sacra cœna in hunc usum à Christo instituta sit, vt per hanc ipsi sancta societate (vt Augustinus loquitur) inhereamus, & per ipsum deniq̃ beati efficiamur, sancti Patres religiosa & deuota mente, hunc præcipuo (si externos cultus spectes) & quotidiano cultui diuino, nomen sacrificij indiderunt.

Multæ autem sunt causæ, ob quas cœna Dominica sacrificij nomen optimè meretur. Ordine autem sex causas recensebimus.

Prima causa hæc est. Inter omnes externas ceremonias & ritus sacros, mos sacrificandi pecudes & cibos notissimus fuit & vulgarissimus, non modo inter Iudeos, qui ex mandato Domini iuge sacrificium vesperti & manè sacrificabant: Num. 28. Exod. 29. verum etiam inter Ethnicos, qui ex incredulitate, exempla Patriarcharum imitati, sua etiam immolarunt sacrificia. Cum ergò Ecclesia ex Iudeis & gentibus, per prædicatione Euangelij

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

collecta esset, consuetum nomen sacrificij in usu permansit, ita, ut omnibus noui Testamenti cultibus tribueretur, inter quos cœnæ Dominica principem locum obtinet. Quamquam Apostoli & ueritissimi Patres probè norant, omnia typica veteris Testamenti sacrificia, unico sacrificio Christi in cruce consummata a sumisq; esse, & deinceps usq; ad finem mundi alia spiritualia sacrificia offerenda, labiorum nimirum uitulos, & veteris hominis mortificationem. De qua munda & acceptabili oblatione, supra ex 12. cap. ad Rom. & Malach. 1. non pauca annotauimus.

Et hoc sensu Athanasius cœnam vocat exanguem immolationem. Cyrillus incruentum sacrificium. Et Gregorius Nazianzenus: ò sacrificia mittentes incruenta Sacerdotes. Quæ loca in testimonium Misarici sacrificij Faber adducit, & confert incruentum sacrificium cœnæ cum cruento sacrificio crucis: affirmans, Christum semel in cruce cruento modo oblatum, in cœnâ quotidie incruento modo offerri. Hanc verò inauditam, & recentem confictam friuolam distinctionem, de duplici sacrificio Christi, luculentè refellit Epistola ad Hebræos. Per proprium, inquit, sanguinem Christus ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Et mox: Non ut sapius offerat semetipsum: alioqui oportuisset illum sapius passum fuisse. Et in epitogo: Quatenus illud manet homines, ut semel moriantur, post hoc autem iudicium: ita & Christus semel oblatum, ut multorum peccata rolleret, rursus absq; peccato conspicietur, ijs, qui illum expectant, in salutem. Heb. 9.

Adhæc, Faber dicta Patrum de incruento sacrificio infideliter & truncatim, prout suæ causæ seruire iudicat, citare solet. Cyrilli verba in Epistola contra Nestorium sic habent: Annunciantes enim eam, quæ secundum carnem est, mortem unigeniti filij Dei, hoc est, Jesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, inq; cœlos assumptionem confitentem, incruentum in Ecclesijs per-

ficimus

ficimus cultum ( *κατάθεσις* (attende) vocat Cyrillus, non sacrificium: significat autem *κατάθεσις* in genere cultum diuinum) accedimusq; ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, efficiturq; participes sanctæ carnis & preciosi sanguinis, nostri omnium saluatoris Christi.

Hæc Cyrilli verba testantur, prædicationem & confessionem Euangelij esse inuentum cultum, & cœnam esse participationem corporis & sanguinis Christi. Faber autem omisis illis circumstantijs, quæ Missatice suo sacrificio aduersantur, excerpit duas tantum voculas de inuento sacrificio. Idem facit in testimonijs Athanasij & Nazianzeni. Quàm hoc deceat virum bonum, ipsis etiam aduersarijs iudicandum relinquo.

Nam collatio cruenti & inruenti sacrificij, apud Patres, non distinguit inter sacrificium crucis, & sacrificium cœnæ Dominicæ: sed inter cultus veteris & noui Testamenti. Hoc enim Patres volunt dicere: Externum populum veteris Testamenti habuisse suos externos cultus & sacrificia, quæ absq; sanguinis effusione facta non sunt: Christianos autem, tanquàm spiritualem populum, in spiritali regno Christi, habere etiam suos spirituales cultus & sacrificia, quæ spiritali & inruento modo offerantur. Inter quos inruentos cultus cœnæ Dominicæ præcipuas partes sibi vindicat.

Itaq; quod Athanasius, Cyrillus & Nazianzenus inruentum sacrificium appellant, id Epiphanius vocat nouum sacrificiũ, quod veteribus legalibus sacrificijs succedens à Christianis iuxta institutionem Christi celebretur. lib. 1. Tomo. 3. contra Marcionistas.

Secunda causa, quare Patres integram cœnam appellent sacrificium, hæc est: quia est commemoratio vnicj sacrificij Christi, semel in cruce peracti. Quemadmodum enim Levitica sacrificia præmonstrarunt vnicum & æternum sacrificium Christi futurum & peragendum: ita nunc cœna Dominicæ peracti &



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

perfecti in cruce sacrificij memoriam in Ecclesia refricat & conseruat. Nam sæpè solent verba per Catachresin & abusionem, ad res proprijs nominibus carentes, à similibus & cognatis rebus transferri. Sic & Patres commemorationem vnici sacrificij Christi <sup>VERITATE</sup> <sup>CHRISTICIS</sup> appellant sacrificium.

Ita Agnus Paschalis, quem Israëlita quot annis in terra Chanaan mactabant & immolabant, vocatur sacrificium Passab, id est, transitus: erat enim memoriale eius sacrificij, cuius sanguis olim in Aegypto super postes & superliminaria illitus, prohibebat transeuntem percussorem à plaga disperdente. Exod. 12.

Porrò cœnam Domini hanc ob causam sacrificium dici, quod vnici sacrificij Christi sit commemoratio, testatur & ipse Augustinus ad Honoratum Epistola 120. Item ad Bonifacium Epist. 23.

Sæpè, inquit, ita loquimur, vt Pascha appropinquante dicamus, crastinam vel perendinam esse Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempè ipso die dominico dicimus: Hodie Dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit, tot anni transferint. Cur nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, vt dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis eius, & dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed iam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in se ipso? & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec vtiq, mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari? Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunq, etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergò secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, Sacramentum

tum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita & Sacramentum fidei, fides est, &c.

Idem Augustinus in Psal. 22. & repetitur de  
Consecrat. dist. 2. Can. Semel.

Semel Christus mortuus est, iustus pro iniustis: & scimus, & certum habemus, & spe immobili retinemus. Quia Christus resurgens à mortuis iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Verba ista Apostoli sunt. Tamen ne obliuiscamini, quod semel factum est, in memoria nostra sit omni anno, quoties Pascha celebratur. Numquid toties Christus occiditur? Non. Sed anniuersaria recordatio representat, quod olim factum est: & sic nos facit moneri, tanquam videamus presentem Dominum in cruce.

Ex his verbis Augustini liquidò apparet, quo sensu Patres corpus & sanguinem Christi in cœna vocarint sacrificium: eo nimirum, quo magna feria sexta dicere solemus: Hodie Christus passus est: & die Paschæ: Hodie Christus resurrexit. Quemadmodum enim Christus non singulis diebus Parasceues patitur & moritur, nec singulis diebus Paschæ resurgit: ita non quotidie de nouo sacrificatur. Et sicut illis diebus fit tantum commemoratio earum rerum, quæ olim in diebus illis gestæ sunt: ita in Sacramento sola commemoratio sacrificij Christi celebratur.

Cum verò Augustinus inter priscos Patres facile princeps sit, vixeritq; anno circiter quadringentesimo post natum Christum, ducentis annis ante Gregorium Magnum, non est dubium, quin & cæteri Patres ante & post Augustinum, eodem sensu, quo ipse, cenam Dominicam sacrificium appellauerint. Quemadmodum infra sigillatim de vnoquoq; audituri sumus.

Audiamus quoq; ex Pontificijs scriptoribus aliquem. Petrus

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

ergò Lombardus, quem vocant Magistrum sententiarum, lib. 4. Dist. 12. ita scribit.

Post hoc, inquit, queritur, si, quod gerit Sacerdos, propriè dicatur Sacrificium vel immolatio, & si Christus quotidie immolatur, vel semel tantum immolatus sit: ad hoc breuiter dici potest: illud quod offertur & consecratur à Sacerdote vocari sacrificium & oblationem, quia memoria est & representatio veri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibiq; immolatus est in semet ipso. Quod autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.

Et quia Magister Sententiarum coryphæus est scriptorum Pontificiorum, vixitq; plus minus quingentis annis post Gregorium Magnum, & quadringentis ante nostra tempora, ac nemo extitit, qui ei contradiceret, facile colligitur, non aliam fuisse reliquorum eius turbæ scriptorum sententiam, si quando Missam vocarunt sacrificium.

Hic respondet Faber, se quoq; fateri, Christum solo crucis sue sacrificio promeruisse nobis remissionem peccatorum, & vitam æternam. Sed in Missa Sacerdotem illud ipsum sacrificium corporis & sanguinis Christi in altari Deo Patri sistere, in recordationem mortis eius in cruce. Nihil ergò nouum esse, quod Missam astiges cœnam suam sacrificium commemoratiuum appellent.

Audio quidem speciosa verba, sed metuo ne sint verba, hoc est, fabula & figmenta. Si enim Faber ex animo sentit, Sacramentum altaris esse duntaxat sacrificium commemoratiuum, cur alibi inquit, Missa abolita præ foribus adesse iram Dei præoccupantem impios? Cur sacrificio Missæ crimina & peccata deleri asserit? Cur non laicis concedit, vt aequè ac Sacerdotes hanc commemorationem peragant? Nam cum in libro suo frequenter inculcet

incolcet discrimen inter Laicos & Sacerdotes, interq̄ sacrificiū & communionem: & affermet, solos Sacerdotes consecratos, corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini in Missa offerre, non pro seipsis tantum, verum etiam pro alijs cum viuis tum mortuis, Laicos verò vnā duntaxat speciem pro seipsis solummodò accipere: quis non videt mera esse figmenta, quæcunq̄ Faber de commemoratiuo sacrificio loquitur, omniaq̄ hūc tendere, vt veteres abominaciones priuata Missa his coloribus pingantur atq̄ stabiliantur.

Sin autem Faber simplici & candido animo totam actionem cœnæ Dominicæ, & non solius Sacerdotis opus, commemoratiuum sacrificium nuncuparet, non pugnarem, nec institueremus *doxologia*. Hæc enim forma loquendi tam sacris literis, quàm Patribus vsitata est, vt paulò antè diximus, & deinceps plura dicemus. Non rixamur de appellationibus Sacramenti, sed de vsu & abusu illius: ac faciliè patiemur cœnam illam sacratissimam, non modò sacrificium dici, sed alijs etiam sublimioribus ac diuini-  
 bus titulis insigniri atq̄ exornari.

Etenim dignissimum illud corporis & sanguinis Christi Sacramentum tantum est mysterium, & tam inexhaustus cœlestium bonorum thesaurus, vt nullorum hominum linguis satis pro dignitate celebrari queat. Quia est communicatio corporis & sanguinis Christi, sigillum iusticiæ & vitæ, ac pignus futuræ gloriæ & beatitudinis. Nec tantum Patriarchæ & Prophætæ desiderarunt videre, quæ nos videmus, & audire, quæ nos audimus: sed ipsi etiam Angeli desiderant prospicere in ea, quæ nunc annunciantur nobis per prædicationem Euaegelij, 1. Pet. 1. O quàm beatos se iudicarent sancti Angeli, si diuinæ & humanæ naturæ Christi, quemadmodum nos in cœna, participes & consortes fieri possent? Sed hoc datum illis non est: non enim Angelos as-  
 sumpsit,

QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

sumpsit, sed semen Abraham. Heb. 2. Verum, o turpissimam & detestandam ingratitude nostram. Alij peruertunt & corrumpunt Testamentum filij Dei: alij negant: alij negligunt & aspernantur. Quare optaremus, vt si fieri posset, sacrosancta cœne angelica & diuina nomina tribuerentur, si fortassis aliqui ad maiorem amorem & venerationem illius excitarentur. Sed horrendum abusum, quem Faber specioso nomine palliat, nullo modo approbare aut tolerare possumus.

Tertio. Patres cœnam Dominicam hac etiam de causa sacrificium nominant: quia plerumq; cum celebratione cœnæ sacra & piæ preces fidelium, eaq; publicæ, coniunguntur. Sæpè autem preces in sacris literis sacrificij nomine appellantur. Exodi 30. præcepit Dominus Mosi, vt Aaron & filij eius singulis diebus, vespere & mane perpetuum thymiana in altari adolerent. Id Spiritus Sanctus ipse de oratione interpretatur, Psal. 141. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum. Et Luc. 1. cum Zacharias in ordine vicis suæ odores in templo Domini incenderet, omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis. Et ait angelus ad Zachariam: Exaudita est deprecatio tua. Et Heb. 5. Christus in diebus carnis suæ & preces & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore valido & lachrymis obtulit. Item Apoc. 5. & 8. cap.

Cum ergo oratio in Ecclesia non postremus cultus sit, (adhortatur enim Paulus, vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus) soleatq; in scripturis vocari sacrificium: Patres totam actionem cœnæ sacrificium vocarunt, propter communem omnium fidelium in Ecclesia orationem, præcipuam illius actionis partem. Et nequaquam senserunt, separatim illud solius Sacerdotis opus, quo panem & vinum in Missa offert, esse peculiare quoddam & no-

uum sacrificium, quo homines cum Deo reconcilientur.

Porro orationem à Patribus dictam esse sacrificium, non aliunde, quàm ex ipsis Patrum testimonijs conuincemus. Nam Tertullianus scriptor antiquissimus in Apologetico, cap. 30. Ipse est, inquit, qui solus prestat: & ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius: qui eum solum obseruo, qui propter disciplinam eius occidit, qui ei offero opimam & maiorem hostiam, quàm ipse mandauit: orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam.

Idem ad Scapulam. Itaq; & sacrificamus pro salute Imperatoris scilicet Deo nostro, & ipsius: sed, quomodo precepit Deus, pura prece. Irenæus liber 4. contra Hæreses cap. 34. Vult nos Dominus adferre munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cælis, illuc enim preces nostræ & oblationes diriguntur, vt ad templum.

Sacrificium autem orationis de tota actione cœnæ Dominicæ intelligi, clarius testatur Chrysostomus, 2. Corinth. 8. Homel. 18. Quin & in precibus, inquit, viderit quis populum multum simul offerre: communes enim preces à Sacerdote, & ab illis sunt, & omnes vnâ dicunt orationem, orationem misericordia plenam. Et mox: Ea quæ sunt Eucharistiæ, id est, gratiarum actionis, communia sunt: neq; enim ille (Sacerdos) solus gratias agit, sed etiam omnis populus. Eius rei vestigia quedam supersunt in Missa priuata, in qua Collectæ, Secretæ, Complendæ, imò & orationes quedam Canonis, non in solius Sacerdotis, sed & totius Ecclesiæ nomine, leguntur & cantantur.

Quartò. Patres cœnam Dominicam appellant sacrificium, à præcipuo eius vsu, propter quem à Christo instituta est: videlicet, vt credentes Deum patrem per Christum celebrent, eiq; gratias agant, cum pro omnibus beneficijs, tum pro illo maxime, quòd morte Christi ab æterna morte redempti sumus. Vnde & Eucharistia,

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

hoc est, gratiarū actio dicitur. Christus enim non ideo tantum cœnam instituit, ut in pane & vino corporis ac sanguinis eius particeps fieremus, eiusq̄ memoriam celebraremus: sed ut Patri etiam cœlesti gratias ageremus, sicut & ipse in institutione cœnæ gratias egit, mandavitq̄: Hoc facite in mei commemorationem.

Frequenter autem in scripturis laudes Domini, & gratiarum actiones sacrificia dicuntur. Psal. 50. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et in fine eius Psalmi: Offerens laudem honorificabit me, & ibi viam ostendam illi, in salutem Dei. Et psal. 69. Laudabo nomen Dei cantico, & magnificabo eum laude: & placebit Deo magis, quàm taurus & iuuenens, qui cornua producit & ungulas. Et Ecclesiastici 35. Qui offert similaginem, retribuet gratiam. Ad idem sacrificium hortatur Apostolus Hebræos cap. 13. Per ipsum (Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomina eius.

### Augustinus Epistola 120. ad Honoratum, de gratia noui Testamenti.

Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in sacrificio noui Testamenti, quod, ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, inuenies.

### Eusebius lib. 1. de Demonstratione Euangelica, cap. 10.

Igitur & sacrificamus & incendimus, aliàs quidem memoriam magni illius sacrificij, secundum ea, quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososq̄ hymnos, & orationes sanctas illi offerentes: aliàs nos ip-  
sos

pro toto ei consecrantes, eiusq̄ Pontifici, ipsi vtiq̄ verbo, corpore animoq̄ dicantes.

Tertullianus lib. 4. contra Martionem.

Intellexerat Samaritis veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum scilicet actionem, apud verum templum, & verum Pontificem eius Christum facere.

Chrysoftomus Homelia 16. super  
Matthæum.

Optima quippè beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio. Propterea & reuerenda ac salutaria illa mysteria, quæ omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputq̄ ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosq̄ faciunt debitas Deo gratias semper exoluere.

Quoniam ergò gratiarum actio, ex præcipuis vsibus cœnæ non infimus est, & sacrificium dicitur, factum est, ut Patres totam actionem cœnæ Eucharistiam, & sacrificium Eucharisticum vocarint. Nequaquam autem senserunt, corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini in Missa priuata esse sacrificium, quod applicetur alijs, non edentibus & bibentibus. Hic enim abusus ultra sexcentos annos post Christi ad cælos ascensionem Patribus ignotus fuit: ut suo loco audiemus.

Quintò. Hanc etiam ob causam veteres Theologi cœnam sacrificium vocarunt: quia populus ad celebrationem cœnæ afferbat primitias frugum, panem, vinum, aliaq̄ munera pro cõseruatione ministerij Ecclesiastici, & subleuatione pauperum. Nã in primis inijs Eccle-



QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

sia, Episcopi & ceteri ministri non habebant constituta salaria & annuos redditus, quemadmodum nostris temporibus. Sicut igitur filij Israël spontanea sacrificia ad tabernaculum afferebant. Exod. 25. quemadmodum præcepit Moses Deut. 16. Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret vnusquisq; secundum quod habuerit, iuxta benedictionem Domini, quam dederit ei: Ita Christiani aliqui in primitiua Ecclesia omnes suas substantias vendiderunt, posueruntq; ad pedes Apostolorum. Act. 4. & 5. Alij de bonis suis *veritas ad esse*, collationes & subsidia pro necessitate pauperum subministrarunt: de quibus 1. Cor. 16. & 2. Cor. 8. & 9. Nonnulli vero pro veteri consuetudine legis, vinum, panem, primitias frugum, & alias *veritas ad esse* in Ecclesia contulerunt, ad usum cœnæ Domini, & sustentationem ministrorum, iuxta præceptum Christi: Dignum esse operarius mercede sua. Luc. 10. Et Paulus, Galatas cap. 6. hortatur: Communicet autem, qui catechizatur sermone, ei, qui se catechizat in omnibus bonis.

Phil. 4.

Talia munera & collationes in sacris literis vocantur sacrificia Deo grata & accepta. Sic Philippensibus pro misso subsidio indigentiae suae Paulus gratias agit: Expletus sum, inquit, postquam accepi ab Epaphrodito, quae à vobis missa fuerant, odorem bonae fragrantiae, hostiam acceptam gratamq; Deo. Et prouer. 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Quis autem neget sacrificium esse, quod Domino datur seu fœneratur? Non dubium ergo esse, elemosynas esse sacrificium Deo acceptum. Sic & Heb. 13. Beneficentiae & communicationis ne obliuiscamini. Talibus enim victimis delectatur Deus.

Ex huiusmodi ergo muneribus & collationibus piorum, quibus ministri Ecclesiae, & pauperes subleuabantur, & quantum necesse erat ad cœnæ distributionem, segregabatur. Patres totam actionem cœnæ Domini appellarunt sacrificium, & mensam, in qua munera illa collocabantur, mensam Domini, interdum etiam altare

altare dixerunt, idq̄ simplici animo & σωκεδοχικῶς, non errore & abusu Papistico, quemadmodum Faber contendit.

Ita Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Imperatorem: Ditiore, inquit, si libeat, pro sua quisq̄ voluntate conferunt: collecta deponuntur apud Præpositum. Is subuenit pupillis, viduis, & propter morbum aliamue necessitatem egentibus, vinctis quoq̄, ac peregrinis, & in summa curator fit omnium inopum.

Tertullianus in Apologetico cap. 39. Modicam vnusquisq̄ stipem mensura die, vel cum velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensantur: sed egenis alendis humanisq̄, & pueris ac pupillis re ac parentibus destitutis, atateq̄ domitis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, in insulis, vel in custodijs, duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ sunt.

Iræneus lib. 4. contra hereses cap. 32. Ecclesia in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo Testamento.

Et cap. 34. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam. Et statim eas oblationes recenset: Esurientes pascere, nudos cooperire, &c.

Cyprianus sermone primo de Eleemosyna, diuitem quandam matronam his verbis obiurgat: Locuples & diues, dominicum celebrare te credis, quæ Corbanam omninò non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Hic Cyprianus cænam Dominicam vocat sacrificium, à sacrificio collationum pro pauperibus, quæ à fidelibus Domino offerrebantur, ac deinde ex illis Sacramentum cænae pro omnibus præparabatur.

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Idem in epistola ad Clerum & plebem de Victore, eos Christianos, qui Eleemosynas in sportulis afferebant ad Ecclesiam, vocat sportulantes fratres.

S. Paulinus in libello de Gazophylacio refert, mensam in Ecclesia poni solitam, quæ mensa Domini vocata sit: in quam locupletiores, pro reficiendis pauperibus, cibos & potum ponebant.

Augustinus de pijs quibusdam mulieribus, quæ à Barbaris captivæ abductæ fuerant, ita scribit epistola 122. ad Victorianum. Sic enim sunt illæ in terra captivitatis suæ, quomodo erant illi in ea terra, ubi nec sacrificare more suo poterant Domino, sicut nec istæ possunt vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.

Hic Augustinus Eleemosynam piarum fæminarum vocat sacrificium, & mensam, in qua ponebant, altare Dei. Diserte autem ait, fæminas offerre, quod nullo modo de sacrificio Missæ potest intelligi. Nulla enim fæmina, ne ipsa quidem virgo Maria Missam celebrare potest. Patet ergo, totam actionem cænæ dici sacrificium, propter collationes illas munerum, quæ ad celebrationem cænæ à populo adferri & offerri solebant.

Ac sine dubio orationes illæ, quarum aliquæ adhuc extant in collectis secretis, cõplendis & canone, non super Sacramento, sed super collationibus & eleemosynis fidelium, ut Deus benignè eas acceptaret, dictæ fuerunt: postea verò ad corpus & sanguinem Christi detortæ sunt, ut per sacrificium illud Missaticum Deus reconciliaretur. Qui abusus manifestior est, quàm ut negari possit. Nam secreta oratio quintæ Dominicæ post Pentecostes, talis est: propitiare Domine supplicationibus nostris: & has oblationes famularum & famularum tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem, per Dominum, &c. Similes sunt secreta Dominicæ sextæ & septimæ. Hæc autem non possunt intelligi de sacrificio corporis & sanguinis Christi, sed

de collationibus & eleemosynis. Fit enim mentio Famulorum & Famularum. Item, Quod SINGVLI obtulerunt, &c.

Ac permansit ille mos offerendi Eleemosynas, in Offeritorio Missæ, quamvis Ecclesia magnas opes acquisiuisset, ita, vt his collationibus non indigeret. Iustè ergò conqueritur Durandus lib. 4. Par. 2. Rubrica 4. Sacerdotes hac in parte exemplum Moysis non imitari. Sanè, inquit, Moyses videns, quòd populus multa obtulisset, iussit præconis voce cantari, ne quis ultra offerret. Exod. 35. & 36. Nullus tamen Sacerdotum nostri temporis talia facere visus est. Hæc Durandus verè taxat. Expert enim est superior ætas, sacrificulorũ loculos & crumenas fundum non habere. Hodièq; maior pars tantum pecuniæ causa Missas murmurat, vel cantillat. Nisi enim spes nummi affulgeret, mox frigerent omnia altaria, & panacei idoli cultus euanesceret. Nam pleriq; ad accipiendos nummos, quàm ad legendas Missas promptiores & audaces sunt.

Sextò. Cæna Dominica sacrificium dicitur à Patribus, propter spiritualia quædam sacrificia, quæ in vsu cænæ frequentius & ardentius, quàm aliàs, exercentur. Quamvis enim solus Deus peccata remittat, vt Esaia 43. & Marci 2. scriptum est: tamen varias ceremonias & cultus instituit, quibus tanquàm legitimis instrumentis & organis, cœlestem hunc thesaurum, remissionem videlicet peccatorum, hominibus impertiat & dispenset, ac simul etiam credentes dignos fructus pœnitentiæ publicè proferant & testentur. Eiusmodi organa sunt publica prædicatio Euangelij, Baptismus, Potestas clauium, & cæna Dominica, quæ, vt postrema est ordine, ita dignitate & celebritate est præstantissima, in qua digni fructus pœnitentiæ omnium manifestissimè conspiciuntur.

Et enim in publica prædicatione Euangelij remissio peccatorũ generaliter

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

raliter omnibus cum bonis cum improbis offertur : Sed in ministerio clauium per absolu:ionem singulis speciatim applicatur . Sic in Baptismo non solum seniores , sed & infantes accipiunt remis:ionem peccatorum : ad Baptismum verò admittuntur ij soli , qui iuxta præceptum Pauli seipsos probarunt . Quemadmodum enim Princeps omnibus quidem subditis & aulicis suis clementer fauet , solos tamen sibi intimos & charissimos mensæ suæ adhibet : quod eximia cuiusdam gratiæ & fauoris indicium est , vt in historia Mephiboseth , filij Ionathan , cernere est : quem David propter Ionathan patrem eius sua mensa dignatur 2. Sam. 9. Ita Dominus eos solos mensa sua dignatur , qui aliqua ratione ceteris digniores sunt . Nam ante publicam prædicationem , Baptismum , & ministerium clauium , non requiritur ab homine talis præparatio , qualem ante sumptionem Cænæ Paulus requirit . Cor. 11. Probet , inquit , homo seipsum , & sic de pane illo edat , &c. Et rursus : Quisquis ederit panem hunc , aut biberit de poculo domini indignè , reus erit corporis & sanguinis Domini .

Inter reliqua autem , quæ ad dignam præparationem requiruntur , enumerantur & hæc : An is , qui communicare cupit , proponat & decernat , se , iuuante spiritus sancti gratia , veterem hominem cum concupiscentijs & membris suis mortificare velle , ad vitam in melius instituere . Item : An per charitatem cum proximo suo vnus panis , & vnus potus fieri cupiat . An in patientia & spe crucem suam ferre , & cum Christo vnâ viuere & mori velit . De his omnibus protestatur & profitetur Christianus ad cenam accedens , multò clarius , quàm alijs temporibus , & in aliorum sacramentorum vsu , iuxta præceptum Pauli : Probet autem homo seipsum , &c.

Hæc verò partes pœnitentiæ & probationis sui ipsius in sacris scripturis appellantur sacrificia . Vt Rom. 12. Obsecro vos fratres , per miserationes Dei , vt præbeat is corpora vestra hostiam viuam

tem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Et  
 psal. 51. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Is autem est  
 contribulatus spiritus, qui peccata agnoscit, iram Dei & mor-  
 tem expauescit, & iustitiam esurit atq; sirit. Ecclesiastici. 35. dici-  
 tur: Sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere  
 ab omni iniquitate. Et statim: Qui facit misericordiam, offert  
 sacrificium Marci. 12. fatetur scriba, diligere proximum vt seip-  
 sum, plus esse quam vniuersa holocaustata & victimas. Sic &  
 Paulus Phil. 2. Quin etiam si immolor super hostia sacrificioq; fidei  
 vestrae, gaudeo & congaudeo omnibus vobis. Itaq; Patres caenam  
 Dominicam nuncuparunt sacrificium, propter adiuncta illa spiri-  
 tualia sacrificia, quae simul peraguntur in caena.

Augustinus de ciuit. Dei lib. 10. cap. 6. Hoc est sacrificium  
 Christianorum: Multi vnum corpus sumus in Christo, quod etiam  
 sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia, vbi ei demon-  
 stratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipsa offeratur, &c.  
 Audis Sacramentum non offerri Patri, sed ipsosmet Christianos  
 sese offerre, cum per charitatem, tanquam in vnam massam, coa-  
 lescent: id quod ex toto illo capite manifeste cognoscitur.

Idem in epistola 59. ad Paulinum. Vouentur omnia, quae offe-  
 runtur Deo, maxime sancti altaris oblatio, quo Sacramento prae-  
 dicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vouimus in Chri-  
 sto esse mansuros, vtiq; in compage corporis Christi: cuius rei Sa-  
 cramentum est, quod vnus panis vnum corpus multi sumus.

Porro haec spiritualia sacrificia, non à solis Secerdotibus initia-  
 tis, sed ab omnibus Christianis offerri, testatur Cyprianus in ser-  
 mone de lapsis, vbi de femina quadam loquitur, quae tempore per-  
 secutionis fidem abnegauerat, postea verò tempore pacis rursus se  
 Christianis admiscens, vnà cum illis Sacramentum acceperat. Ver-  
 ba eius haec sunt: At verò ea, quae etate proeecta, & in aetate adul-  
 tioribus constituta sacrificantibus latenter obrepserunt, non cibum, sed  
 Y gladium

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

gladium sibi sumens, & velut quadam venena lethalia inera facies & pectus admittens, angi, & anima exastuante concludi postmodum cepit.

Eodem in loco testatur, ministrum Ecclesiæ offerre Sacramentum non Deo, sed hominibus. Vbi verò, inquit: solennibus adimpletis calicem diaconus offerre presentibus cepit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, &c. Quo loco vides ineptè Fabrum facere, qui vbiq; vocabulum offerre pro sacrificare interpretatur: ac omnia Patrum dicta de spiritualibus sacrificiis omnium Christianorum, ad sacrificium priuatæ Missæ, reclamantibus scripturis & Patrum testimonijs, dorquet.

Esto autem, Patres Missæ & Sacrificij vocabulis, eo planè sensu vsos esse quo Faber utitur (quod tamè nequaquam concedimus) num idcirco Patrum dictis, absq; scriptura vel etiam contra scripturam prolati, assentiemur? Nōne æquius est, obscura dicta Patrum per scripturas illustrare, quàm clarissimas scripturas per dicta Patrum obscurare? Certè & sacrarum literarum & Patrum testimonijs conuincam, in controuersijs religionis sententiam non ferendam esse, nec dijudicandas lites, ex hominum dictis & Traditionibus, quantavis doctrina, sanctitate & antiquitate polleant: sed ex solis sacris scripturis, tanquam certissimis & minimè fallacibus ipsius Dei oraculis.

Deuteronomij 12. cap. prohibet Dominus, ne vllus Prophetæ, amicus, frater, vxor in sinu nostro, nec integra etiam ciuitas, hoc est, ne quidem sanctissimi, amicissimi & potentissimi audiantur & tolerantur, si Dijs alienis seruiendum esse suadeant, hoc est, si aliter de Deo & ipsius cultu doceant, quàm ipse Deus sese suo verbo patefecit. Et quid dico de hominibus? cum ne Angeli quidem, qui pluris sunt quàm homines, contra verbum Dei audiendi & sequendi sint. Quis Apostolorū maiorem auctoritatem esse roget, quàm aliorum Patrum & Doctorum, qui ipsos secuti sunt.

Et tamen Paulus Gal. 1. non veretur dicere : Etiam si nos aut Angelus è cælo prædicauerit vobis Euangelium, præter id quod prædicauimus vobis, anathema sit. Itaq; Christus Luc. 19. nos ad scripturas ablegans, inquit : Habent Moſen ac Prophetas, illos audiant. Lucerna enim pedibus noſtris verbum Domini, & certiffima veritatis regula : quemadmodum toto Psalmo 119. egregie celebratur.

Hanc regulam ſancti Patres & ipſi obſeruarunt & alijs obſeruandam præceperunt. Vide mihi exemplum Apoſtolorum. Hi in primo Concilio Ieroſolymitano congregati, Act. 15. quantumuis à Spiritu ſancto ſingulariter illuminari eſſent, ſua tamen de iuſtificatione hominis peccatoris Decreta, ex Prophetis & veteris Teſtamenti libris hauſerunt atq; confirmarunt.

Ita etiam ſucceſſores Apoſtolorum & Patres primitiua Ecclēſiæ, nullis hominum dictis & ſcriptis ſe conſtringi patiuntur, ſed ad ſolam ſcripturam prouocant : nec ſua ipſorū ſcripta aliquid valere volunt, niſi quatenus cum ſcriptura ſacra conueniunt.

Cyprianus ad Pompeium contra epiſtolam Stephani, hanc materiam copioſè tractat, & ſimilitudine illuſtrat elegantiffima : quam non pigebit adſcribere. Sic ergò inquit : Si canalis aquæ, qui copioſè prius & largiter profluebat, ſubito deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noſcatur, verum ne creſcentibus venis in capite ſiccauerit, an verò integra inde & plena procurrens in medio itinere deſtiterit ? At ſi vitio interrupti aut bibuli canalis effectum eſſet, quò minus aqua perſeueranter continua ac iugiter flueret, reſecto & confirmato canali, ad uſum atq; potum ciuitatis aqua collecta, eadem vbertate atq; integritate repræſentatur, qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei ſacerdotes præcepta diuina ſeruantes, vt in aliquo ſi nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam



## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

& Euangelicam & Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio. vnde & ordo & origo surrexit.

Tertullianus Cypriano vetustior in eandem sententiam scribit in libro de velandis virginibus. Ostendam inquit, hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spacium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Et mox: Quodcunq; aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.

Cyprianus in epistola ad Cecilium. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid primus, qui ante omnes est, Christus, prior fecerit: neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

Idem in epistola ad Iubeanum de hæreticis baptizandis. Frustra quidam, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obijciunt, quasi consuetudo maior sit veritate, aut non sit in spiritalibus sequendum, quod melius à Spiritu Sancto reuelatum est.

Sic & pius Imperator Constantinus Patres in Nicæno Concilio adhortatur: Euangelici, inquit, & Apostolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè instruunt nos sensu mentis. Proinde hostili posita discordia, sumamus ex dictis diuini Spiritus explicationes questionum. Theodorus lib. i. cap. 7.

Augustinus epistola 48. ad Vincentium Donatistam, de Hilarij, Cypriani, Agrippini, & aliorum Patrum libris verba faciens, inquit: Hoc genus literarum ab authoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi forte aliter senserint, quam veritas postulat.

Idem

Idem ad Hieronymum epistola. 19. Ego enim fateor charitati tue, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc honorem timoremq; deferre, vt nullum earum auctorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illas canonicas, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere poterunt.

Idem epist. 198. ad Fortunatianum. Neq; quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atq; respuere, si forte inuenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.

Hieronymus super cap. 23. Matthæi. Quod de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Hugo de S. Victore lib. 2. par. 14. cap. 4. Ipse (Hieronymus) viderit, quid dicere voluerit, ego à puritate Christianæ fidei non discedo.

Panormitanus Iurisconsultus, Cap. significasti de Electione. Plus credendum vel simplici laico scripturam producenti, quàm toti simul Concilio.

Dionysius Episcopus Alexandrinus, teste Eusebio lib. 7. Eccles. hist. cap. 22. excusat se, quòd dogmati clarissimi viri Nepotis Egyptij Episcopi contradixerit, his verbis: Veritas amica est, & præ cunctis honoranda, & si quid rectè dicitur, laudandum & approbandum candidè: quæ verò non sane scripta videntur, inquirenda sunt, & refellenda.

Cur ergo Faber assidue scriptis & auctoritate Patrum nos ob-

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

tundit? cum ipsimet prohibeant, ne vel suis scriptis vel diuini consuetudinibus fides habeatur, nisi cum sacrarum scripturarum veritate consentiant.

Atq; hæc de primæ centuriæ Patribus, hoc est, Apostolorum discipulis, qui primo post Christum seculo vixerunt scripserunt, dixisse sufficiat.

Nunc quid Romani Pontifices, qui Ecclesiæ in prima centuriæ præfuerunt, de Cæna & Missa senserint, breuiter commemorabimus.

# Pontifices Ro- mani, primæ centuriæ.

**I**N prima centuria, Chronici Ecclesiastici quinq; Episcopos Romanos ordine enumerant, qui singuli aliquid de Missa conseruerint: videlicet, S. Petrum Apostolum, Anacletum 1. Clementem 1. Alexandrum 1. & Sixtum 1.

Notabis autem, Pontifices Romanos à Petro vsq; ad Gregorium Magnum, non Papas sed Episcopos Romanos appellari.

Qua simplicitate Petrus cænam dominicam celebrauerit, Placina in vita Sixti 1. fol. 15. narrat: Nuda, inquit, primò hæcerant, & omnia simpliciter tractabatur. Petrus enim vbi consecrauerat, oratione Pater noster vsus est. Testantur autem ipsi Pontificij historici, Petrum factum esse Romanum Pontificem Anno domini 44. hoc est, annis plus minus decem ab Ascensione Christi, ac sedisse annos 25. Et Anno domini 65. qui fuit vltimus annus Neronis, sub Nerone crucifixum esse. Vnde colligitur, primò 35. annis post Christi ascensionem, nullam aliam Missam in Romana Ecclesia celebratam fuisse, quàm cænam dominicam, cui sola Oratio dominica adhibita fuerit. Hæc à Papistis, gratias vo-

his habemus, qui cœnam Dominicam ad tot annos nobis puram relinquitis. Nunc enim iuuante Domino per plures annos puritatem eius demonstrabimus.

Anacletus eius nominis primus, ordine tertius, factus est Pontifex Romanus anno Domini 81. Omnibus fidelibus mandauit, vt communione sacerdotis peracta, etiam se communicent: qui verò nollent, sacris adibus pellantur. Vide Gratianum de Conse. dist. 1. cap. Episcopus.

Clemens 1. Pontifex quartus, electus anno Domini 93. fuit discipulus Petri Apostoli, & fertur scripsisse libellum, cui titulus est: *Canones Apostolorum*. Is Canone decimo ita statuit: *Omnes fideles, qui conueniunt in solennibus sacris ad ecclesiam, scripturas Apostolorum & Euangelium audiant. Qui autem non perseuerauerint in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesie mouentes, conuenit communionem priuari.*

Cum autem Dionysius, qui horum Pontificum temporibus vixisse fertur, in *Ecclesiastica Hierarchia* cap. 3. testetur, Diacorum non solum panem, sed & calicem consecratum omnibus impartiri, certe communicatio, de qua Pontifices illi duo loquuntur, non de vna demtaxat specie, sed de integro Sacramento intelligi debet. Nec fuit cœna tunc temporis priuata Missa vnus hominis, sed publica communicatio corporis & sanguinis Christi sub vtraque specie, toti Ecclesie communis.

Alexander 1. Pont. 6. Electus Anno 110. in Missa ad memoriam passionis Christi inculcandam, addidit: *Qui pridie quàm pateretur, &c. vsq; ad eum locum: Hoc enim est corpus meum.* Vide Bergomatem lib. 8. fol. 136.

Statuit quoq; vt vna tantum Missa in die ab vno Sacerdote celebraretur. Vide de Conse. Dist. 1. Ca. sufficit Sacerdoti.

Oblationem etiam non ex fermentato, sed ex azymo, vt antea consueuerat, fieri mandauit. De Con. Dist. 2. Ca. In Sacramentorum.

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Voluit etiam aquam in consecratione sanguinis Christi vino admisceri. Vide Nauclerum Gene. 5. fol. 22.

Instituit item, ut aqua sancta, sale admixto, ante Missam benediceretur, ut ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur. De Consecr. Dis. 3. Ca. Aquam sale conpersam.

Quamuis autem istæ Constitutiones Alexandri (si modo ille earum author est) satis lubrica & supersticiosa sint, miscet enim vinum, & benedicit aquam, sine mandato Christi, viciturq; vocabulo Sacerdotis, sacrificij, Missæ &c: tamen certum est, ea cœnæ cenam fuisse adhuc totius populi communicationem corporis, & sanguinis Christi, sub utraq; specie. Itaq; non possunt de hodierna Missa Pontificia intelligi: sed eo sensu accipi debent, quem in superioribus classibus copiosè exposuimus.

Sixtus 1. Pont. 7. electus Anno. 125. in celebratione mandavit, ut Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus deus Zebaoth cantaretur. Platina fol. 16.

Idem constituit, ne, quod Sacerdotes Corporale vocant, ex alio quàm lineo panno, & quidem purissimo candidoq; fieret. Platina ibidem.

Hæ Constitutiones Sixti nihil addunt vel detrahunt substantiæ cœnæ Dominicæ, sed in ea substantia relinquunt, quæ à Christo ipso instituta est: ac ornamentis tantum & decoris gratia celebrationi cœnæ adhiberi possunt.

Iam igitur Fabro primam centuriam, in qua discipuli Apostolorum & Pontifices aliquot Romani citantur, quasi primum Missæ sacrificij propugnaculum eripimus: ostendimusq; cœnam Dominicam, primo illo post natum Christum seculo, fuisse publicam actionem totius ecclesiæ, in qua credentes de corpore & sanguine Christi sub utraq; specie communicauerint, & passione ac morte Christi in memoriam reuocata, pro redemptione sua æterno Patri gratias egerint.

NIIS PATRVM CENTVRIA II. 90  
CENTVRIA SECVNDA.

POST Apostolorū discipulos, qui in prima centuria floruerunt, cum primis quatuor insignes Patres & Doctores Ecclesie numerantur, quorum testimonia Faber pro Missatico suo sacrificio allegat: Irenæus, discipulus Polycarpi, auditoris Ioannis Baptistæ, Episcopus Lugdunensis in Gallia, Anno Domini 160. Tertullianus Carthaginensis, qui fidem Christianam multis præclaris scriptis asseruit in Africa. Anno 225. Origenes Presbyter & Professor sacrarum literarum in schola Alexandrina Egypti. Anno 230. Et Cyprianus Episcopus Carthaginensis in Africa, Marcyrio clarus. Anno 250.

Irenæus, inquit Faber, verba Malachie de Missæ sacrificio accepit. Aut enim lib. 4. Cap. 32. aduersus hereses valent. Christus noui Testamenti nouam docuit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimentum nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo Testamento: quo in duodecim Prophetis Malachias præsignificauit &c.

Germ fol. 62.  
Latin fol. 103.

Tertullianus lib. de corona Militis: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.

Germ fol. 74.  
Latin fol. 124.

Origenes Homelia 5. in diuersos Euangelij locos: Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ panem & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.

Germ fol. 19.  
Lat fol. 33.

Cyprianus lib. 2. Epist. 3. Oblulit Christus, quod Melchizedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.

Germ fol. 55.  
Latin 95.

Ex his omnibus testimonijs Faber euincere conatur, corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini in Missa Deo Patri à Sacerdote offerri, pro viujs & mortuis. Qua autem fide id faciat, breuiter commemorabimus.

ℒ Primum

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Primum Faber manifestam iniuriam facit Irenæo, dum hoc illi tribuit, quod verba Malachiae de Missarico sacrificio intellexerit. Nusquam enim Irenæus vel in hoc capite, vel in alijs, vocabulum Missæ usurpauit, multo minus sensit, Sacerdem corpus & sanguinẽ Christi sub speciebus panis & vini Deo offerre pro viuis & mortuis: oblatum deinde panem & vinum sibi soli edere & bibere, reliquos autem ociosos spectatores relinquere, aut saltem vnã speciem Sacramenti communicare. Hæc, hæc inquam, Fabrum ex Irenæo probare oportebat. Id autem faciet ad Calendas Græcas.

Adhæc, Faber Scripta Irenæi malitiosè peruertit & discripuit. Offies enim hunc authorem citat, sed ita concisè & mutilatè, vt veram ex illis sententiam nemo haurire queat. Cæterum confideratis omnibus circumstantijs, liquidò constabit, Irenæum nequãquàm de sacrificio Missæ, sed in genere de spiritualibus sacrificijs noui Testamenti locutum esse.

Status enim totius disputationis & controuersie, quam Irenæus 32. & 33. capitibus quarti libri contra hæreses tractat, est hic: quod longa serie orationis, multis scripturæ locis & exemplis citatis, docet, quæ sint vera sacrificia, non illa externa tantum in Legge præcepta, sed & interna, veluti veram fidem & agnitionem Dei, verum timorem & dilectionem Dei, obedientiam erga Deum, patientiam in afflictionibus, dilectionem erga proximum, & reliquos cultus cordis internos & spirituales: qui nisi externis cultibus & sacrificijs adiuncti sint, nihil aliud sunt externi cultus quàm abominatio, sicut ibidem citatur Ieremiæ sententia cap. 6. Tandem ferè circa finem capituli ita concludit: Ex quibus omnibus manifestum est, quia non sacrificia & holocausta quærerebat ab eis Deus, sed fidem, & obedientiam, & iustitiam, præter illorum salutem, sicut in Osea Propheta, docens Deus suam voluntatem.

voluntatem, dicebat: Misericordiam volo, quàm sacrificium, & agnitionem Dei super holocausta.

Hactenus Irenæus ostendit, Deum in nouo Testamento interna & spiritualia sacrificia à nobis requirere, externa autem sine illis execrari & damnare.

Deinde etiam docet his spiritualibus cultibus externos quosdam coniungendos esse, ex fide tamen: videlicet, opera charitatis erga proximos. Et loquitur præcipuè de elemosynis, quæ in primitiis Ecclesia fere tum conferebantur ac distribuabantur, cum cæna Dominica haberetur. Has vocat oblationes primitiarum, modo loquendi, sumpto ex veteri Testamèto, vbi primitiæ fructuum ex præcepto Domini offerebantur. Verba eius hæc sunt: Sed & suis discipulis dans consiliũ, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec ingrati nec infructuosi sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ secundum nos est, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis vsq; ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum, Hactenus Irenæus.

Quomodo autem hæc Prophetia Malachie proprio suo sensu intelligenda sit, supra in tertia classe Prophetarum diximus. Nunc ostendemus tantum, quo sensu Irenæus eam intellexerit atq; vsurpauerit.



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Faber ipse fatetur, & firmissimè asserit, post consecrationem panem non amplius esse panem, sed transmutari & conuerti in corpus Christi, & Sacerdotes aeterno Patri offerre & sistere hunc filium suum. Filius autem Dei certè creatura non est, sed omnium creaturarum creator. At Irenæus inquit, Dominum dedisse consilium discipulis suis, vt ex creaturis suis offerant primitias Deo. Sequitur ergò, Irenæum non de sacrificio filij Dei in Missa loqui, sed de oblationibus & muneribus, quæ fiebant ad altare, cum, cum cæna Domini celebraretur. Hæ enim sunt creaturæ Dei, & si ex fide pauperibus distribuuntur, vel ad conseruationem Ministerij Ecclesiastici conferuntur, sunt munda & Deo acceptæ oblationes: quemadmodum suprâ prolixè de vocabulo sacrificij diximus.

Porrò has eleemosynas, & collationes esse hanc ipsam oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offerat Deo, declarat ipse Irenæus sequentibus verbis: Offerit, inquit, Ecclesia Deo ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum. Sed adhuc clarius cap. 34. Offerimus autem ei, non quasi indigenti: sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quæ nobis sunt: sic nos indigemus offerre aliquid Deo, sicut Salomon ait: Qui miseretur pauperi, faceratur Deo. Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc, vt præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait: Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiuus, & potastis me: hospes fui, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere, & venistis ad me. Sicut igitur non his indigens, attamen à nobis propter nos fieri vult, ne simus infructuosi: ita ad ipsum verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamuis non indigeret eis, vt disceret Deo seruire, &c.

In his verbis Irenæi obseruatu dignissimum est, quod de causa & sine oblationis nostræ scribit, præceptam hanc à Domino esse dicens, tam in veteri quàm nouo Testamento, non, vt nos Deo aliquid daremus, aut aliquid hac oblatione mereremur: sed ne infructuosi & ingrati essemus, ac vt disceremus Deo seruire. Quibus verbis Irenæus confutat caput idolatriæ in Missa, videlicet expiationem seu propiciationem pro peccatis tam viuorum quàm mortuorum. Vult enim nostram oblationem esse gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, non meritum promerendi noua beneficia.

Insuper docet etiam Irenæus, publicas preces fidelium esse genus quoddam spiritualium sacrificiorum noui Testamenti, inquit: Ideo nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter, sine intermissione. Est ergò altare in cælis, illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur, vt ad templum.

Hanc esse summam horum duorum capitum Irenæi, quæ Faber ad Missam ineptissimè detorquet, candidus & diligens Lector, si locum authoris inspexerit, perspicue intelliget.

Præterea Irenæus quoq; fatetur in 32. cap. panem in eæna esse corpus Christi, calicem verò esse sanguinem Christi. Vnde apparet, ipsius tempore veramq; speciem Sacramenti in vsu fuisse: aliàs enim iuxta Fabri sententiam dicere debuisset, vnam speciem panis, simul & corpus & sanguinem Christi esse.

Sed has omnes circumstantias Faber transiit, vt potè sibi aduersantes: & excerptit duas vel tres voculas ex toto capite, quas contra Malachiæ ac Irenæi sententiam detorquens, reperitur falsus testis. Qui enim alteri vel dictum vel factum tribuit, cuius ille author non est, falsum testimonium perhibet, etiamsi dictum vel factum illud per se bonum atq; iustum sit.

Eodem modo Tertullianum tractat Faber. Notimus sanè, vel tacente Fabro, authorem illum mentionem facere annua-

INTE CLASSIS, DE TESTIMO.

rum oblationum pro defunctis. Quas autem oblationes intelligat, ipse met in Apologetico cap. 39. interpretatur. Modicam, inquit, unusquisq; stipem, menstrua die, vel cum velit, & si modo possit, apponit. Vbi & recenset, non in epulas & compotationes, sed in sustentationem pauperum, senum, pupillorum, aliorumq; egenorum hasce elemosynas impendi. Hec autem munera, tam in Bibliorum, quam in Patrum scriptis, dici sacrificia, patet ex superioribus. Loquitur ergo Tertullianus de elemosynis quae annuversarijs diebus distribuebantur: & vocat oblationes pro defunctis, non quod expient peccata defunctorum, sed quod in memoriam & recordationem defunctorum fiant. Ignorat enim Tertullianus sacrificium corporis & sanguinis Christi in Missa. Et ignota illis temporibus fuit Missa, & nomine, & re ipsa. Unde ne unum quidem iota, in omnibus Tertulliani scriptis, de Missa invenitur.

Præsertim verò Malachie vaticinium non de Missa, sed de spiritualibus sacrificijs, quemadmodum & Irenæus, interpretatur. Sic enim inquit in libro aduersus Iudeos: cur itaq; postea per Prophetas spiritus prædicat futurum, vt in omni terra, aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicuti ipse per Malachiam Angelum vnum ex duodecim Prophetis dicit: Non recipiam sacrificium de manibus vestris, &c.

Quæ sanè verba de sacrificio Missæ intelligi nequeunt. Id enim non in omni loco, sed in solis templis consecratis, & in altari lapideo offertur. De Conse. Dist. 1. Ca. Sicut non alij. Item Can. Altaria si non. Nec ab omnibus hominibus, sed à solis consecratis Sacerdotibus offertur. Itaq; Tertulliani verba intelligenda sunt, de spiritualibus sacrificijs, quæ omnibus Christianis sunt communia, de quibus Iohann. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Et Tertullianus ipse non multo post, spiri-  
tualia

ualia sacrificia de prædicatione Euangelij exponit: Indubitatè, inquit, quod in omni terra exire habebat prædicatio Apostolorum.

Ad hæc, testatur lib. 5. aduersus Marcionem, sua ætate vtramque speciem Sacramenti usurpatam esse: quod testimonium Faber ipse allegat. Panis & Calicis Sacramento, inquit, iam in Euangelio probauimus, corporis & sanguinis Domini veritatem aduersus Phantasma Marcionis.

Origenem quinquies vel sexies Faber in libro suo citat: cum tamen nec Missæ nec sacrificij mentio fiat in illis dictis. Multo minus sentit Origenes, Sacerdotem ex opere operato Deum reconciliare cum hominibus: Sed apertè fatetur, ab omnibus credentibus, in pane edi corpus Christi, & in vino bibi eius sanguinem. Nihil igitur aliud ex origine Faber euincet, quàm cœnam Dominicam esse communicationem corporis & sanguinis Christi. Quod magis facit pro nobis, quàm pro Pontificijs, cœnam in nouum quoddam sacrificium expiatorium transformantibus.

Et quanquàm alij Doctores eo seculo cœnam sacrificium appellauerint, Origenes tamen sine superstitione id vocabulum accipit pro cultu Diuino, non pro oblatione corporis & sanguinis in Missa. Nam lib. 2. in Epistolam ad Romanos cap. 2. fatetur, sanguinem circumcisionis offerre, idem esse quod secundum legem circumcidi.

Nec non hac in parte Missam priuatam oppugnat, quòd extra usum cœnam non agnoscit pro Sacramento corporis & sanguinis Christi. Sic enim ait home. 5. in Leuit. cap. 7. Nam & Dominus de pane, quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite & manducate: non distulit, nec reseruari iussit in crastinum. Nihil ergo Origeni cum Fabro conuenit.

Cypriani verba non minus quàm superiorum Patrum detorqueat & peruerit Faber. Si enim totum argumentum epistolæ ad  
Cecilium

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Ceciliū consideretur, apparet, Christum cum Melchisedech conferri, non ratione sacrificij, sed panis & vini. Erant enim eo tempore nonnullis in locis Episcopi, qui sacrum calicem sola aqua miscebant. Hos reprehendens Cyprianus, monet Ceciliū & ceteros, vt non sola aqua, sed vino etiam calicem misceant. Atq; hęc accommodat Melchisedechi figuram, qui non solum panē & aquam, sed panem & vinum protulerit, atq; hac in parte cum Christo conuenerit. In Sacerdote Melchisedech, inquit, sacrificij Domini sacramentum præfiguratum videmus, secundū quod scriptura diuina testatur & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Et post. Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham, possit ritē celebrari, præcedit autē imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta.

Hic primū notabis, Cyprianum non vti verbo **OBTULIT**, sed **PROTULIT**. Vult ergo dicere, Melchisedechum tanquam Regem Abrahamo & militibus eius com meatum panis & vini aduexisse: sed vt sacerdotem Dei altissimi decebat, Abrahamo etiam benedixisse. Christus autem, cuius Melchisedech fuit typus, Psal. 110. tanquā verus Rex pacis & iustitię, & summus noster Pontifex in æternum, seipsum Patri obtulit, non in cœna, sed in cruce. Simul autem nobis id obtulit & exhibuit, quod Melchisedech Abrahamę eiusq; socijs, videlicet panem & vinum, cum quibus coniuncta sunt corpus & sanguis eius. Atq; his donis omnibus benedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus.

Quod verò in eadem Epistola Cyprianus cœnam vocat sacrificium, & mysterium sacrificij Domini, alibi clarius explicat, se non loqui, de expiatorio sacrificio Missę, quod solus sacerdos peragat, sed de sacrificio laudis, & gratiarum actionis & commemorationis. Nam in sermone de lapsis inquit: Vbi sollemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre presentibus cepit &c. Et ibidem:

At verò ea, quæ atate prouecta, & in annis adultioribus confitura, sacrificantibus latenter obrepfit, non cibum, sed gladium sibi sumens, &c. En vides, & Diaconum ipsum, & populum, simul, & sibi inuicem cœnam offerre. Quod nequaquam de Missæ sacrificio intelligi potest: quia nec populus, nec Diaconi potestatem habent celebrandi Missam. Necesse ergò est intelligi de legitimo vsu cœnæ Dominicæ, quæ est sacrificium Eucharisticum laudis, & commemorationis. Atq; hoc sensu Cyprianus sacrificium & Mysterium Domini sacrificij nominat.

Præterea, Cyprianus in ea epistola Sacerdotes non ad figuram Melchisedech, sed ad primam institutionem cœnæ ablegat. Vtiq; inquit, ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Et mox: Non hoc idem facere, quod fecit Dominus, quid aliud est, quàm sermones eius abicere, & disciplinam Dominicam contemnere? Et iterum: Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utiq; id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit.

Certum est autem, Christum in cœna neq; panem neq; vinum, neq; corpus, neq; sanguinem suum Deo Patri obtulisse: sed discipulis suis edendum bibendumq; dedisse, in sui commemorationem. Cur non idem faciunt Missarij?

Insuper Cyprianus in eadè epistola sacrificiũ vocat, non corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini, sed ipsam Christi passionem, vnâ cum passionis illius recordatione. Quia passionis eius, inquit, mentionem in sacrificijs omnibus facimus (passio est enim Domini sacrificium quod offerimus) nihil aliud, quàm

quod

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotiescunq; ederitis panem istum, & calicem istum biberitis, mortem Domini annunciabitis, quoad usq; veniat. Quotiescunq; ergo calicem in commemorationem Domini & passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus.

Vides, quàm clarè explicet, cur cœnam sacrificium appellaret, nimirum ob passionem Christi, in cuius commemorationem cœna celebratur. Quia verò legitima commemoratio non est privata Missa, sed publica annunciatio & gratiarum actio, constat. Cyprianum nihil hic de Missa Pontificia, sed de cœna Domini agere. Atq; hoc sacrificium, non fuisse privatum vnius Sacerdotis opus, sed publicam actionem totius Ecclesiæ, & communicationem integri Sacramenti, sub utraq; specie, expressis verbis idem author testatur, in lib. 1. epist. 1. ad Cornelium Papam. Nam quomodo, inquit, docemus, aut prouocamus eos, in confessione Christi nominis sanguinem suum fundere, si eis militatum Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij periculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesiâ partem Domini iure communicationis admittimus? En Cyprianus communicationem calicis appellat *IUS*. Qua ergo fronte Pabes omnesq; Papistæ, hanc sacrilegam temeritatem excusabunt, quæ laicis contra ius & æquum Noui Testamenti calicem eripiunt? Quanta istorum hominum impudentia est, qui Missam privatam & vnam Sacramenti speciem autoritate Cypriani defendere non erubescunt? Imò verò quanta blasphemia est, Christo, qui ipsa est veritas, & Paulo hoc tribuere, quod Sacramentum sub vna specie pro laicis instituerint, cum audiamus Cypriani temporibus, hoc est, 250. annis à nato Christo, utramq; speciem laicis communicatam fuisse? Quod & Gabriel Biel fatetur *Let.*

84. litera R. Loquitur, inquit, iuxta morem suæ Ecclesie, cui ipse presedit, in qua fortè tempore suo particulariter viguit communio sub vtraq; specie. Idem fatetur Doctor Eccius de sumptione Eucharistiæ, Homelia 33. Non dubium ergò est Cyprianum à nostris stare partibus.

Miror autem, Fabrum quatuor illos Patres concisè allegantem, præterire sanctum Martyrem Iustinum, qui eadem centuria ex professo celebrationem & usum cænæ Dominicæ tam piè quàm disertè descripsit. Sed ut omnes intelligant, quàm fraudulentò consilio Faber Iustinum Martyrem omiserit, grauisimè huius auctoris verba adscribam, ex Apologia secunda, pro Christianis ad potentissimum Imperatorem Antoninum. Sic ergò inquit: Post præcationem salutamus nos osculo mutuo. Deinde offertur præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus: quibus acceptis, laudem ac gratiarum actionem patri omnium offert per nomen filij, sanctiq; spiritus, atq; ita Eucharistiam aliquandiu celebrat. Post preces & Eucharistiam, totus cætus accinit, Amen. Ea vox Hebraica lingua idem significat quod Fiat.

Pergit Iustinus. Absoluta gratiarum actione Præsulis, & ominatione totius plebis, Diaconi quos vocamus, dant singulis presentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio: atq; etiam deferre sinunt absentibus. hoc autem alimentum apud nos vocatur Eucharistia: ad quod nemo admittitur, nisi qui credit, veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remissionem peccatorum, & sic viuens ut Christus docuit. Non enim ut vulgarem panem & vulgare poculum hæc sumimus: sed quemadmodum per verbū Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, carnem & sanguinẽ pro salute nostra habuit, sic etiã per verbū præcationis & gratiarũ actionis,



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

actionis, sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Nam Apostoli in suis Scriptis, quæ vocantur Euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt, sumpro pane, actusq; gratijs dixisse: Hoc facite in mei memoriam: hoc est corpus meum. Similiter sumpro poculo, actusq; gratijs dixisse: Hic est sanguis meus, & solis ipsis communicasse.

Et mox. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus, quibus finitis, profertur, ut diximus, panis, vinum & aqua. Tum Præpositus, quantum potest, preces offert & gratiarum actiones, plebs verò Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per Diaconos, &c.

Hæc Iustini verba sunt publica confessio totius Ecclesiæ illorum temporum. Cum enim Christiani iniustissimis accusationibus Magistratui deferrentur, quasi illegitimos & improbos conuenire agerent, unde accidebat, ut crudelissimis supplicijs tanquam sceleratissimi plecterentur, conscripsit Iustinus apologiam totius Ecclesiæ nomine ad Imperatorem Romanum, Antoninum Pium, in qua falsas criminationes & calumnias in Christianos confictas amolitur: longa orationis serie enumerans, qui sint Christianorum mores, quæ facta, qui congressus, quæ doctrina, quæ Sacramenta, & imprimis, quibus ritibus cæna Domini a peragatur. Ibi verò ne verbum quidem audis, de vna specie, de sacrificio expiatorio, alijsq; abominandis Missæ Pontificiæ erroribus & idolatrijs: sed tantum de doctrina, Baptismo, precibus, gratiarum actione, elemosynis, & communicatione corporis ac sanguinis Christi in Eucharistia, quæ toti Ecclesiæ communis fuit.

Et hæc Apologia Imperatori Antonino Pio, quantumvis Ethnicæ, ita satisfacta fuit, ut publico Edicto persecutionem Christianorum inhibuerit, teste Eusebio lib. 4. Hist. Ecles. cap. 12.

Vnde technas Fabri lector facile deprehendet, qui Iustinum ideo præterijt, quòd videret ipsum erroribus suis manifestè aduersari, & luculentum veritati perhibere testimonium. Nihil autem Fabro prodesse ista tergiversatio: cum publicè extet Iustini Martyris confessio, quæ dissimulari aut opprimi nunquam poterit.

Hæc de Patribus secundæ centuriæ dicta sint. Nunc ad Romanorum Pontificum testimonia accedemus.

## Pontifices Ro- mani.

**I**N secunda centuria rursus enumerantur quinque Episcopi Romani, qui aliquid de cœna Dominica vel de Missa constituerint. Sunt autem hi, qui subsequuntur.

Telesphorus eius nominis 1. ordine 8. electus Pontifex Rom. Anno Domini 130, constituit, vt in Natali Christi noctu tres Missæ celebrarentur, cum omni reliquo tempore ante horam tertiam celebrare interdictum esset, qua hora Dominus noster cruci affigitur. De Consecrat. Dist. 1. Can. Noctæ sanctæ. Et Platina fol. 17.

Constituit etiam, vt ante sacrificium hymnus ille Angelorum caneretur, Gloria in excelsis Deo. Vide ibidem.

Sother 1. Pont. 13. electus Anno 165. statuit, ne vllus Sacerdos Missarum solennia, nisi duobus saltem præsentibus, & ipso tertio præsentè, celebrare tentaret. De Consecr. Dist. 1. Can. Hæc quoque.

Statuit, ne sacri ministerij vasa à quoquàm contrectentur, nisi à Sacerdote. Dist. 23. Can. Sacratas.

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

*Zepherinus* 1. Pont. 15. electus anno 210. statuit, ut consecratio Divini sanguinis in vitreo vase, non autem in ligneo, & antea fiebat, consecraretur. De Conse. Dist. 1. Can. Vasa in quibus.

*Calixtus* 1. Pont. 17. electus anno 219. Constitutionem *Anaclei*, de qua supra in centuria prima dictum est, reperit: videlicet, ut peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint, Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & *Apostoli* statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. De Conse. Dist. 2. Can. Peracta.

*Urbanus* 1. Pont. 18. electus anno 226. Iussit de cætero omnia altaris vasa, aut argentea, aut aurea, aut stannea fieri. De Conse. Dist. 1. Can. ut calix Domini.

Et si autem prima Constitutio *Telesphori*, de stato tempore, & secunda *Sotheris*, de non contrectandis sacris vasis, & *Zepherini* ac *Urbani*, de ligneis, vitreis, aureis & argenteis vasibus, &c. sint supersticiosule, & si conscientias illaqueent (quod nostra tempestate à *Papistis* fit) etiam cum Christiana libertate pugnent: iuxta dictum *Pauli* *Colos.* 2. Ne quis vos iudicet in parte diei festi, &c. Et: Quid quasi viventes in mundo, Decretis tenemini? Ne tegeris, &c. Tamen cum *Gregorius Magnus*, qui quadringentis annis post hos Pontificatum tenuit, sexto post Christum seculo, ad *Augustinum Anglorum Episcopum* scribat, licere ipsi ex diversis consuetudinibus in celebranda *Missâ* eligere, & sequi quamcumque velit, multo minus secundæ centuriæ Pontifices, cum doctrina adhuc esset purior, & ceremonia pauciores, conscientias his suis Constitutionibus constringere voluerunt: sed tantum ob hanc causam, salva libertate Christiana, paucula quedam disposuerunt.

Adde, quod hæc Constitutiones sunt *Adiaphoræ*, quæ per se, cœnam, ut à Christo instituta est, nequaquam mutant aut pervertunt: ac proinde salva conscientia in celebratione cœnæ vel usur-

pari

NIIS PATRVM, CENTVRIA II. 97

pari vel omitti, pro Christiana libertatis placito possunt.

Præterea, Telesphori secunda Constitutio de Angelico hymno contando, pia est atq; laudabilis. Et tam abest, ut cæna Dominica aduersetur, ut vel præcipua eius pars sit. Est enim gratiarum actio, qualem & Christus ipse in cæna vsurpauit, ac nobis etiam mandauit. Quomodo autem nos in his terris Deum magnificentius celebraremus, eiq; pro acceptis beneficijs gratias ageremus, quam ipsi Angeli in cælis Deum celebrant, prædicant, & assidua gratiarum actione prosequuntur? Quapropter & nos hunc hymnum in celebratione cæna decantamus.

Ad hæc, Constitutio Calixti testatur, Ecclesiam Romanam inde ab Apostolorum temporibus hunc morem obseruasse, ut omnes cum Sacerdote communicarent, aut sacris adibus expellerentur. Communicasse autem omnes sub vtraq; specie, Patres, qui hac eadem centuria floruerunt, aperte testatur, ut paulò antè ostendimus.

Insuper in omnibus hisce Pontificum Constitutionibus nulla fit mentio inuocationis sanctorum, Exequiarum, Purgatorij, & similitum nugarum. Nec refelluntur ea, quæ Patres illius ætatis de vtraq; specie Sacramenti, & de memoria defunctorum citra superstitionem scripserunt. Vnde certò colligitur, Pontifices in his articulis Patrum contemporaneorum sententiam approbasse: dicente Christo, Qui non est aduersus nos, pro nobis est.

Iam igitur Fabrum de secundo propugnaculo secunda centuriæ deiecimus.

CENTVRIA TERTIA.

EX tertia centuria Faber quatuor Patres eius seculi citat, qui de Missa & de cæna in Scriptis suis testati sint.

Eusebius Cæsariensis Anno Domini 325. laicæ communionis mentionem facit lib. 6. cap. 33. Ecclesiast. Hist.

Gertr fol. 87.  
Latin fol. 146.

Arnobius

QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Germ fol. 57. Arnobius, facundus scriptor, & Præceptor Lactantij in Africa. Anno 330. inter cætera scripta Psalterium enarravit. In psal. 110. sic dicit: Christus per mysterium panis ac vini Sacerdos factus est in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham victor reuenteretur de prælio.

Germ fol. 211. Athanasius Episcopus Alexandrinus in Ægypto Anno 340.  
Latin. fol. 37. Missam vocat exanguem immolationem. lib. 1. ad Antiochum, quæ est. 34.

Germ fol. 30. Hilarius Episcopus Pictaviensis in Aquitania, Anno 355.  
Lat. fol. 50. scribit lib. 8. de Trinitate. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc. n. & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atq; hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit &c.

Hinc Faber ratiocinatur, corpus & sanguinem Christi in Missa sub specie panis & vini Deo Patri offerri pro viuus & mortuis.

Ego verò superuacaneum duco, sigillatim ad hæc quatuor testimonia Fabro respondere. Nam quod Arnobius de figura seu typo Melchisedechi scribit, supra in tertia classe Prophetarum abundè explicatum est. Deinde Hilarij testimonium pro nostra cæna contra Fabri Missam militat. Nihil enim dicit de Missa, sacrificio, sacerdote, Inuocatione Sanctorum, satisfactione pro mortuis in Purgatorio, Sed simpliciter constitetur, verum corpus Christi in pane edi, & verum sanguinem eius in vino bibi. Idem nos quoq; fatemur, si modò cæna legitime iuxta institutionem Christi celebretur.

Cur autem Athanasius, sicut & alij Patres, cænam vocet exanguem immolationem, supra cum de Vocabulo Sacrificij dicemus, ostensum fuit.

Solius Eusebij testimonium de laica communione, auditu nouum est, & nouam explicationem meretur. Faber quidem ait, Eusebium lib. 6. cap. 33. de laica communione scribere: quid autem illud sit, callidè dissimulat. Et tamen statim infert, laicam communionem nihil aliud esse, quàm solam panis speciem in Sacramento vel porrigere, vel accipere.

Hic Faber rursus ad peregrinam suam linguam confugit: Clericum interpretans, Sacerdotem consecratum: Laicos, vulgus non consecratum. Communionem autem miranda Metamorphosi transmutat in proprietatem, qua sibi quis proprium & peculiare aliquid priuatim vendicat. At non sunt tam obscura & peregrina vocabula, vt genuina eorum significatio ignoretur. Nam <sup>κλῆρ</sup> (quod Latini per clerum pronunciant) propriè significat sortem, & per Metonymiam sæpe accipitur pro ministro, qui sorte ad ministerum eligitur, vt Matthias Apostolus eligebatur. Act. 1. Et Leuita dicebantur clerici, eò quòd Dominus ipsos à reliquis tribubus separauerat, ne partem & possessionem aliquam cum fratribus suis haberent: quia ipse Dominus possessio & hereditas eorum est. Deut. 10. & 18. Quoniam ergò ministri Ecclesie in nouo Testamento peculiariter ad docendum vocantur, nec decet eos, vt mundanis negocijs sese implicent, cum Dominus sit eorum hereditas (vnde & Apostoli Act. 6. dicunt: Non est placitum, vt nos derelicto sermone Dei, ministremus mensis: & Christus Luc. 22. Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur) ideo veteres Scriptores simplici sensu, iuxta morem Leuiticum, clericos appellauerunt: interim de septem ordinibus, de charactere indelebili, ac cæteris nugis nihil nouerunt, neq; Ecclesiam his ineptijs scindere voluerunt.

Sic & <sup>λαός</sup> Græcis idem est, quod Latinis plebeius, popularis: qua voce denotatur populus sedens & audiens, ac sibi mini-

6 strari

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

strari sinens. Si reuelatum fuerit aſidenti, inquit, Paulus 1. Cor. 14. taceat prior, ſcilicet Prophetæ ſeu concionator: & tanquam laicus vel plebeius ſedeat, audiatq; ceteros, & dijudicet. Ita poteſt accidere, vt clerici fiant laici.

Eſt quidem in Eccleſiaſtica Hierarchia diſcrimen aliquod inter clericum & laicum, ſi diſtincla munia & ministeria inter ſe conferamus: quemadmodum Paulus Eph. 4. dicit: Chriſtum dediffe alios quidem Apoſtolos, alios autem Euangelistas, alios paſtores ac doctores: ac proinde alios dedit horum diſcipulos & auditores. Vt enim paſtores, ouium paſtores ſunt, vi Relationis ita clerici, laicorum clerici ſunt. Attamen inter perſonas ipſorum coram Deo, & in communionem ſanctorum, nullum eſt diſcrimen. Nam quemadmodum in Chriſto Ieſu, non eſt Iudeus neq; Græcus, non ſeruus neq; liber, non maſculus neq; femina, ſed omnes vnus ſunt in Chriſto Ieſu: ita coram Deo non eſt clericus neque laicus, non ſpirituælis neq; ſecularis.

Porrò, ſicut coram Deo nullum eſt diſcrimen inter clericum & laicum: ita, quantum ad communionem per ſe attinet, nullum eſt diſcrimen inter communionem clericorum & laicorum: niſi quòd Clericus laico Sacramentum porrigit, quale & ipſe ſumit. Laicus autem à clerico accipit, & non diſtribuit alijs. Idem autem vtrobiq; corpus, idem ſanguis Chriſti eſt. Teſtatur hoc ipſum Chryſoſtomus in 2. Cor. 8. Homelia 18. Eſt autem, inquit, vbi nihil differt Sacerdos à ſubdito, vt quando fruendum eſt horrendis myſterijs: ſimiliter enim omnes, vt illa percipiamus, digni habemur. Non, ſicut in veteri lege, partem quidem ſacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat ſacerdos: ſed nunc non ſic, verum omnibus vnus corpus proponitur, & poculum vnus &c.

Communionis

Communionis vocabulum Faber eodem modo dissimulat: Eusebius, inquit, loquitur de communione laica.

Age, si Sacramentum est communio (quod Eusebius testatur) quomodo ergo erit priuata cœna vnius sacrificuli? Commune enim & priuatum è diametro sunt opposita. Et vt maxime Missarius laicis vnâ speciem Sacramenti communicet (quod tamen raro fit) tamen est valde inæqualis & iniqua distributio, nec est integra communicatio. Ipse enim & comedit & bibit, reliquos verò solo esu contentos esse oportet, absq̄ potu. Cum verò calix, cui benedicimus, nō minus sit communicatio sanguinis Christi, quàm panis benedictus est communicatio corporis Christi, certè integra non erit communio, vbi calice carendum est. In mundanis & politicis conuiujs magna esset cum inciuilitas tum iniquitas, si quis solus omne vinum appositum exhauriret, reliquos, qui equalia symbola conferunt, spectantibus, & arido palato siti-entibus. Et nos de sacrilega temeritate, qua  $\rho\omega\tau\eta\sigma\iota\alpha\kappa\alpha\lambda\iota\alpha$  calicem noui testamenti laicis præripiunt, non conquereremur? Implicat ergo contradictionem, quæ Faber de laica communione balbutit: dum solum laici vocabulum limis oculis intruens, communionis vocabulum tanquam planè cæcus & surdus præterit. Verùm de verbis non vltèrius rixabimur, rem ipsam considerabimus.

Olim si quando clericus, hoc est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, aliusue minister Ecclesie, à puritate orthodoxæ & Catholice fidei deficiens, in errorem & hæresin incidisset, & cum hæreticis consuetudinem commerciumq̄ habuisset, aut in gratiam hominum idolis sacrificasset, aut aliud quodpiam crimen scandali materiã præbens commisisset, (laborant enim eadem infirmitate carnis, qua cæteri homines, & diabolus infestissimo odio eos prosequitur, quemadmodum Petro dicit Christus: Sathan expetiuit, vt cribraret vos) si ergo lapsus & delictum suum confitentes ad unitatē



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Ecclesiæ reuertebantur, tum sancti Patres, vt exemplum disciplinæ alijs statuerent, non solebant eos statim ad ministerium Ecclesiæ recipere: sed tamen ad Sacramentum cœnæ Dominicæ cum cæteris laicis admittebant, donec vera seriâq; ipsorum pœnitentiâ explorata esset. Quòd si lapsus erat enormior & atrocior, sæpè intra biennium, sæpè intra septennium, prorsus à cœna arcebant, ne cum laicis quidem communicare permittentes. Aliqui etiam tantam seueritatem exercebant, vt lapsos nunquàm in tota vita ad ministerium reciperent. Sic Paulus Ioannem cognomento Marcum nolebat ad ministeriũ verbi assumere, propterea quòd defecisset ab ipsis ex Pamphylia, nec isset cum eis in opus. Act. 15. Laica ergò communicatio nihil aliud est, quàm quòd clerici lapsi & iterum conuersi, aliquantisper, vel etiam perpetuò à ministerio Ecclesiastico suspendebantur: interim tamen cum laicis ad pœnitentiã & ad sacram cœnam admittebantur, hoc est, licebat quidem ipsis Sacramentum à Sacerdotibus accipere, non licebat autem, quemadmodum antea consueuerant, alijs Sacramentum porrigere, & distribuere. Tanto zelo, tanta seueritate à priscis illis Patribus in lapsos animaduerti solebat.

Hæc vera esse, testatur Eusebius loco prædicto, quem Faber quidem citat, verba autem non recitat. Sic ergò inquit: Nouatus (qui lapsis spem veniæ negabat, quantumuis seriã pœnitentiã agerent) tribus Episcopis simplicissimis hominibus, & omnium ignaris, de remota Italia parte adhibitis, imò potius subtili ab eo circumuentione deceptis, imaginariã magis quàm legitimã ab eis extorquet manus impositionem. Ex quibus tamen vnus continuo ad Ecclesiã redit, confessus peccatum suum, & in communionem laicam populo etiam pro hoc interueniente susceptus est. In locum verò reliquorum duorum, qui Nouato manus imposuerant, ordinati sunt alij Episcopi.

Audis quæ sit apud Eusebium laica communicatio? Non dicit pœnitentem

nitentem Episcopum, sub vna specie Sacramentum accepisse (quod Faber infert) sed postquam à lapsu absolutus fuerit, inter ceteros laicos ad communionem admissum esse, at tamen pœna nomine ab Episcopali munere remotum fuisse. Potesſe autem quilibet pœnitens coram Deo & Ecclesia gratiam inuenire, etiamsi non fiat Episcopus.

Fuisse autem in vsu vtramq̃ speciem Sacramenti, tempore Eusebij, vno ore testantur omnes Patres, tam priores illo quàm posteriores. Et sanè Eusebius ipse eodem capite satis clarè ostendit, Eucharistiam sua ætate non fuisse sacrificium Missaticum, sed communionem corporis & sanguinis Christi, toti populo. Nam de eodem Nouato loquens, inquit: Sacramenta populis diuidens, accipientium manus tenebat, nec prius permittebat sumere, quàm sibi per ea, quæ vnusquisq̃ tenebat in manibus, iuraret, quòd nunquàm se relicto ad Cornelium remearet. Vbi tria notabis. Primo, quod Nouatus Presbyter non celebrarit priuatam Missam, sed populo Sacramentum distribuerit. Secundo, quòd illis temporibus Sacramentum non in os, sed in manus fidelium traditum fuerit. Qui mos, quia non expresso mandato Dei præcipitur, postea desijt. Tertiò, diligenter notandum est, quòd SACRAMENTA (in plurali) & per EA iurasse Nouatianos dicit. Quæ nequaquam de vna specie, sed de vtraq̃ dici apparet.

Idem Eusebius docet, priuatam Missam non posse esse expiatorium sacrificium, cum lib. 4. de præparatione Evangelica cap. 5. de sacrificijs noui Testamenti differens inquit: solum creatorem illum omnium Deum adorare didicimus: nihil terrenum & mortuum, sed integritatem animi & castimoniam corporis, rectam scientiam & ardentissimam fidem offerentes: quam ad extremum vsq̃ spiritum intemeratam auxilio saluatoris seruabimus.

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Idem quoq; author prophetiam Malachie de munda oblatione, non interpretatur de oblatione Sacramenti in Missa, sicut Faber: sed de spiritualibus sacrificijs credentium lib. 1. de Demonstratione Euangelica cap. 6. Quod in omni loco, inquit, incensum & sacrificium offerri dicit Deo, quid aliud significat, nisi non Ierosolymis, neq; definite in hoc aut in illo loco id futurum? Sed in omni regione, & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incensum & sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruces, sed per pias actiones summo Deo essent oblatura.

Quia verò laicam communionem Faber ad vnam speciem Sacramenti detorquens, præter Eusebium nonnulla etiam Concilia & Decreta Pontificia producit, placet hanc controuersiam, simul eadem opera absolvere: quod tum fiet, cum ostendero, reliquos Patres, Concilia & Decreta, non minus pro nobis contra Fabrum pugnare, quàm Eusebium pugnare vidimus. Cyprianum primò audiamus, lib. 2. Epist. ad Stephanum ita scribentem: Audimus planè & adiungimus, frater charissime, consensu & auctoritate communi, vt etiamsi qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi aut rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hereticos à Pseudoepiscopis & Antichristis contra Christi dispositionem prophana ordinatione promoti sunt, & contra altare vnum atq; diuinum, sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoq; hac conditione suscipi cum reuertuntur, vt communicent laici, & satis habeant, quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint, &c. Quibus verbis Cyprianus nihil aliud significat, quàm Sacramentum consecrare, & alijs distribuere, sed laicorum more à legitimis Sacerdotibus accipere. Et subiicit rationem huius Con-

stituitur

stitutionis : Oportet enim Sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs deseruiunt, integros atq; immaculatos esse.

Hanc nostram interpretationem verborum Cypriani, confirmant tum Pontificia Decreta, tum impiger patronus Missæ, M. Georgius Vuicelius, qui pari studio, quo Faber, vel etiam maiori, succurrere & opitulari Missæ propemodum deplorata conatur 2. q. 7. Conuenientibus. Glossa Gratiani dicit : Ex hac auctoritate datur intelligi, quod, qui ab vnitae Catholice fidei in hereticorum societatem transferit, vt de manibus eorum Ecclesiasticæ dignitatis Sacramenta percipiat, vel qui contemptis orthodoxis, ab hereticis ordinari desiderauerit, & postea sua abrenunciens heresi ad Ecclesiam redierit, officio tamen accepto fungi non poterit. Auctoritate verò Cypriani prohibentur ab administratione Ecclesiastica, qui intra Catholicam Ecclesiam ordinari ad fidei impugnationem dilabuntur. Hic manifestè dicitur, laicam communionem pœnitentium Sacerdotum nihil aliud esse, quàm prohibitionem ab administratione Ecclesiastica.

Idem vult Canon Syriacj Papæ ad Imericum Tarraconensem Episcopum. Et habetur Dist. 84. Can. Quisquis clericus. Quisquis clericus aut viduam, vel secundam duxerit uxorem, omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox denudetur: Laica sibi tantum communionem concessa, quam ita demùm poterit possidere, si nihil postea, propter quod hac carere debeat, admittat. Hoc profecto Canone per laicam communionem nequaquam denotatur vna species Sacramenti, cum tempore Syriacj, hoc est, anno Domini 389. vtraq; species adhuc in vsu fuerit, sicut quarta centuria dicemus.

M. Georgius Vuicelius in libello suo, quem inscripsit: Typum Ecclesiæ prioris, affirmat, laicam communionem in Epistolis Cypriani nihil aliud esse, quàm quod Trophimus Sacerdos cum  
laicis.

QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

laicis communicare, nec ipse pro iure sacerdotum celebrare debuerit, quia erat Apostata. Loquitur autem Vucelius de secunda epistola quarti libri Cypriani: ubi ita scriptum inuenimus: Tristatu ergo illo cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus, pro quo satisfacere fratrum reditus & restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum literæ perulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet.

Item ex Decretis Innocentij Pontificis Romani Anno Domini 408. & habetur 1. quæst. 4. Can. Homini. Lex est Ecclesiæ de his, qui ab Hereticis baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantum communionem præbere, nec ex his aliquem in clericatus honore vel exiguo subrogare, &c. Certè neq; hæc laica communicatio vnâ speciem significat, quæ Innocentij temporibus ignota fuit, ut ex quarta Centuria patebit.

Germs fol. 784  
Latin. fol. 146.

Iam verò ex Concilijs quoq; Sardicensi & Agathensi, Faber vnâ speciem Sacramenti euincere nititur, eò quòd laicæ communionis mentionem faciant. Sed eandem esse horum Conciliorum de laica communionem sententiam, quæ Eusebij, Cypriani, Gratiani, & Vucelij, vel ipse Doctor Eccius docebit, qui in epistola ad Georgium ducem Saxonie data anno 35. fatetur, alteram speciem sacramenti in Concilio demùm Constantiensi abrogatam esse. Pudeat ergo Fabrum, qui hoc recens figmentum antiquissimis Concilijs adscribere non dubitat.

Quæ omnia non idcirco afferro, quod multum curem Ecclesie, Vucelij & Fabri de laica communionis sententias: sed ut suo ipsos iugulem gladio: & ob oculos ponam, quàm in varias, imò etiam contrarias opiniones distrabatur. Quod enim alter ædificat, id alter destruit. Sed age, audiamus ipsorum Conciliorum Decreta.

Sardicensis Concilij Canon 1. hic est. Ne cui liceat Episcopo, de sua ciuitate ad aliam transire ciuitatem: Nec laicam communionem habeat, qui talis est.

CANON

Canon 2. Qui auaritiæ ardore inflammati, & ambitioni ser-  
uientes, & vt dominationem agant, à ciuitate ad aliam tran-  
eunt, nec laicam communionem in fine accipiant.

Agathense Concilium Can. 34. constituit: Si Episcopus,  
Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut char-  
tam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore  
depositus, laicam tantummodo communionem accipiat. Et repe-  
titur Dis. 50. Si Episcopus.

Sic vtraq; Concilia testantur, Laicam communionem non esse  
vnam speciem, sed solummodo suspensionem vel degradationem  
( vt vocant ) ab officio Sacerdotali, planè iuxta Eusebij, Cypriani  
& Decretorum sententiam.

Sunt & alia quædam Concilia, quæ laicam communionem hoc  
pacto interpretantur: vt Concilium Apostolorum, Nicænum,  
Ilerdense, Antiochenum, quæ breuitatis causa omitto, donec  
Faber priora tam Patrū quàm Conciliorū testimonia refutauerit.

Et, vt maximè iam nominati Authores, imò omnes in vni-  
uersum Patres, Concilia & Decreta traderent atq; constituerent,  
laicam communionem esse vnius duntaxat speciei sumptionem, ta-  
men diuinum mandatū infringere non possent. Cedere enim oportet  
omnes humanas traditiones, cum in verbum Dei impingunt. Qua  
de re & suprà, cum de autoritate Patrum ageremus, in genere  
dictum est, & infrà de Concilijs copiosius dicitur.

## Romani Pontifi-

ces centuriæ tertiæ.

I N hac tertia centuria, quinq; Pontifices Romani suis additioni-  
bus Missam auxisse scribuntur. Fabio autem Constitutiones ip-  
sorum subtriciente, ego illas proferam, vt appareat, abominationes

c Missæ

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Missa non minus Romanis Pontificibus, quàm Patribus eius seculi, ignotas fuisse.

Felix 1. Pont. 27. Anno Domini 270. constituit, vt nullibi, quàm in loco sacro à viris Ecclesiasticis Missa celebraretur. De Conse. Dis. 1. Can. Sicut non alij.

Idem statuit, vt singulis annis sacrificia Martyrum à Christi sacerdotibus celebrarentur. De Conse. Dis. 1. Can. Solennitates.

Eutychianus 1. Pont. 28. Anno 276. instituit, vt in altari frugibus benediceretur, maximè verò vuae & fabæ. Platina fol. 33.

Caius 1. Pont. 29. Anno. 286. Ordines in Ecclesia distinguit, quibus tanquàm gradibus quibusdam ad Episcopatum ascendere- tur. Septem autem ordines ad Sacerdotium perducentes vulgò noti sunt. Platina in vita Caij.

Sylvester 1. Pont. 33. Anno 310. gradus in ordinibus Ecclesiasticis constituit, vt vnusquisq; vno tantum ordine contentus sit, & vnus solum vxoris vir.

Item, Presbyter celebraturus, neq; serico neq; panno tincto vtatur, sed lineo, & quidem albo. Platina in vita Sylvestri.

Marcus 1. Pont. 35. Anno 335. voluit diebus solennibus statim post Euangelicon Symbolum à Clero & populo magna voce decantari, & eo modo, quo fuerat in Nicano Concilio declaratum.

Iulius 1. Pont. 36. Anno 337. ita statuit: Euidens exempli veritatis Euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet. Illud verò, quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt, vbi Apostolis corpus suum commendauit & sanguinem: seorsim enim panis & seorsim calicis commendatio memoratur. Vide de Conse. Dis. 2. Can. Cum omne crimen.

Harum Constitucionum nulla de sacrificio Missatico, & adiun-  
ctis idolatrijs intelligi potest. Nam

Nam Syluestri Constitutio, vt sacerdos sit vnus vxoris vir :  
 & Marci, vt populus Symbolum vnâ cum Clero cantet : vtraq;  
 priuata Missâ repugnat. Missarium enim oportet esse cœlibem.  
 Et clerici soli Nicænum Symbolum in peregrina & plebi ignota  
 lingua cantillant. Friuolum autem est, quod aiunt, Chorum re-  
 præsentare populum, & omnium fidelium nomine Symbolum can-  
 tare. Id enim à præcepto Pauli, & Constitutione Marci Pontificis  
 est alienissimum. Si nesciero, inquit Paulus, vim vocis, ero ei,  
 qui loquitur, barbarus: & qui loquitur, apud me barbarus. 1. Cor.  
 14. & Marcus Papa distinctè iubet. Symbolum non à solis Clericis,  
 sed à populo quoq; decantari debere. Quomodo autem populus vnâ  
 cantabit, nisi vernacula & nota lingua cantetur? Taceo quòd in  
 priuata Missa Symbolum neq; Latinè neq; Germanicè decanta-  
 tur, sed à solo Missificè submissè & tacitè murmuratur verius  
 quàm legitur.

Reliquæ Constitutiones de ordinibus, locis sacris, frugibus be-  
 nedicendis, Corporali, & panno lineo atq; albo &c. sunt adiapho-  
 ra, quæ à Deo nec præcepta nec prohibita sunt: ac proinde Sa-  
 cramentum neq; melius neq; deterius reddunt. Et quia illis tem-  
 poribus vsus cœnæ purus adhuc fuit atq; integer, verissimile est,  
 Pontifices pro libertate Christiana vniuersas causas instituisse, quæ  
 ad ornandam cœnæ Dominicæ actionem aliquid conferre videban-  
 tur: Missa autem Papisicæ nullum prorsus peperisse patro-  
 cinium.

Cæterum Fœlicis Constitutio de celebrandis annuis Martyrum  
 sacrificijs, breuior est & obscurior. Ex historijs autem & vetu-  
 stis Patribus, qualis illa ætate fuerit Sanctorum veneratio, col-  
 ligitur: ita quidem, vt satis perspicuum sit, Fœlicem nihil de in-  
 uocatione Sanctorum, multo minus de expiatorio. Sacrificio cor-  
 poris & sanguinis Christi in Missa sanxisse.



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Dionysius enim Areopagita, de quo in prima centuria diximus, prolixè describens, qua forma, & quibus ritibus suo tempore cana Domini celebrata sit, inter cetera & hoc refert: nomina sanctorum hominum piè defunctorum ex catalogo recitata fuisse: non ut tantquam opitulatores & intercessores nostri inuocarentur: neq; ut ex pœnis purgatorij liberarentur: qui errores longè post in Canonem irrepserunt) sed propter alias duas causas.

Primò, ut sic testatum fieret, ipsos quantumuis mortuos, & ex hoc mundo sublato, viuere adhuc in Domino, ac sempiterna felicitate perfrui.

Secundò, ut vita eorum sancta, & obitus pius atq; felix, exempli loco alijs omnibus Christianis proponeretur, ad cuius imitationem sese totos componerent & conformarent.

Verba Dionysij hæc sunt: Enimuerò Sanctorum post pacem illam nominum prædicatio eos præconio attollit, qui piè sanctèq; viixerunt, & ad finem vsq; virtutis viam constantèr nusquam ab ea deflectendo tenuerunt: nos quidem ad imitandum beatissimum illorum habitum, atq; ad diuina appetenda præmia prouocans ac ducens: illos autem veluti viuentes prædicans: qui, ut Theologia ait, non mortificati, sed in diuinam penitus vitam ex morte translati sunt. Nouit enim Dominus, ut ait scriptura, qui sunt eius: & preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quæ profecto Sanctorum mors, pro consummata sanctitate dicitur vita.

Ad eundem modum loquitur Cyprianus lib. 3. Epist. 6. Deniq; & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.

Eusebius Casariensis, qui tempore Felicii floruit, testatur lib. 4. cap. 15. quomodo Ecclesia Smyrnenfis memoriam Sancti in celebrarit: Neq; Christum, inquit, aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit: neq; alium ququam colere, quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit, nouerimus,

uerimus. Martyres verò, tanquàm discipulos Domini, diligamus & veneremur, quasi integrè fidem magistro seruantes & Domino, quorum nos quoq; in fide & perseuerantia charitatis, optamus esse participes. Et mōx: Memoriam eorum celebramus, vt sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus susci- tentur.

Idem lib. 8. cap. 6. Ethnici arbitrantur, Martyribus apud nos diuinos honores tribui, &c.

Augustinus De Ciuit. Dei, lib. 8. cap. 27. inquit: Nec tamen nos iisdem Martyribus templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanq; sanctorum hominũ Dei, qui vsq; ad mortem suorum corporũ pro veritate certarunt, vt in- notesceret vera religio, falsis religionibus fictisq; conuictis: quod e- tiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem au- diuit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad altare, etiam su- per sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumq; constru- ctum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Perre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociauit: vt ea celebritate, & Deo vero de illorum victorijs gra- tias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; pal- marum, eodem inuocato in auxiliũ, ex eorum memoriæ renoua- tione adhortemur.

Et rursum, De Ciuit. Dei lib. 22. cap. 10. Nos autem Martyri- bus nostris non templa sicut Dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed vni Deo, & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sa- crificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vice- runt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

sacrificat, inuocantur. Deo quippè non ipsis sacrificat, quàmuis in memoriam sacrificet eorum: quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.

Et ne quis existimet, Augustino temerè verba illa excidisse, reperit eandem sententiam tertia vice, contra Faustum Manichæum lib. 20. cap. 21. Populus autem Christianus, inquit, memorias Martyrum religiosa sollemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atq; orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quàmuis in memorias Martyrum constituimus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit: vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum, quo adiuuante possumus. Colimus ergò Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus.

Ex his sanctorum Patrum testimonijs liquet, ipsorum temporibus sacrificium Martyrum non fuisse corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini: sed fuisse separatam quandam actionem à cœna, quæ plerunq; celebrata est anniuersarijs diebus, quibus sancti Martyres supplicio affecti, & Martyrio coronati fuerunt: & ijs in locis, in quibus corpora eorum sepulta quieuerunt. Hic enim fideles, tanquàm ad funebrem concionem conuenientes, non solum nomina sanctorum de scripto recitarunt: sed integras etiam Legendas quorundam, de doctrina, fide, vita & obitu eorum, ad æternæ memoriæ monumentum commemorarunt: actis Deo pro constantia illorum gratijs, auxilioq; eius inuocato, vt & in hac vi-

ta vestigijs ipsorum tam viuendo quàm moriendo insistere, & in  
 eterna vita, communi cum ipsis beatitudine frui daretur. Ac in  
 robur & confirmationem fidei suæ, simul etiam iuxta institutionem  
 Christi puram integramq; cœnam sumpserunt. Porrò nequaquàm  
 inuocarunt sanctos, multò minus corpus & sanguinem Christi Deo  
 patri in nomine sanctorum obtulerunt, vt ex enumeratis testimo-  
 nijs perspicuè apparuit. Et hanc totam actionem, de commemora-  
 tione sanctorum, gratiarum actione, oratione, &c. veteres appella-  
 runt sacrificium, hoc est, si generali significatione (vt suprà dictum  
 est) accipias, cultum diuinum. Quia verò hoc sacrificium non  
 tantum in laudem Dei, sed in honorem quoq; sanctorum perageba-  
 tur, vocarunt sacrificium Martyrum. Ideoq; Fælicis Papæ consti-  
 tutio, si iuxta analogiam fidei & Patrum eius seculi consentien-  
 tia suffragia iudicetur, nihil ad Missaricum sacrificium attinet.

## De Conciliis.

**P**rogrreditur Faber ad illorum temporum Concilia. Nicænum,  
 inquit, Concilium (quod circa annum Domini 325. celebratum  
 est) prohibet, ne hi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem,  
 his, qui offerunt, corpus Christi porrigant. Hinc colligit, Missam esse  
 sacrificium pro viujs & mortuis.

Age, antequàm ad confutationem accedamus, in genere ex-  
 plicabimus, quid de Concilijs sentiendum sit, & quantum auctori-  
 tas illorum ac potestas valeat, & quàm latè pateat.

Fatemur Concilium esse summum consistorium & iudicium su-  
 premum in regno Christi, hoc est, in Ecclesia Catholica. Si. n. hæresis  
 aliqua ita inualeat, vt singuli pastores ecclesiarũ priuatim resiste-  
 re nõ valeant, adeoq; religio Christiana periclitetur, nec esse est reli-  
 quos.

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

quos Episcopos & pastores tanquam ad commune incendium reslinguendum accurrere, & labascenti religioni subuenire, quò nouus error condemnetur, & asseratur veritas: ne si initia negligantur, postea omnes communi & insuperabili exitio inuoluantur. Vere enim dictum est: Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Talis congregatio vocatur Concilium, quòd quasi omnes in commune consulant, de conciliandis in religione controuersijs, & componendis dissidijs. Porrò quod Concilium nomine totius Ecclesiæ damnat, id vel auditu horrendum est, & propter periculum æternæ damnationis toto pectore auersandum atq; fugiendum. Neq; enim contemnenda eius vox & autoritas est, qui dicit: Ego sum vobiscum vsq; ad consummationem seculi.

Etsi autem Concilij potestas ampla est & magnifica, suis tamen certis terminis & limitibus circumscripta est, qui sine scelerè & grandi sacrilegio transiliri non possunt. Multipotens est (si ita dicere liceat) Concilium, sed non omnipotens est. Non enim licet Iudicibus & Assessoribus Concilij, iuxta sui ingenij & rationis dictamen discernere: sed ex præscripto Iuris ferenda est sententia, pro asserenda veritate, et condemnando mendacio. Porrò non fingendum est eius aliquod nouum, in Ecclesia Christi, sed sequendum est vetus illud diuinitus constitutum & approbatum, quod in sacris literis, quarum irrefragabilis est autoritas, & perfectè continetur, & planè perspicueq; describitur. Nam quæcumq; congregatio, quantumuis ex puris angelis constans, aliquid propheticis & Apostolicis scriptis contrarium statuatur, repudiari condemnariq; debet, iuxta fidelem admonitionem & grauissimum præceptum Apostoli Gal. 1.

Hieronymus ad Galatas cap. 5. inquit: Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis libris est prodita: contra quam, si quid statuatur Concilia, nefas duco.

Augustinus

Augustinus contra Maximum Arrianorum Episcopum lib. 3. cap. 14. Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Arminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus non quorumq; proprijs, sed vtriusq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione conferatur.

Itaq; si Concilia à Fabro allegata cum sacris literis consentiant, tanquam diuinum oraculum recipiemus, sin dissentiant, cum Paulo dicemus: Etiam si Angelus è cælo prædicauerit vobis Euangelium præter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit.

At hæc, ingens est Conciliorum dissimilitudo: ac proinde non ex æquo omnia vel recipi vel reijci possunt. Nam quæ ab Apostolorum temporibus vsq; ad Gregorium Magnum celebrata fuerunt, pleraq; sunt puriora & sacris literis magis conformia, quàm quæ Gregorij ætatem secuta sunt. Sunt enim ferè vnius & eiusdem farinae, ac Pontificiam tyrannidem, & humana commenta potius, quàm sacram scripturam redolent.

Insuper quatuor vniuersalia & præcipua Concilia, reliquis inferioribus in Prouincijs Asia, Affricæ & Europæ passim per Episcopos coactis, tanto interuallo præferuntur, vt in Decretis quatuor Euangelistis æquiparentur. Quapropter vt Patrum testimonia, & Pontificum Constitutiones in certas Centurias retulimus, ita & Conciliorum decreta atq; Canones, in suas distinctas Centurias digeremus.

Quodd ergò Nicenum Concilium hoc Sacramentum oblationem vocat, id pro confesso accipimus: eo tamen sensu, quem supra in prima Centuria exposuimus. Hæc enim Constitutio corpus Christi non appellat nouum quoddam aut expiatorium sacrificium pro viujs & mortuis: nec vllam facit mentionem applicationis ex opere operato: sed generali significatione vocabulum Sacrificij

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

vsurpat, pro sacro & diuino cultu, & pro commemoratione vniuersi sacrificij in cruce per acti: deniq; pro sacrificio Eucharistico, hoc est laudis & gratiarum actionis. Ceterum quod in eodem Canone sequitur, ne hi, qui potestatem non habent offerendi, illis qui offerunt, Christi corpus præbeant, itidem pro confesso accipimus: est enim conforme & consentaneum sacrae scripturae 1. Cor. 14. Omnia decenter, & secundum ordinem fiant. Et rursus: Non enim est confusionis author Deus, sed pax, ut in omnibus congregationibus sanctorum. Quemadmodum enim minimè conuenit, ut in Ecclesia omnes simul linguis loquantur: ita non minus indecorum foret, si ~~deus~~, hoc est, publicus & communis minister Ecclesiae, sacramentum corporis & sanguinis Christi, ab alio quodam ex plebe ad hoc ministerium non vocato acciperet: cum ipsi diuinorum mysteriorum dispensatio commissa sit atq; concredita. Distribuit autem alijs sacramento, minister ipse suus è manibus comedit atq; bibit, non tanquam priuatum, sed tanquam commune panem & calicem: nec inter suum & Ecclesiae esum atq; potum discrimen aliquod constituit.

Hunc sensum circumstantiæ Canonis illius, malitiosè à Fabricio omisse, suppeditant.

Integer autem Canon sic habet: cap. 18. Peruenit ad sanctum magnumq; Concilium, quòd in quibusdam locis & ciuitatibus, Presbyteris gratiam sacrae communionis Diaconi porrigant, quòd nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Et statim: Nec non & illud innotuit, quòd quidam Diaconi ante Episcopos oblata contingant. Hæc igitur omnia resercentur, & in sua Diaconi mensura permaneant, scientes, quòd Episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem Presbyteris habeantur. Per ordi-

mem ergò post Presbyteros gratiam sacrae communionis percipi-  
unt, aut Episcopo autem Presbytero porrigente.

Quinq; potissimum in hoc Canone spectanda ac perpendenda  
sunt.

Primum: Quòd Patres huius Concilij cœnam Dominicam vo-  
cant gratiam sacrae communionis, hoc est, donum Dei, quod  
multis communicetur: nequaquam verò opus meritorium, quod  
Deo patri pro alijs offeratur: quale opus esse Missam priuatam  
sunt.

Secundò: Quòd Episcopi & Presbyteri hoc donum siue grati-  
am non sibi soli referuent, vt ipsi soli comedant atq; bibant: sed  
Diaconis etiam couenienti ordine distribuunt.

Tertio: Quòd Diaconi eam gratiam, quam de manu Presby-  
terorum accipiunt, Ecclesiae communicent. Id autem Diacono-  
rum esse officium, superius in prima centuria ex Cypriano audi-  
uimus, & post in centuria quarta ex Liturgia Chrysostomi au-  
diemus.

Quartò: Quòd communicatio non de solo Christi corpore intelliga-  
tur ( vt Faber euincere conatur ) sed de communionem etiam cali-  
cis, dicente Paulo: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne  
communicatio sanguinis Christi est? panis, quem frangimus,  
nonne communicatio corporis Christi est?

Quinto: Nulla sit præcipuorum & maximè detestandorum in  
Missâ errorum mentio: quales sunt: Vesci Sacramento pro alijs:  
Meritum Christi ex opere operato Missæ viuis & mortuis appli-  
care. Item, Purgatorum, Inuocatio sanctorum &c. Imò Patres  
cum Paphnutio aduersantur & contradicunt celibi vitæ Missa-  
riorum: & prohibent tantum confusiones, & iratias quasdam,  
quæ in cœnam irrepserant: sicut & Paulus solam iratiam apud  
d 2 Corinthios



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Corinthios taxat, de mandato autem Domini nihil omnino mutuat. Quid putas Patres Concilij dicturos fuisse, si cœnam tam sacrè prophanatam, totq; conspurcatam idolomanijs vidissent, que hodie in Pontificia Missa conspiciuntur?

Eiusdem Concilij Canon 13. disertè testatur, Eucharistiam sub vtrâq; specie laicis æquè ac Sacerdotibus exhibendam esse. Verba hæc sunt: Generaliter autem omni cuilibet in exituposito, & potenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debet. Certum est autem, oblationem altaris, non solum esse panem & corpus Christi, verum etiam calicem & sanguinem Christi. Sequitur ergo, laicos & corpus & sanguinem Christi sub vtrâq; specie accepisse.

Concilium Antiochenū, año Domini 345. celebratū cap. 2. factur, cœnā non debere esse Missam priuatam, sed cōmunionem cōrius Ecclesiæ. Omnes, inquit, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à preceptione sanctæ communionis auertunt, hi de Ecclesia remoueantur, quā mdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur.

Concilium Elibertinum, anno Domini 335. celebratum, Canon 34. statuit, cereos per diem in cœmeterio non incendi. Et Can. 36. Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur. Quæ Decreta Fabri manifestè aduersantur, cereos & imaginem Crucifixi magnis laudibus efferenti, & complures mysticos & spirituales sensus atq; interpretationes allegoricas affingenti.

Tertium nunc propugnaculum Fabri, quod ex malè coaceruatīs terciæ centuriæ testimonijs construxerat, diruimus.

QVARTA

QVARTA CENTVRIA.

**E**X quarto post natum Christum seculo Faber octo Patres in aciem educit, quos pro Missatico sacrificio propugnatu-  
 sperat. Horum quinq; Græca lingua scripserunt: Basilius videlicet, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ioannes Chrysostomus, & Cyrillus. Tres Latina: Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus.

Basilius Magnus Episcopus Cæsarea Cappadociæ, qui floruit anno Domini 380. lib. 1. de Baptismate cap. 3. Oportet accedentem ad corpus & sanguinem Domini, purum esse à quouis inquinamento carnis ac spiritus, ne ad iudicium edat & bibat. Germ fol. 201  
Latin. fol. 37.

Gregorius Nazianzenus, præceptor D. Hieronymi: O sacrificia mutentes in cruenta Sacerdotes. O animarum custodes gloriosissimi. O magnifigmentum Dei vestris in manibus ferentes. Germ fol. 73.  
Latin. fol. 124.

Epiphanius contra Melchisedechianos: sacrificium Melchisedechicum eum significat, qui ait: Ego sum panis viuus, & sanguinem in cruce ex eius latere manantem. Germ fol. 56.  
Lat fol. 93.

Ambrosius Episcopus Mediolanensis, anno Domini 390. In Lucam cap. 1. Non dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Germ. fol. 74.  
Latin. fol. 124.

Idem lib. 4. de Sacramentis. cap. 3. Sacramenti altaris figura præcessit, quando Abrahæ victori occurrit Melchisedech Sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Germ. fol. 56.  
Lat. fol. 94.

Hieronymus ad Damasum: Vitulus ipse Saluator, cuius quotidie carne pascimur, & cruore potamur. Hoc conuiuium quotidie celebratur, quotidie Pater filium recipit, semper Christus immolatur credentibus. Germ. fol. 47.  
Latin. fol. 125.

Idem in Epistola ad Euagrium. Melchisedech pane & vino simplici, puroq; sacrificio Christi dedicauit Sacramentum. Germ. fol. 45.  
Lat. fol. 87.

Augustinum præ cæteris Faber in suas partes pertrahere conatur

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

natur. Is lib. 20. contra Faustum cap. 18. inquit: Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Germ fol. 51

Latin. fol. 85

Idem Epistola 23. ad Bonifacium. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec vix mentitur, qui interrogatus responderit eum immolari.

Germ fol. 57.

Lat. fol. 95

Idem lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 21. In Sacerdote Abrahæ & Iehosedech Dominicum Sacramentum præfiguratum videmus.

Germ. fol. 62.

Latin. fol. 103

Idem passim, inquit Faber, mundam oblationem Malachia interpretatur de Missa pro viuis & mortuis.

Germ. fol. 73.

Latin. fol. 123

Ioannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus anno Domini 400. lib. 6. de Dignitate Sacerdotali cap. 4. Sacerdos sacrificium illud horrore ac reuerentia plenissimum perficit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato. Et mox: Per id tempus & Angeli Sacerdori assident, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est.

Germ. fol. 76.

Latin. fol. 127

Cyrillus Episcopus Alexandrinus, anno 430. Incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij veritatem: non ut communem carnem percipientes (quomodo enim mihi iuxta naturam suam viuificatrix caro esse poterit) sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam.

Germ. fol. 33.

Lat. fol. 56.

Certe quod Faber alibi gloriatur, se habere nubem testimonij sanctissimorum Patrum, id cum primis in hac centuria apparet. Nam prædictos octo Patres, ut minimum centies & sepeuagies citat. Quia verò est ex numero Pontificum Romane Ecclesie, vaticinatur contra seipsum, instar Caiaphæ. Hæc enim testimonia, iuxta Fabri sensum & propositum, verè sunt densæ & obscuræ nubes, aquam non habentes, quæ à ventis circumaguntur: quem admodum Iudas Apostolus loquitur: Non quòd Patres per se eiusmodi

iusmodi nubes sint, sed quòd Faber nubem quandam clarissimis testimonijs obiicit. Quid enim ex omnibus hisce testimonijs comprobabit amplius? quàm quòd ministri Ecclesie vocentur Sacerdotes: Mensa in qua Sacramentum celebratur, altare: & Sacramentum corporis & sanguinis Christi, incruentum sacrificiũ, quod non Deo, sed toti communi Ecclesie quotidie offeratur & communicetur? Ista omnia fatemur nos etiam: & pro nobis contra Fabri Missam militant, vt ordine audiemus.

Basilij testimonium non illibenter recipimus. Disertè enim docet, illis temporibus veramq; speciem Sacramenti in vsu fuisse. Oportet, inquit, accedentem ad corpus & sanguinem Domini, &c. Et ne quis imaginetur, sub vna specie corpus & sanguinem, per Physicam concomitantiam, accipi, distinctè addit: Ne ad iudicium edat & **BIBAT**. Quæ sanè verba de vna specie intelligi nequeunt. Panis enim bibi vtiq; non potest.

Quòd si Faber tergiversetur, ac dicat, Basilium loqui de consecrantibus, non de communicantibus, en verba Basilij: **ACCEDENTEM**, inquit, non, Offerentem corpus & sanguinẽ Christi in Missa. Accedere autem, laicorum est, non Sacerdotum.

Sed age, vt vera sententia Basilij elucescat, & fraudulentia Fabri consilia patefiant, Liturgiam Missæ à Basilio compositam, & longo postè illum tempore vsitatam adscribamus.

Postè recitat as preces quasdam, & decantat as cantiones, à toto populo, Sacerdos exorsurus mysterium cœnæ Dominicæ, ad populum alta voce adhortationem instituit: Sursum habeamus corda. Cui respondet populus: Habemus ad Dominum. Pergit Sacerdos, inquit: Gratias agamus Domino. Respondet populus: Dignum & iustum est, &c. quæ in præfatione sequuntur.

Postea concinit populus carmen victoriale Angelorum ex **Esaia**: sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, quod in nostris etiam Ecclesijs vsitatum est.

Interea

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

*Interea Sacerdos secretò pronunciat hanc orationem, quæ illis temporibus Canonis loco fuit: in qua Deo gratias agit pro beneficijs inde vsq; ab exordio mundi à Deo Ecclesie collatis, & præsertim pro redemptione Christi.*

### CANON BASILII.

*Cum his beatis Potestatibus (angelis) Domine, amator generis humani, etiã nos peccatores clamamus & dicimus: Sanctus es verè, & per omnia sanctus, & non est mensura magnificentiæ sanctitatis tuæ. Et sanctus es in omnibus operibus tuis: quia in tua iustitia & vero iudicio omnia exhibuisti nobis.*

*Cum enim finxisses hominem accepto pulvere de terra, & honorasses eum, ò Deus, imagine tua, collocasti eum in paradiso deliciarum, pollicitus illi vitam immortalem, & fructum æternorum honorum in obseruatione mandatorum tuorum.*

*Sed cum fuisset inobediens aduersum te verum Deum creatorem suum, seductus fallacia Serpentis, mortificatusq; proprijs delictis, eiecisti eum in iudicio tuo iusto, ò Deus, ex paradiso in hunc mundum, & conuertisti in terram, de qua sumptus erat, ordinans & disponens salutem ipsius ex regeneratione in ipso Christo tuo.*

*Non enim auersatus signum tuum in finem, quod tu, bone Deus, feceras, neq; oblitus fuisti operis manuum tuarum, sed respexisti hoc multifariam per viscera misericordiæ tuæ. Prophetas misisti, virtutes fecisti per sanctos tuos, qui omnibus sæculis complacuerunt tibi. Locutus es nobis per os seruatorum tuorum Prophetarum, prænuncians nobis futuram salutem. Legem dedisti ad auxilium, Angelos adiunxisti custodes.*

*Postquam*

Postquam autem venit plenitudo temporum, locutus es nobis in ipso filio tuo, per quem fecisti & secula, qui est splendor gloriae tuae, & character hypostaseos tuae, & fert omnia verbo virtutis tuae, & non est arbitratus rapinam, quod esset similis tibi Deo Patri. Sed Deus ipse ante secula conspectus fuit super terra, & versatus cum hominibus, & incarnatus de sancta virgine, exinanivit semet ipsum, formam serui accipiens, conformis factus corpori humilitatis nostrae, ut nos conformes redderet imagini gloriae suae.

Quia enim peccatum per hominem introierat, & per peccatum mors, complacitum fuit unigenito filio tuo, qui est in sinu tuo Dei & Patris, ut natus ex muliere sancta Deipara & semper virgine Maria, ut subiectus Legi condemnaret peccatum in carne sua, ut in Adam morientes viuificarentur in ipso Christo tuo, qui in hoc mundo versatus, dedit mandatum salutis: & abduxit nos ab errore simulachrorum, & adduxit ad cognitionem tui, Dei veri & Patris: & acquisiuit nos sibi populum peculiarem, Regale Sacerdotium, gentem sanctam, & purificauit aqua, & sanctificauit spiritu sancto, & dedit semet ipsum precium redemptionis à morte, qua detinebamur, venditi sub peccatum.

Et descendit per crucem ad inferos, ut consummaret sibi uniuersa, soluit dolores mortis, & surrexit tertia die, & aperuit iter omni carni ad resurrectionem ex mortuis: eò quòd non potuit teneri à corruptione author & dux vitae, factus primitiae dormientium, primogenitus ex mortuis, ut esset ipse omnia in omnibus, primatum tenens.

Et ascendit in caelos, & sedet à dextra maiestatis tuae in excelsis, qui & uenturus est, ut reddat unicuique secundum opera ipsius. Reliquis autem nobis monumenta salutifera passionis suae, haec, quae proposuimus, secundum ipsius praecepta.

Egressurus

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Egressurus enim ad voluntariam, & celebrem atq; viuificam mortem suam, ea nocte, qua tradidit semetipsum pro mundi vita, accepit panem in sanctas atq; immaculatas manus suas, attollens tibi Deo & patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens, dedit sanctis suis discipulis & Apostolis, dicens: Accipite, comedite, Hec est corpus meum &c.

### Mox sequitur.

Precamur, vt vnias nos omnes participantes ex vno pane & poculo, in vnus spiritus sancti communionem: & ne quem nostrum in iudicium aut condemnationem facias participare corpus & sanguinem Christi tui: vt inueniamus misericordiam & gratiam cum omnibus sanctis, qui tibi à seculo placuerunt, Prophetis, Patriarchis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Præconibus, Euangelistis, Martyribus, Confessoribus, Doctoribus, & omni spiritu iusto in fideq; perfecto.

Ex hoc Canone Basilij primò apparet, Cenam tunc fuisse veram Eucharistiam, hoc est, illustrem gratiarum actionem, pro redemptione in Christo Iesu: non dissimilem adhortationi huius, que in Ecclesiastica Ordinatione Ducatus Vuirtembergici canie Dominicæ præmittitur.

Secundò, apparet Cenam fuisse memoriale passionis & mortis Christi, quod quidem Sacerdos non solus comederit atq; biberit, sed omni populo distribuerit, in communionem corporis & sanguinis Christi sub utraq; specie, & in communionem Sanctorum, cum viuorum, tum mortuorum.

Nec in tota actione mentio vlla fit, Sacrificij, innocationis Sanctorum, satisfactionis pro mortuis. Ac permansit hic ritus in Græca Ecclesia inde ab Apostolorum temporibus vsq; in hodiernum diem fixus & immotus.

NIIS PATRVM, &c. CENT. IIII. 111

Iam & reliqui quartæ Centuriæ Patres, interdum quidem satis impropiè & obscurè de Cœna locuti sunt: vnde indociles & leues spiritus ansam arripuerunt confingendi sacrificij Missatici. Veruntamen, si verba ipsorū iuxta analogiã fidei per omnes circumstantias expendamus, & cum his alia eorundem autorum testimonia conferamus, manifestum euadit, Patres illos Cœnam Dominicam, qualis à Christo instituta est, & in nostris Ecclesijs reformationis Dei beneficio celebratur, defendere, contra horrendam, quæ in Missa cernitur, prophanationem.

Hieronymus & Augustinus in locis citatis, fatentur quidem Christum in Sacramento quotidie offerri, non autem Deo Patri, (vt Faber affirmat) Sed **CREDENTIBVS**. Et Augustinus ait, Christianos peracti in cruce sacrificij memoriam celebrare, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Vnde colligitur, vocabula Sacerdotis, Altaris, Sacrificij inuicem, oblationis &c. quibus Nazianzenus, Ambrosius & Chrysostomus vtuntur, non intelligenda esse de externo sacerdote, altari & sacrificio, quæ certis quibusdam & consecratis tantum personis, non toti populo conueniant (qui fuerunt ritus Veteris Testamenti, & xxiij. quædam in Papatu retinentur) Sed de spiritalibus sacerdotibus, altaribus & sacrificijs, de quibus supra satis multa dicta sunt, & sine fastidio repeti non possunt.

Cum enim communionem corporis & sanguinis Christi in cœna accipimus, ac Deo patri gratias agimus pro donato nobis filio, simulq; deuota oratione precamur, vt nobis fidem in Christum confirmet & adaugeat, & propter illum peccata nostra clementer condonet, vitamq; largiatur æternam &c. tum non sistimus aut representamus Christum Deo patri, sed potius accipimus Christum à patre oblatum, & ministerio Euangelij & Sacramenti repræ-



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

sentatum. Recte ergo Hieronymus & Augustinus dicunt, Christum in cœna immolari & offerri nobis, non Patri. Quamquam etiam actio, sacrificium Deo acceptum à Patribus appellatur, non quòd Christum Patri sistamus, sed quòd totum hunc cultum ad laudem Dei & gratiarum actionem referamus, ac Patrem cœlestem in nomine dilecti sui filij inuocemus.

Ceterum quòd Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus, typum illum de Melchisedechica oblatione panis & vini accommodant ad Sacramentum corporis & sanguinis Christi, non malè quidem ab ipsis dicitur, sed maliciosè à Fabro peruertitur. Nam Melchisedech ipse neq; panem neq; vinum Deo sacrificauit. Ad hæc, non panis & vini respectu, sed alijs de causis Christo confertur, ut suprà in classe Prophetarum ostendimus. Præterea in dubijs & controuersis rebus nudæ figuræ nihil certi solidiq; probant, præsertim si apertus textus aduersetur, qualis est verborum cœnæ Dominicæ. Insuper Patres panem & vinum Melchisedechi nequaquàm conferunt cum priuata Missa Papisicæ, illis temporibus ignotissima: sed cum Sacramento corporis & sanguinis Christi in cœna, quam sacrificium vocant, ob causas suprà commemoratas. Adde, quòd Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. & lib. 2. cap. 8. expresse ait, non Melchisedechum, sed Abrahamum Deo obtulisse. Vbi & sacrificia Abrahamæ piè explicat, docens, eum non per sacrificia, sed per fidem iustificatum, & saluatum esse. Verba hæc sunt: Abraham triumpho humilior factus est, non superior, sacrificium deniq; obtulit, decimas dedit, ideoq; eum Melchisedech benedixit.

Etsi autem typus Melchisedechi, controuersiam de cœna & de Missa non dirimat: tamen incundum est hanc quasi depictam tabulam intueri, in qua Patres non quidem substantiam cœnæ (hæc enim ex solis verbis primæ institutionis petenda est) sed verum usum & fructum eius eleganter describunt. Nam sicut olim Melchisedech

chisedech Sacerdos Dei altissimi, defessum & famelicum Abrahæ exercitum cibo potuq̄, recreauit, agens interim Deo gratias pro victoria miraculose concessa, ac benedicens Abrahæ: ita Christus æternus noster Pontifex, & Sacerdos iuxta ordinem Melchisedech, veris & vnicuique filijs Abrahæ, laborantibus & oneratis, iustitiamq̄ sitiencibus & esurientibus, cibum ac potum corporis & sanguinis sui instituit, quo veluti viatico quotidie fidem suam confirmant, & contra quemuis hostilem insultum præmuniantur. Sic fit, vt & Deo gratia agantur, & nos cælestibus donis in æternum benedicamur.

Hanc esse genuinam Patrum sententiam, vbi de Melchisedechico sacrificio loquuntur, alia eorundem Scripta clarius edocent. Quilibet enim suorum verborum optimus est interpres. De Basilio, quia satis diximus, ad reliquos progrediamur.

Nazianzenus in oratione in sanctum Pascha, ad populum, inquit: Absq̄ confusione, & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris.

Epiphanijs testimonium de veraq̄ specie perspicuum est, lib. 2. Tomo. 1. contra Melchisedechianos. Sic enim inquit: Melchisedech Abrahæ obuiam venit, & proposuit ipsi panes & vinum, mysteriorum ænigmat a præfigurans, & exemplaria: cum Dominus noster dicat: Ego sum panis viuens: & exemplar sanguinis ipsius, qui ex latere ipsius puncto fluxit, ad purgationem inquinatorum, & resperisionem ac salutem animarum nostrarum.

Idem lib. 1. Tomo. 3. contra Marcionistas. Vt per aduentum Christi sui omnem sacrificiorum vsum tolleret, vno sacrificio omnia, quæ antea fuerunt, complente, ac perficiente, quod est sacrificium & victima Christi.

Ambrosius quoties cæna Dominica meminit, semper expressis verbis vtramq̄ speciem confitetur. In primis autem super Epist. 2. ad Corinthios reddit rationem, quare Christus distinctè corpus suum

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

suum in pane, & sanguinem in vino edendum atq; bibendum tradat. Valet inquit, ad tuitionem corporis & animæ, quod percipimus: quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra offertur. Sed tamen sub utraq; specis sumitur, quod ad utrunq; valet, quia sub utraq; sumitur ipse totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est, animæ vel corporis, non veriusq; pariter tuitionem valere significaretur &c. Ex his patet quid Sathan etiam illo tempore molitus sit, quòd Christi institutio in hac sacra re violaretur. Sed fortiter resistebunt, & vicerunt sancti Patres.

Idem in sermone de Mysterijs ad Neophytos: Didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi, & quòd vinum sit sanguis consecratione verbi cœlestis.

Idem de Sacramentis lib. 5. cap. 1. 2. & 3. scribit, populum ad altare accedentem corpus & sanguinem Christi accipere. Venisti, inquit, ad altare, accepisti gratiam Christi, Sacramenta es cœlestia consecutus, Hæc accommodat illud ex Canticis cap. 5. Manducaui panem meum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.

Theodoretus in Tripart. Hist. lib. 9. cap. 30. recitat memorabilem historiam de Ambrosio, laicis Sacramentum in utraq; specie vel dante vel denegante. Cum enim Theodosius Imp. præcipui in Thessalonicenses scivisset, innocentum cum reorum cæde confusa, ac postea Mediolanum ingressus, more solito in templum intrare, & Eucharistiam percipere vellet, Ambrosius ante vestibulum occurrens, procedere ulterius gravi oratione vetuit, ac inter reliqua inquit: Quomodo manus extendes, de quibus stillat adhuc sanguis iniustus? quomodo huiusmodi manibus sanctum Domini corpus, qua temeritate ore tuo poculum sanguinis preciosi percipies? quando furore verborum tuorum iniuste sanguis effusus est. Quapropter discede, neq; velis priorē iniquitatem hac alia iniquitate augere.

Porro Theodosium fuisse laicum, Theodoretus eodem capite testatur. Nam postquam munus ad sacram mensam obtulisset, & expectaret communicationem Diuinorum mysteriorum, Ambrosius illi per Diaconum mandat: Interiora, ò Imperator, solis Sacerdotibus patent, reliquis verò omnibus inaccessa & intacta: proinde exi, & communiter cum reliquis assiste: nam purpura Imperatores non Sacerdotes facit. Nihilominus tamen, quamuis laicus esset non clericus, Imperatori corpus & sanguinem Christi seorsim porrexit Ambrosius.

Idem Ambrosius in Epist. ad Hebræos. In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens. Quid ergò nos? Nonne per singulos dies offerimus? Et si quotidie offeramus, ad recordationem eius moris fit, & vna est hostia, non multæ. Sic etiam dicimus: Hodie est resurrectio Domini, id est, hodie reuocamus ad memoriam resurrectionem Dominicam. En apertam & ingenuam cõfessionem, quòd cœna non sit sacrificium pro viuus & mortuis, sed commemoratio vnici sacrificij, semel in cruce peracti.

Iam & hac in parte Ambrosius Papisticæ Missæ refragatur, quòd peregrina & ignota lingua in Ecclesia peragitur. Super 1. Corinth. 14. Manifestum est, inquit, ignorare animum nostrum, si lingua loquatur quam nescit, sicut assolent Latini homines Græcè cõtare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Vnde liquet, Ambrosium ea lingua Missam celebrasse, quæ auditoribus suis vernacula & trita fuit. Et aiunt hodie etiam discrimen esse inter Romanam & Mediolanensem Missam.

Iacobus de Voragine author historia Lombardica, in Legenda Gregorij Magni scribit, temporibus Adriani Papæ circa annum Domini 780. in Concilio Romæ conuocato, omnium Patrum hanc fuisse sententiam, vt Missale Ambrosianum & Gregorianum super altari Beati Petri Apostoli ponerentur, & fores Ecclesiæ optime

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

optimè clauderentur, ac plurimorum Episcoporum sigillis diligentissimè munirentur, & ipsi tota nocte orationi insisterent, ut Dominus per signum aliquod reuelaret, utrum horum ab Ecclesijs magis seruari vellet. Manè ianuis Ecclesiæ apertis, Missale Gregorianum penitus dissolutū & hūc illucq; dispersum inuenerunt: Ambrosianum autem solummodo apertum super altare in eodem loco in quo posuerant, reppererūt. Hæc ille. Quæ si vera historia est, proculdubio significare voluit Dominus, Missam Gregorij Papæ suo tempore dissoluendam & abolendam esse (omne enim regnum in se diuisum desolabitur) sed Ambrosij Missam permansuram esse, quoad vsq; Dominus venerit. Quod sanè vaticinium hodierno die impleri incipit, dum Gregoriana, hoc est, Papiistica Missa expulsa, Ambrosiana, hoc est, pura & institutioni Christi consentanea, instauratur.

Hieronymus quoq; disertis verbis testatur, sua ætate Cœnam sub vtrâq; specie populo distributam esse. In Sophoniam cap 3. & repetitur 1. q. 1. Can. Sacerdotes. Sacerdotes, qui Eucharistiæ deseruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in lege Christi, putantes eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam.

Idem priuata Missæ apertissimè repugnat in 1. Corinth. 11. Iam non est, inquit, Dominica, sed humana cœna: quando vnusquisq; tanquam cœnam propriam solus inuadit, & alij, qui non obtulerit, non impertit. Et statim: Ceterum cœna dominica omnibus debet esse communis: quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit Sacramenta.

Idem ad Rusticum Monachum. Sanctus Exuperius Tholose Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios: & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena, omnemq; substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.

Idem

Idem ad Damafum. Saluatoris carne quotidie vescimur, cruce potamur. Hoc conuiuium quotidie celebratur.

Augustinus veram Sacramenti speciem omnibus fidelibus communicari docet in libro sententiarum Prosperi, & repetitur De Confe. Dif. 2. Can. Dū frangitur. Dū frangitur hostia, dū sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?

Idem de fide ad Petrum cap. 18. Firmissime tene, & nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum, Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo in odorem suauitatis, cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus, tempore veteris Testamenti, animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est, tempore noui Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate, sancta Ecclesia catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris, ipse sine peccato fuerat oblaturus: & sanguinis, quem erat effusus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit: & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit.

Vides quàm perspicuè doceat Augustinus, vnicum tantum esse sacrificium, quo Deus nobis & veteris testamenti populo reconcilietur, videlicet carnem Christi, quam Dominus ipse, non sacerdos in Missa, obtulit: & sanguinem eius, quem pro peccatis nostris effudit. Quæ caro & qui sanguis per immolationem pecudum in veteri Testamento designabantur. Atque eadem planè caro & idem sanguis datur nobis in oblatione panis & vini, qua Christo vna cum patre & Spiritu sancto sacrificium panis & vini in fide & charitate offerimus. Vbi notabis, Augustinum non dicere, quòd Christus patri offeratur: sed quòd sacrificium panis & vini Christo

f cum

## QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

cum Patre & Spiritu sancto offeratur, in gratiarum actionem & commemorationem passionis ac mortis eius.

Idem contra Faustum lib. 20. cap. 18. Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione, & communicatione, & participatione corporis & sanguinis Christi. Huius sacrificij caro & sanguis, ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memorie celebratur.

Ecce Augustinus Missam seu actionem cœnae Dominicae vocat celebrationem memorie sacrificij Christi. Quid autem aliud est celebratio, quàm publica & solennis prædicatio seu annunciatio, per verba & ceremonias facta?

Multa eiusdem authoris testimonia lubens prætereo, breuitatis gratia: quæ tum proferentur, cum Faber superiora confutauerit.

Germ. fol. 12.  
Latin. fol. 21.

Chrysostomus propriam formam, inquit Faber, celebrandi Missam, id est, sacram Liturgiam Græco composuit idiomate. Unde euidenter se arbitratur vetustatem sacrificij Missæ, & vniuersæ speciei.

Et si verò multis coniecturis planum facere possem, Liturgiam, quæ Chrysostomi nomine circumfertur, non genuinam esse, nec ab ipso Chrysostomo, nec ab alijs eo seculo ita celebratam esse, ut sonat litera: tamen hac de re cum Fabro non contendam, sed largiar, veram & propriam esse Chrysostomi. At tamen, ne sic quidem Missæ sacrificiū & vnam speciem tuebitur: ego enim contrarium cum ex ipsa Liturgia, tum ex alijs Chrysostomi scriptis demonstrabo.

Sed nimis longum foret, integram Liturgiam verborum hinc adscribere. Præcipua tantum capita, in quibus cardo controuersæ vertitur, perstringam. Nam licet sacramentum corporis & sanguinis Christi sæpenumerò in hac Liturgia sacrificium appelletur, euincunt tamen cum præcedentes tum sequentes circumstantiæ, non intelligendum esse de expiatorio sacrificio Missæ, & applicatione  
merita

meriti Christi, quæ contingat alijs hominibus, absq; propria eorum fide & fruitione : sed de spiritualibus sacrificijs laudis, gratiarum actionis, precationis &c.

Etenim ante consecrationem Sacerdos inquit : Offerimus tibi deprecationes, & supplicationes, & sacrificia immaculata pro populo tuo. Et rursus : Idoneos nos redde ad offerenda tibi dona & sacrificia spiritualia. Et post consecrationem ait : Offerimus tibi rationalem hunc cultum, pro quiescentibus in fide maioribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis & Apostolis, Præconibus & Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Continentibus, & omni spiritu in fide initiato.

Manifestum est autem, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, aliosq; Spiritus in fide initiatos, & nunc in fide quiescentes, non habere amplius peccatum, ac proinde nulla indigere expiatione : quemadmodum inquit Paulus Rom. 6. Qui mortuus est (in fide) iustificatus est à peccato. Et Christus ipse Marci ult. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Itaq; rationalis ille cultus Liturgie, neq; de expiatorio sacrificio Missæ, ex opere operato, neq; de applicatione meriti Christi potest intelligi, sed sicut Liturgia seipsam explicat, de sacrificio laudis, precum, gratiarum actionis &c. ubi sanctorum piè defunctorum memoria honorificè recolitur, fides, miracula, constantia, ac reliqua dona ipsorum commendatur, & Deo gratiæ aguntur, quòd Ecclesiæ suæ eà præclara lumina, tot excellentes Doctores donauerit: nec non preces funduntur, ut Deus ipsos spiritu suo sancto, quemadmodum et illos, regere ac gubernare dignetur, quòd iisdem vestigijs insistant, ac tandem communem cum illis beatitudinem consequantur : Idem fatetur Gabriel Biel Lect. 80. litera H. Vfus, inquit, Ecclesiæ habet, quòd hostia in tria frangatur : quia pars corporis Christi mystici in cælis triumphat : & pro illa Sacramentum offertur ad laudem & gratiarum actionem, quia illi iam liberati sunt &c.



QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Secundo, testantur circumstantia huius Liturgia, sacrificium illud non fuisse priuatum & arcanum negocium vnius Sacerdotis, sed publicam actionem totius Ecclesiæ, & communionem corporis ac sanguinis Christi. Populus enim semper orat & gratias agit cum Sacerdote & Diacono. Ac præsertim ad verba consecrationis Chorus respondet, amen: quod indicio est, Sacerdotem verba consecrationis non peregrina nec submissa voce, sed clara & omnibus nota lingua pronunciaisse. Præterea Sacerdos orat, vt fiat assumentibus in lotionem animarum, in remissionem peccatorum, &c. Assumentibus, inquit, non spectantibus. Et rursum orat: Dignos nos redde potente manu tua, vt participes simus immaculati tui corporis, & preciosi tui sanguinis, & per nos omnis populus. Nec, quod in Canone priuata Missæ fit, monstrat tantum alijs panem & vinum, sed præstat etiam atq; exhibet: ostendit enim calicem benedictum populo, dicens: Cum timore Dei, & fide, & dilectione accedite.

Hanc esse sententiam Chrysostomi, & verum sensum Liturgiæ, quæ ex Græca lingua in Latinam & Germanicam translata est, ex alijs ipsius scriptis demonstrabimus.

In Epist. ad Hebræos Homilia. 17. cap. 9. docet, Missam non esse nouum sacrificium expiatoriam. Nonne per singulos dies, inquit, offerimus quidem, sed ad recollectionem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multa. Quomodo vna est, & non multa? Et quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar est illius, id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastina die alium, sed semper id ipsum: proinde vnum est hoc sacrificium. Aliquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus vbiq; est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. Vnum corpus: sicut enim, qui vbiq; offertur, vnum corpus est, & non multa corpora, ita etiam vnum est sacrificium. Pontifex autem

tem noster ille, qui hostiam mundantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Non est aliud sacrificium, sicut Pontifex: sed id ipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur. Hæc ille. Quid queso vehementius cõtra Missam Pontificiam dici potuit? in qua Sacerdos, tanquàm mediator, sacrificio Missæ Deum conatur reconciliare cum vivis & mortuis. Apertissime dicit, non esse alium Pontificem præter Christum, nec aliud sacrificium expiatorium, quàm crucis: Cœnam autem solummodo esse commemorationem illius, & gratiarum actionem.

Idem in 2. Cor. 8. Homilia 18. Est autem, ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysterijs. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos: Sed nunc non sic, verum omnibus vnum corpus proponitur & poculum vnum. Quin & in precibus, viderit quis populum multum simul offerre, cum pro energumenis, tum pro pœnitentibus: communes enim preces à Sacerdote & ab illis fiunt, & omnes vnam dicunt orationem, orationem misericordia plenam. Iterum ubi excluderimus à Sacerdotibus ambitibus eos, qui non possunt esse participes sanctæ mensæ, alia facienda est oratio, & omnes similiter super terram iacemus, & omnes similiter surgimus. Quando iterum pax communicanda, omnes similiter salutamus. In iisdem iterum horrendissimis mysterijs bene precatur Sacerdos populo, & bene precatur populus Sacerdoti. Nam cum Spiritu tuo, nihil aliud est, quàm hoc: Ea quæ sunt Eucharistiæ, id est, gratiarum actionis, communia sunt omnia: neq; enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus: prius

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis, ut dignè & iustè hoc fiat, incipit Eucharistiam.

Hæc Chrysostromi verba ideo tam prolixè adscribere volui, ut intelligant omnes, quo ritu cœna illis temporibus celebrata fuerit. Sunt enim quasi declaratio quadam & explicatio Liturgie illius. Ac primum patet, iniustè impieq; illos agere, qui in sumptione cœnæ Dominicæ discrimen inter Sacerdotes & laicos constituunt, & plebem altera specie Sacramenti temerario ausu spoliant. Secundo audimus, orationem populi Deo offerri, non ipsum filium Dei. Tertio, Cathecumenos aliosq; indignos à communionem Christi exclusos fuisse. Postremò, Missam illo seculo nihil aliud fuisse, quàm communionem corporis & sanguinis Christi. De priuata Missa & sacrificio Missatice ubiq; altissimum est silentium.

Idem in Epist. ad Ephesios, Homilia 3. cap. 1. de negligentia & tarditate populi in participanda communionem corporis & sanguinis Christi, grauitè conqueritur. Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio: frustra stamus ad altare. Nemo est qui simul participet. Ista non ideo dico, ut simpliciter quomodocumq; communicetis, sed ut dignos vos ipsos constituatis. Non es oblatione aut communicatione dignus? igitur neq; precatione.

Et mox: Obsecro, si quis ad conuiuium vocatus, & manus quidem lauerit, & accubuerit, paratusq; ac dispositus ad mensam fuerit, & tamen nihil ciborum gustauerit, non inferet contumeliam conuiuatori, à quo fuerat inuitatus? An non satius fuerit eum, qui talis est, prorsus non comparuisse? Ita tu quoq; aduenisti, hymnum cecinisti, cum omnibus reliquis, ex eorum te numero esse, qui digni sunt, hoc ipso confessus es, quòd non abscexisti. Quomodo cum manseris de cœna ista non participas? Indignus sum, inquis? Indignus es igitur & ea communionem, quæ in precibus est.

Eadem

Eadem scribit Tomo 5. Homilia 60. & 61. ad populum Antiochenum.

Cenam porrò omnibus communem, ac nemini priuatam & singularem esse debere, docet idem Chrysostomus in Homelia unica, cap. 11. prioris ad Corinthios: ubi sic scribit. Quid est Dominicam cenam manducare? Non est comedere herilem cenam. Illam autem cenam dicit, quam suprema nocte tradidit Christus, cum discipuli omnes essent cum eo. In illa enim cœna & Dominus & serui simul omnes sedebant. Vos autem cum sitis conserui, inter vos tamen dissidetis & diuidimini. Ob hoc dicit: Non est Dominicam cenam manducare: vocans Dominicam cenam, quæ omnibus simul conuocatis concorditer & communiter sumitur.

Huic Liturgie Basilij & Chrysostomi, quæ multis annis etiam post mortem illorum durauit, tota Ecclesia cum Sacerdotibus communicante, astipulantur complures alij Patres.

Cyprianus super oratione Dominica: Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum absenti, & non communicantes à cœlesti pane, prohibemur, à Christo corpore separemur.

Hieronymus ad Lucinium: De Sabbatho quod queris, utrum ieiunandum sit: & de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesiæ & Hispania obseruare perhibentur: ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas ( præsertim quæ fidei non officiant ) ita obseruandas, ut à maioribus tradita sunt: nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti.

Augustinus quoq; scribit, populum quotidie ad Eucharistiam accipiendam conuenisse. Verba recenset Gratianus, qui 700. annis post Augustinum vixit. In Decretis de Consecrat. Dist. 2. Can. Quotidie.

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIM O.

Quotidie. Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum horror: si tamen mens in affectu peccandi non sit: nam si adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari.

Ibidem. Si dixerit quispiam, non quotidie accipiendam Eucharistiã, alius affirmat quotidie: faciat vnusquisq; quod secundum fidem suam piè credit, &c.

Eodem in loco recitantur verba Canonis Apostolorum decimæ: Omnes fideles, qui conueniunt in sollemnibus sacris ad Ecclesiã, scripturas Apostolorum & Euangelium audiant. Qui autem non perseuerauerunt in oratione, vsq; dum Missa peragitur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ mouentes, conuenit communionem priuari.

Et Can. Peracta. Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Sim autem Faber & turba Pontificia hosce canones & sententias Patrum reijciant, adq; consuetum effugium friuolæ suæ glossæ confugientes dicant, esse paleam, id est, antiquam seu antiquatam, & Ecclesiam hoc nunc non tenere: vel ad communionem laicam (vt ipsi vocant) & usum vnus duntaxat speciei detorqueant: ad superiora eos remittimus, in quibus abundè satis ista explicuimus.

Cyrillus quare Cenam incruentum cultum nuncupet, supra dictum est: videlicet, quòd non conferat eam cum cruento sacrificio crucis, sed cum sacrificijs veteris Testamenti, præsertim Holocaustis, quæ omnia cum effusione sanguinis fiebant. Audiamus Cyrillum suorum verborum interpretem, in Euang. Iohannis lib. 5. cap. 17. Si non superest, inquit, hostia placationis pro peccatis, in quæ post agnitam veritatem collapsi sumus, non est penitentiæ

ia locus pro peccatis, quae placetur Deo. Effet enim illa penitenti-  
 tia, ut hostia propitiatoris, quam Paulus non reliquit: verum  
 Paulus imbi non peccatorum secundam aut tertiam remissionem  
 aufert (non enim ita est inimicus salutis nostrae) sed hostiam,  
 quae est Christus, iterum in cruce offerendam pro nobis negat:  
 semel enim oblatus est Christus, neq; amplius unquam offeren-  
 dus: quandoquidem resurgens ex mortuis iam non moritur, mors  
 illi ultra non dominabitur. Non enim dixit Paulus: Non est  
 ultra penitentia. Neq; dixit: non est ultra remissio: sed hostia,  
 inquit, ultra non est, id est, crux secunda ultra non est, hosti-  
 am quippe hanc vocat. Vna namq; hostia perfecit in perpetuum  
 eos qui sanctificantur.

Idem ad Reginas de recta Fide. Hae enim fecit, quando seip-  
 sum semel obrulit &c. Et mox: Lex enim constituit sacerdotes,  
 infirmitatem habentes. Verbum autem iuramenti, quod post le-  
 gem filium in aeternum perfectum, unica quidem oblatione, nem-  
 pe ea, qua per proprium corpus consummauit in aeternum eos, qui  
 sanctificantur, Dominus noster Iesus Christus.

Hic vero Tragicè vociferatur Faber: Neq; nos molimur, in-  
 quit, nec unquam conati sumus, crucis illud cruentum sacrificium  
 imitari, aut Deo Patri Christum cruentè & mortaliter offerre:  
 sed in cruento modo, ut Cyrillus ait, sub specie panis & vini of-  
 ferimus.

Germ fol. 47  
 Lat fol. 57

Respondeo. Neq; insinulamus vos, nec unquam insinulaui-  
 mus, quòd Christum cruentè & mortaliter in cruce offeratis. Hoc  
 enim, quantumuis conaremini, fieri non posset. Quemadmodum  
 Cyrillus ingenue fatetur, Christum non amplius in cruce pro nobis  
 offerri. Sicut enim semel tantum mortuus est, ita semel tantum  
 in cruce oblatus est. Nisi velitis dicere, Christum tunc de nouo  
 crucifigi, cum ludos Paschales agitis. Sed hoc est caput contro-  
 uersus:

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-  
uerſia: An reliquum ſit aliud quoddam ſacrificium, quo reconciliari cum Deo poſſimus, præter vnicum illud in cruce peractum? Hic nos cum Cyrillo ex Epiftola ad Hebræos certo ſtatuiſſimus, non eſſe aliam hoſtiam vllam pro peccatis, quàm crucis, qua Chriſtus in perpetuum perfecit eos, qui ſanctificantur.

Germ. fol. 100.  
Lat. fol. 168.

Quanquàm autem Faber eo in loco dicat, incruentum ſacrificium altaris eſſe commemorationem cruenti ſacrificij crucis, tamen alibi ex 1. Epiftola Alexandri gloriatur, eſſe etiam expiatorium ſacrificium. Ipſa veritas, inquit, nos inſtruit calicem & panem in ſacramento offerre. Crimina enim atq; peccata, oblatiſ his Domino ſacrificijs, delentur. Talibus hoſtijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.

An non hoc eſt Chriſtum de nouo crucifigere, licet incruentè & non mortaliter, ſi præter vnicam & æternam Chriſti ſatisfactionem ac expiationem in cruce peractam & promeritam, alia quædam expiandorum peccatorum rationes conſingantur?

Sic ergò neq; Cyrillus, neq; reliqui ſeptem huius ſæculi Patres, Fabio Sacramentum horribiliter prophananti ſuffragantur.

## Pontifices Romani

ſæculi quartæ.

**D**amasus 1. Pontifex 39. Anno Domini 368. mandauit, vt in principio celebrationis Miſſæ confeſſio & abſolutio diceretur. Vide Platina fol. 43.

Vt Pſalmi quoq; alternis vicibus in Eccleſia canerentur, in ſineq; eorum verba hæc ponerentur, Gloria Patri & filio, & ſpiritu ſancto, inſtituit. Platina ibidem.

Syricius 1.

Syricius 1. Pont. 40. Anno 386. instituit, vt quicumq; aut viduam aut secundam vxorem duxisset, à consecratione & ab officio Ecclesiastico pelleretur. Dis. 26. Can. Acutius.

Anastasius 1. Pont. 41. Anno. 405. constituit, ne sacerdotes & ceteri omnes, dum sancta Euangelia in Ecclesia leguntur, sedent: sed venerabiliter curui, & in conspectu Euangelij stantes, dominica verba attentè audiant, & fideliter adorent. De Consecr. Dis. 1. Can. Apostolica autoritate.

Constituit item, ne debiles & manci, neue aliquo membro carentes in numerum Clericorum reciperentur. Bergomas lib. 9. fol. 163.

Innocentius 1. Pont. 42. Anno 411. constituit, vt singulis solennibus festis in Ecclesijs ante sacramenti receptionem pax Chrifticis daretur. De Conse. Dis. 2. Can. Pacem igitur.

Sozimus. 1. Pont. 43. Anno 415. vetuit, ne omninò serui in Clerum reciperentur, quòd huiuscemodi viros liberos & integros esse oporteret. Platina in vita eius.

Constituit etiam, vt Diaconi, dum celebraretur, laeuas rectas haberent linostimis. Loco quo supra.

Banifacius 1. Pont. 44. Anno 420. constituit, ne aliquis sacerdos ante annos triginta ordinetur. Dis. 78. Can. Si quis triginta.

Idem vetuit, ne seruus, aut obnoxius, vel oberatus in Clerum reciperetur, Platina fol. 54.

Constitutiones Damasi, per se pie sunt & vriles, & tam abest vt primæ institutioni ac vsui cœnæ dominica aduersentur, vt vel principes eius partes sint. Quomodo enim Sacramentum corporis & sanguinis Christi dignè accipiet, qui de peccatis suis non pœnituerit, nec absolutionem audierit, nec gloriam Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto tribuerit?



## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Sic & Innocentij Constitutio de precatione pacis, eiusdemq. seculo, per se bona est. Vt enim Damafus fidem & gloriam Dei respexit, ita Innocentius fructus fidei, hoc est, pacem & charitatem mutuam, externo pacis signo inculcare conatur.

Anastasij prima sanctio, vt lectio Euangelij non à sedentibus, sed à stantibus & venerabundis audiatur, itidem minima mala est. Vult enim nos exuscitare ad alacritatem & diligentiam quandam, vt excusso omni veterno & torpore, Euangelion magna cura & attentione audiamus. Ac in vero & genuino intellectu, est substantialis pars Cœnæ dominicæ. Lectio enim Euangelij, est vera annunciatio & commemoratio mortis Domini.

Reliqui Canones Anastasij, Siricij, Sozimi & Bonifacij, de conditionibus personæ, ne Sacerdos sit seruus, ne obærat, ne mancus, ne bigamus: & vt Diaconus in celebrationem Missæ linostimis reclusus sit &c. adiaphoras res à Deo neq. præceptas neq. prohibitas constituunt, nec mutant substantiam cœnæ, siue illis vtâre, siue non vtâre.

Potuerunt ergo Pontifices Romani, quorum temporibus institutio cœnæ à Christo tradita nondum violata fuit, pro libertate Christiana, & salua conscientia, hæc adiaphoras ceremonias disponere & vsurpare. Nec tamen Faber priuatæ Missæ patrocini-um inde pariet.

## Concilia centu- riæ quartæ.

**Q**uarto post Christum natum seculo plura Concilia celebrata sunt, quàm inde ab Apostolorum temporibus, tam breui temporis curriculo, vnquam celebrata esse leguntur. Nam

Nam præter duo Concilia generalia, Constantinopolitanum, & Ephesinum, passim in Provincijs Asia, Africa, Europa, Italia, Germania, Gallie, Hispania, centum annorum spacio, vltra viginti Concilia habita fuisse, historijs proditum est.

Veruntamen ex tot Concilijs vnicum tantum Faber allegat, cuius prætextu sacrificium Missaticum, & vnam Sacramenti speciem palliare studet. Id Sardicense dicitur, quod Sardis Lydia à trecentis Episcopis frequentatum est, anno Domini 339. Concilium, inquit Faber, laicæ communionis meminit. Verba autem callidè dissimulat. Quæ cum centuria tertia discussa à nobis sint, cramben cum fastidio non ponemus. Sed aliorum Conciliorum Decretis nostram de cæna sententiam confirmabimus.

Concilium Ariminense, celebratum anno Domini 360. & Constantinopolitanum primum celebratum anno 380. Acta Concilij Niceni approbant & confirmant. Huius autem Concilij Canones (vt in tertia centuria diximus) restantur, nullum fuisse tunc priuata Missæ sacrificium, sed cænam fuisse solam communionem corporis & sanguinis Christi. Quod si aliter sensissent duo ista Concilia, dubium non est, quin hac de re ordinis & disciplina causa, certi aliquid, quemadmodum de alijs quàm plurimis rebus, constitissent.

Concilium Ephesinum, celebratum anno Domini 434. confitetur, eo tempore totam Ecclesiam de integro Sacramento sub vtraque specie communicasse. In cap. Religioso & Deo amabili Nestorio.

Annunciantes enim, inquit, secundum carnem, mortem vni-  
geniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem eius, & in caelos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem (λατρίαν) sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes effecti sancti corporis, & preciosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris.

## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Deinde fatetur Concilium eodem loco, gloriam & maiestatem officij Sacerdotalis Domini nostri Iesu Christi, nulli præterea hominum competere. contra sacrilegos istos mediatores, Missarios, qui per sacrificium Missæ Deum Patrem cum viuis & mortuis reconciliare præsumunt. Sic enim in eodem capite Concilij sequitur.

Vnus est Dominus Iesus Christus, vt scriptum est. Appellatum verò ab Apostolo Apostolum, & Pontificem Confessionis nostræ, tanquam sacrificantem Deo & Patri fidei nostræ Confessionem (quæ à nobis ipsis & per ipsum ipsi Deo Patri incessanter offertur) iterum eum dicimus, qui ex Deo secundum naturam filius vni-genitus est, nec homini præter eum alteri Sacerdotij nomen & officium deputamus. Factus est enim mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, semetipsum Deo & Patri pro nobis offerens in odorem suauitatis.

Quid tandem posset dici clarius contra mediatorum officium Missariorum, qui sacrificio Missæ, ex opere operato, Deum reconciliare cum viuis & mortuis, ambitiosa impietate conantur? Semper quidem Patres, Concilia, & Decreta crepant: sed nemo est omnium, qui petulantius auctoritatem eorum contemnat, vel contumeliosius violet, quàm illi ipsi iactatores. Quo scelere ita se iam pridem obstrinxerunt, vt luculentis nostrorum testimonijs conuicti, à suis ipsorum conscientijs quoque redargui sese non obscure sentiant. Sed cum in reprobam mentem traditi sint, nec fateri culpam, nec corrigere errorem volunt. Vnde fit, vt <sup>in totis</sup> peccent & pereant.

Quarto iam Fabrum propugnaculo, ex quartæ centuriæ testimonijs constructo exuimus, ac ceu de moenibus decurbatum in fugam coniecimus.

QVINTA

QVINTA CEN-  
turia.

**Q**uoniam verè Euangelica Missa, hoc est, cœna Domini-  
ca, quinto post natum Christum seculo, pura adhuc, quan-  
tum ad substantiam attinet, & primæ institutioni consen-  
tanea fuerit: & Pontificia Missa non minus quàm quadringentis  
antè annis ignota latuerit: Tamen in quarta centuria, aurea  
Ecclesie secula desierunt, succedentibus periculossimis tempori-  
bus, quibus cœna Dominica indies decrevit, ita vt tandem pro-  
pè tota euanuerit: crescente interim & augeſcente sacrificio Mis-  
satico, atq; in tam sublime fastigium ascendente, vt elatum sit su-  
pra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.

Cum enim Romanum Imperium satis longo tempore in Eccle-  
siam Christi crudelissimè seuiſſet, effusa vbiq; Christiani sangui-  
nis immensa copia, iustissimus tandem Dominus sanctorum suo-  
rum cruores vindice dextra vlturus, Gotthos, Vandalos, Hun-  
nos, Rugos, Saxones, Francos, Longobardos, Persas, aliasq;  
barbaras gentes excitauit: qua à temporibus Imperatorum  
Arcadij & Honorij, hoc est, ab anno Domini 412. vsq; ad  
tempora Iustiniani & Iustini, hoc est, ad annum Domini 560.  
circa centum & quinquaginta annorum spacio, totum Imperi-  
um Romanum peruagata, obuia queq; vastarunt, expugnatis va-  
lidissimis vrbibus, & excisis Regnis florentissimis. Ea tempeſtate  
Germania, Dania, Britannia, Gallia, Hispania, Africa, Syria,  
aliæq; provincie, excusso Romanorum iugo propria sibi re-  
rum gubernacula sumpserunt, ac distincta Regna constituerunt.  
Vrbs Roma ter occupata & direpta, quartò incensa miser-  
rimè conflagrauit. Inter has Imperiorum ruinas Christiani  
magnis

QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

magnis conflictabantur angustijs. Ethnici enim omnium calamitatum causam ipsi imputabant: quam calumniam hodieq̄ sacrosanctum nostrū Euangelion sustinet. Accedebat & hoc, quod Gothi & Vandali, qui magna ex parte Arrianorum furiores defendebant, Orthodoxos Christianos præ cæteris infestissimo odio & crudelissimis supplicijs persequebantur. Quid multis opus est? Tristissima erant tempora, & consentientibus omnium historicorum suffragijs, pessima.

Inter reliqua autem detrimenta, quæ ex cruentis illis bellis & imperiorum mutationibus redundarunt, non postremum est, quod indomita & esserata istæ gentes sedam barbariem in Imperium Romanum inuexerunt. Combustis enim vetustissimis bibliothecis, & dissipatis ac vastatis scholis, omnium bonarum artium & præcipuarum linguarum studia perierunt. Nam circa annum Domini 580. Romani unâ cum imperio maternam linguam, hoc est, Latinam amiserunt, ac deinceps Italicè locuti sunt. Quia infuse peregrinarum Gentium colonia, nec purè Latinam linguam addiscere, nec vernaculam suam linguam prorsus dediscere poterant.

Sic igitur ex duabus integris linguis, tertia corrupta emerfit, quæ Italice dicitur: teste Sabellico Enneade 8. lib. 5. Cum primis verò studium Theologiæ in contemptum abiit, ita ut ab eo tempore nullus eximie authoritatis Theologus extiterit, qui iuxta Pauli præceptum potens fuerit contradicentes convincere. Vbi autem stabula canibus destituta sunt, qui lupos arceant, affertur de ouibus. Ita cum nullus eruditus & fidelis Episcopus superesset, qui veterum Patrum exemplo hæreticis resisteret, omnes fenestræ, imò ostia omnia fanaticis spiritibus aperta erant, ad disseminandos quosvis errores in dogmatibus.

Quia enim studia linguarum, & bonarum artium, organa sunt atq̄ arma Spiritus sancti, quibus Ecclesiam contra hæreticos mun-

nit, &

nit & defendit: semper id molitur Sathan, ut bellis, tumultibus, alijsq; sexcentis modis, Ecclesiam praesidijs suis denudet atq; exarmeret, ne ulli concionatores remaneant, qui valeant resistere. Quemadmodum olim Philistini omnes fabros ferrarios Israelitis ademerant, ne arma fabricarentur, quibus terra Philistina oppugnaretur. 1. Sam. 13.

Itaq; post mortem Augustini, Chrysostomi, Cyrilli, ac similibus Doctorum, veteres & sepultae iam dudum haereses Ariano- rum, Manicheorum, Pelagianorum &c. repullularunt: ac praeter has nouae indies exortae sunt, donec monstrum illud Pontificiae Missae emerit: ut suo loco demonstrabimus.

Etsi autem Sathan ea tempestate Ecclesiam propemodum omnibus armis spoliauerat: tamen quemadmodum diuini numinis providentia, contra Philistinos, arma saltem Saulis & Davidis remanserant, quibus defendere Israelitas & deuincere hostes possent: ita in hac etiam quinta Centuria Dominus aliquos, quantumuis paucos reseruauit, qui legitimum & syncerum usum caenae contra horrendam prophanationem Missaticam fideliter propugnarunt.

Vnum quidem Faber allegat, Ioannem Damascenum. Sed cum non usquequaquam certum sit, quo tempore Theophylactus Episcopus Bulgariae, quem & Vulgarium vocant, vixerit, non absurdum videtur, si testimonium ipsius à Fabro citatum in hanc centuriam referam. Certum est, illum scripsisse post Chrysostomum, cuius quasi abbreviator quidam esse deprahenditur. At tamen Gregorio Magno vetustior esse videtur: Stylus enim propius ad Patres Gregorium antecedentes quam sequentes accedit. Quamuis aliqui asserant, illum sub Conrado Sueuo, hoc est, circa annum Domini 1024. vixisse. Sed utcumq; se ista habeant, non contentam: nihil enim auctoritati ipsius derogat.

Damascenus

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Germ. fol. 61.  
Lat. fol. 102.

Damascenus (inquit Faber) lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap. 14<sup>o</sup> scribit: Hæc est pura scilicet hostia & incruent a, quam ab ortu vsq; ad occasum ipsi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & sanguis Christi, in stabilimentum animæ nostræ & corporis.

Germ fol. 17-  
Latin. fol. 117-

Theophylactus in Matth. cap. 28. Manifestum est, quòd tunc imolauerit seipsum, ex quo tradidit discipulis corpus suum.

Idem in Lucam cap. 5. Dominus noster Iesus Christus in nouo Testamento sacrificandi ritum instituit, quando panem & vinum, quæ etiam Melchizedech in typo futuri sacerdotis obtulit, in corporis & sanguinis sui Sacramentum transformauit.

Ad quæ Faber rursus veterem suam cantilenam accinit: Missam esse sacrificium pro viuus & mortuis.

At verò, si verba Damasceni iuxta analogiam fidei, aliq; ipsius scripta, & iuxta *συγχρονον* seu contemporaneorum Patrum sententiam interpretemur, clarè elucescit, nihil ista ad Sacrificium Missæ, sed ad Cenam, qualis à Christo instituta, & Dei beneficio apud nos restaurata est, pertinere.

Primum enim hisce verbis ipsam Cænæ Dominicæ substantiam describit, affirmans esse corpus & sanguinem Christi. Porro se non de vna duntaxat, sed de vtraq; specie loqui, eodem capite perspicuè testatur. Non est figura, inquit, panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) Sed est ipsum corpus Domini Deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum (non figura corporis) sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis. Vnde colligimus, Cenam, Damasceni ætate sub vtraq; specie præberi accipi solitam fuisse.

Deinde usum Cænæ exponit, quòd hoc Sacramento totus homo tam interior quàm exterior, eum quo ad corpus tum quo ad animam, veluti certo & diuino signaculo, confirmetur obfignerurq; mortale

mortale suum corpus glorioso corpori Christi conforme futurum, animam verò remissionem peccatorum accipere. Hoc enim sibi volunt verba ista: Instabilimentum animæ nostræ & corporis.

Quod autem hoc Sacramentum puram & incruentam hostiam appellat, quæ ab ortu Solis vsq; ad occasum Domino offeratur, pro confesso accipimus, eo tamen sensu, quo suprâ prophetiam Malachie, & vocabulum sacrificij incruenti explicauimus.

Ex Theophylacto prolatum testimonium, noua responsione non indiget. Remitto enim lectorem ad ea, quæ suprâ de vocabulo Sacrificij, & de typo Melchisedechi dicta sunt. Neq; enim loquitur Theophylactus vel de sacrificio Missæ, vel de vna Sacramenti specie, sed de sacrificio crucis principaliter, deinde etiam de sacrificio commemoratio integræ actionis in cæna Dominica: Quod ex alijs eiusdem authoris manifestum sit testimonijs.

In Iohan. cap. 19. inquit: Quum accedis ad calicem communionis sanguinis Christi, ita affectus sis, quasi ex ipso latere bibas. Hec verba non possunt intelligi de Sacerdotibus, qui consecrant, & sacramentum suis ipsorum manibus tractant: sed de Laicis accedentibus. Cum ACCEDIS, inquit, ad communionem. Neq; ait: Sanguinis (hoc enim Faber ad spiritualem fruitionem detorquere posset) sed CALICIS, qui est communio sanguinis Christi. Ingenuè ergò fatetur, sua etate sanguinem Christi ex calice tibi solitum, ac proinde vtriusq; speciei vsum adstruit.

Idem in Epist. ad Hebræos cap. 9. seipsum interpretatur, de quali sacrificio in Matthæo & Luca scripserit, videlicet non priuatiæ Missæ, sed crucis: cum inquit: Sic & Christus semel oblatus est. A quo? Ipse à seipso (in cruce) & à nemine alio (quibus verbis repudiat oblationem Missæ) Etiam si enim Pontifex est, est tamen simul & incensum, & victima.



## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

Et Heb. 10. Estq̄ vnum sacrificium, non multa, quandoquidem semel oblatus est: & hîc plenum, & isthîc plenum & perfectum. Quemadmodum enim in multis locis oblatus Christus vnum corpus est, & non multa corpora, sic & vnum sacrificium.

Plura ex Patribus quintæ centuriæ Faber proferre non potest. Nubes testium deficere incipit, qua nostram sententiam obriui opprimi posse vana persuasionem gloriabatur.

## Pontifices Roma- ni, quintæ centuriæ.

**C**elestinus 1. Pont. 45. anno Domini 428. instituit, vt Psalmi Davidis ante sacrificium antiphonatum ab omnibus canerentur, quod antè fieri non consueuerat. Perlecta enim Epistola & Euangelio, finis sacrificio imponebatur. Vnde & ex hoc instituto excerpti sunt Introitus & Gradualia, atq; Offertoria ante sacrificium. Bergom. lib. 9. fol. 166.

Idem constituit, vt Diacono suggestum conscendente, Psalmus à populo cantaretur, qui Graduale dicitur. Platina in vita Celestini.

Leo 1. Pont. 47. anno Domini 442. sanxit, vt hæc verba, sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam, &: Hanc igitur oblationem, vsq; Diesq; nostros in tua pace disponas, &c. intra actionem mysterij dicerentur. Polydorus de inuentoribus rerum lib. 5. cap. 11.

Hilarius 1. Pont. 48. anno 460. lege cauit, ne Sacerdos vxorem ducat, nisi virginem. Gratianus Dist. 34. Can. Curandum ergo.

Felix 3. Pont. 50. anno 520. instituit, vt à solis Episcopis dedicarentur templa, essetq; dies ille festus, anniuersarius. Polydorus de inuent. lib. 6. cap. 8.

Gelasius 2. Pont. 51. anno 490. censuit, vt clericorum ordinationes quater in anno de cetero fierent, & die Sabbathi tantum, cum antea semel duntaxat in Nouembri fieri consueuissent. Dist. 75. Can. Ordinationes.

Idem in Missa ordinauit Collectas, Secretas, Complendas, & Gradualia. Innocentius 3. de Sacra. altaris Myst. lib. 2. cap. 26.

Quid verò omnes illæ Constitutiones Missam Papipticam attinent? Neq; enim Cælestinus talem cantum Psalmorum instituit, in quo vnicus versus ex toto aliquo Psalmo à Sacerdote mustitur, vel à choro ignota lingua decantetur atq; repetatur, ad significanda Patriarcharum & Prophetarum flagrantissima desideria, quibus aduentum Messie, futuri seruatoris, medullitus suspirabant, sicut Faber comminiscitur. Sed cum ab Imperatore Theodosio 2. conuocatum esset Concilium Ephesinum, contra heresim Nestorij, adfuit & Cælestinus, non tanquam Præses, sed, vt à Cyrillo Alexandrino in epistola ad Nestorium vocatur, Coepiscopus & Consacerdos, pari potestate cum cæteris Episcopis numero ducentis. Ibi tum inter reliqua coràm vidit & audiuit, à Græcis in celebratione cænae Dominicæ integros Psalmos concini: quem morem eum approbasset, vt par erat, domum reuersus, in Romana Ecclesia eundem instituit.

Psalmos autem in Græca Ecclesia nõ mutilatos fuisse, vt in Missa Papiptica fieri solet, sed integros decantatos, testatur Chrysoft. triginta duntaxat annis Cælestino prior, in Matthæum, Homilia vndecima: sicut in sexta centuria sub Gregorio Magno audiemus. Porrò quis nescit, Psalmos non solum decus & ornamentum, sed & præcipu à partem esse actionis cænae Dominicæ? Sunt enim aut gratiarum actio, aut precario, aut viticinium de Christo, aut do-

Germ fol. 108.

Lat. fol. 185.

QUINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

doctrina, aut exhortatio, aut consolatio: quas ob res cœna instituta est. Itaq; Psalmi à Cœlestino instituti, nihil commune habent cum truncato & lacero Introitu & Graduali Missæ, sed spectant ad nostram cœnam, in qua hodie, Deo sit gratia, populus nostrarum Ecclesiarum magna religione suauissimos hymnos concinit.

Iam & Leonis primi Canonem de sancto sacrificio, immaculata hostia & oblatione &c. non de Papistica Missa, sed de tota actione cœnæ, totius ecclesiæ communi, intelligendum esse, euidenter ipse semet demonstrat in sermone quadragesimali 4. qui incipit: Prædicaturus vobis &c. vbi sic de Manicheis loquitur.

Cumq; ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant Manichei interesse mysterijs, ita Sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutius lateant, ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem verò redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, vt huiusmodi homines vobis & his manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prodiiti à Sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur. Quoniam beatus Paulus ecclesiam Dei prudenter præmonuit, dicens: Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Hæc ille.

Germ. fol. 81.

Lat. fol. 137.

Fateatur alibi Faber ipse, quod certum haberi nequeat, quo tempore generalis vsus vniuersæ speciei receptus sit. Sed ne erret, Romanum Pontificem Leonem audiat, apertè docentem, vnde vsus speciei vniuersæ primò descenderit.

Principiò, originem vniuersæ speciei ad Manichæos refert, qui inter cæteras monstruosas, quas tuebantur, opiniones, à vino etiam abstinere, sicut Mahometistæ hodie faciunt: & tamen verum Christi-

Christianismum simulant, cum alijs conueniebant ad conciones, preces, & Sacramenta: utq̄ tutius laterent, quemadmodum Iudæ scelus reliquos latebat Apostolos, accedentes in turba ad corpus Christi, idq̄ impio ore accipientes, calicem vasfrè & subdolè declinabant, eò quod creaturam vini abominarentur.

Secundò, docent verba Leonis, vsum vnus speciei suo seculo, ut & prioribus & posterioribus seculis, ignotum fuisse: monet enim hos ex noua ista & insolita temeritate tanquàm hereticos notandos, & spirituali gladio ecclesiæ, hoc est, excommunicatione feriendos, & quasi à corpore Christi abscissos, ex ecclesiâ & societate Sanctorum eijciendos esse.

Tertiò, Declinationem calicis Leo vocat sacrilegium, hoc est, Diuini ordinis violationem, qua tum dicta tum facta Domini furto & depraedatione abripiantur. Quod facinus, omnium furum & prædonum audaciam ac temeritatem superat.

Quarto, Conqueritur cum Paulo, dogma de vna specie, puræ doctrine Apostolorum aduersari, magnasq̄ dissensiones & offensa in ecclesiâ parere.

Postremò, testatur, Sacramentum sub vtraq̄ specie non solis Sacerdotibus, sed & laicis in Romana Ecclesiâ exhibitum fuisse. Loquitur enim de ijs, qui occultè subrepebant cæteris integrum Sacramentum accipientibus: non de ijs, qui Missas celebrarunt. Neq̄ enim Manichæis licuit, in ecclesiâ Romana consecrare & celebrare.

Quid putas, obsecro, Leonem dicturum esse, si ex mortuis reuiscens, videret Sacrificulos verba ipsius, (sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam) ad vnâ speciem Missatici sacrificij detorquere? Equidem non dissimaturum hanc iniuriam credo, sed in hæc prorupturum verba. O vos perditissimos  
nebulones,

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

nebulones, & hæreticos impiissimos. Siccine vos sub mei nominis  
 prætectu diuinas leges conuellere, laicos sanguine redemptionis  
 iua spoliare? Dissensiones & offendicula in Ecclesia serere? Cum  
 id non à Christo didiceritis, neq; ab Apostolis, neq; à Patribus,  
 neq; à catholica Ecclesia, neq; à me demq; cuius auctoritatem im-  
 pudentissimè obtenditis. Hausistis, hausistis inquam, ex Mani-  
 chæorum improbiſſimorum hominum fecibus: qui attendunt Spi-  
 ritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem  
 falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prebi-  
 bentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibus, &  
 vini præsertim potu: quod vinum Deus creauit ad sumentium  
 cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem  
 &c. Male valeatis portentosi hæretici, execrabiles estis vos & do-  
 ctрина vestra, de vna specie & sacrificio Missæ. Hæc Leo, si in vi-  
 uis esset, ore rugiret. Nunc idem scriptis rugit, rugietq; usq; ad  
 finem mundi.

Pontificis Hilarij Constitutio de bigamia, etsi satis supersti-  
 tiosa est, non tamen omninò interdicit Sacerdotibus matrimonium,  
 sed concedit, Episcopum & Diaconum vnius vxoris, modo vir-  
 ginis, maritum esse. qua Constitutione publicam honestatem in Ec-  
 clesia tueri voluit Hilarius. Adhæc, nihil mutat hæc Constitucio  
 de substantia cænæ dominicæ, sed institutionem Christi inuiole-  
 tam relinquit.

Idem iudicandum est de Constitutione Pontificis Felicis, de  
 dedicatione Ecclesiarum & anniuersario eius festo. Hæc magis  
 Iudaica est quàm Christiana. Etenim Christus Cenam suam non  
 in dedicato templo, non in consecrato altari celebravit, sed in domo  
 ciuis Ierosolymitani, in communi cænaculo, in communi mensa,  
 in qua aliàs quoq; cibus & potus capi solebat. Neq; sacerdot ali ha-  
 bitu ornatus fuit, sed vulgaribus & quotidianis indutus vesti-  
 bus. Sustulit enim & abrogauit Leviticum sacerdotium, nec aliud  
 quoddam

quoddam externum Sacerdotium instituere voluit. quare de re Apostolus ad Hebræos copiosè disseruit.

Veruntamen, cum usus cœnæ Dominicæ, maximè quoad substantiam, temporibus Fœlicis purus adhuc & syncerus fuerit, ac discrimina locorum per se adiaphora sint & libera, licuit ipsi, pro libertate Christiana, ordinis, & decoris gratia, certos & peculiare res locos celebrationi cœnæ Dominicæ destinare. Quemadmodum & apud nos, cœna Dominica non in foro, non in Cauponis, non in tabernis, alijsue prophanis locis, sed in publico quodam, & in hunc usum extructo ac destinato loco celebrari solet. Itaq; ex consecratis templis & altaribus non rectè colligitur, Missam esse sacrificium pro viuis & mortuis.

Taceo, quòd Constitutiones de consecrandis templis & altaribus valdè sunt incertæ. Polydorus enim de inuentoribus rerum lib. 6. cap. 8. Fœlici tertio tribuit, qui vixit anno Domini 520. Gratianus autem adscribit Fœlici eius nominis primo, qui vixit anno Domini 270. hoc est, ducentis annis & amplius, ante hunc Fœlicem tertium. Videtur autem verior esse Polydori sententia, qui Fœlicem tertium harum Constitutionum authorem facit. Nam tribus primis post Christum natum seculis, hoc est, trecentis annis ante Constantinum Magnum, Christiani rara habuerunt templa dedicata. Sed ut maior esset ac religiosior apud posteros harum Constitutionum autoritas, Pontificiorum annalium Scriptores, Fœlici primo, tanquam antiquiori, tribuerunt.

Porrò Gelasij secundi Constitutiones duplices sunt. Aliæ enim personas & tempus designant, qui & quando consecrandi sint Sacerdotes: aliæ partes quasdam ad formam Missæ pertinentes describunt: videlicet Collectas, Secretas, Complendas, & Gradualia. Consecratio autem Sacerdotum illis temporibus non consistebat in Charactere indelebili, inunctione olei, rasura, tonsura, & po-  
i        restat

QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO-

testate offerendi pro viuis & mortuis : quas laruas nugas Pa-  
 patus hodie suspicit : sed erat publica & solennis declaratio , que  
 nam personæ per impositionem manuum ad ministerium Ecclesie  
 segregata & electe essent. Pro quibus Ecclesia preces concipiebat  
 fundebatq; ad Dominum, vt ministris suis spiritum sanctum lar-  
 giri dignaretur, cuius assistente gratia Verbum fideliter doceri, &  
 ab auditoribus vera fide recipi posset. Qui mos hodieq; in nostris  
 Ecclesijs piè obseruatur. Vt autem maiori deuotione illa perage-  
 rentur, Gelasius pro libertate Christiana quatuor peculiare dies  
 ex toto anno selectos huic negotio assignauit. Vnde tamen nequa-  
 quam Missæ sacrificium adstruitur.

Posteriores Constitutiones Gelasij de Collectis, Secretis, Com-  
 plendis &c. per se vriles & salutare sunt. Sunt enim aut precati-  
 ones, aut gratiarum actiones : ac certissimum testimonium perhibent,  
 Missam ijs temporibus nondum fuisse priuatam vnus sacrifi-  
 culari actionem, sed publicum cultum toti Ecclesie communem.  
 Id quod liquido apparet, ipsam literam veterum Collectarum &  
 Complendarum inspicientibus,

Suffragatur nobis alius quispiam expressus eiusdem Gelasij  
 Canon. Comperimus, inquit, quòd quidam sumpta tantummodo  
 corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant : qui  
 procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi)  
 aut integra sacramenta percipiant : aut ab integris arceantur :  
 quia diuisio vnus eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non po-  
 test peruenire. Hæc Gelasius. & repetuntur de Conse. Diss. 2.  
 Can. Comperimus.

Germ fol-80.

Lat fol-134-

Hic Faber excipit, hunc Canonem solos Consecrantes spectare,  
 non laicos. Nimirum, inquit, Consecrans debet, dum Missæ facit  
 sacrificium, vtraq; semper specie frui, quò Christi mandato sacri-  
 fiat (en Fabro vel inuito veritatis confessio excidit) Neq; tamen  
 cuilibet

cuiuslibet è vulgo vtramq; speciem necessariò porrigi oportet. Audis acumen Fabrice. Sed cum ipsa verba Canonis, cum omnes circumstantiæ hanc glossam respuunt, & euincunt, non de Sacerdotibus consecrantibus, sed de laicis ad communionem accedentibus intelligendum esse. Si enim Sacerdotes consecrantes vnam duntaxat sumpserunt speciem, dicas quæso, vbi calicem reliquerint? Certè effudisse illos calicem verisimile non est.

Verum in alijs quoq; partibus Missa Pontificia Constitutionibus Gelasij aduersatur. Siquidem Gelasius constituit, vt sacrificia à populo ad Missam allata, in quatuor partes distribuerentur: quarum prima cederet Episcopo, altera clero, tertia pauperibus, quarta ædificijs templorum impenderetur. Vide Polydorum lib. 5. cap. 10. De quibus infra in secunda huius libri parte plura dicentur.

## Concilia Centu- riæ quintæ.

**P**Ræter vniuersale Concilium Chalcedonense, quindecim particulares Synodos in diuersis locis Asiæ, Africa & Europe, hoc quinto sæculo celebratas fuisse constat. Sed solum Agathense Concilium, de laica communionem Faber allegat: quod anno Domini 475. celebratum est. Respondimus autem supra in centuria tertia, vbi Eusebij testimonium de laica communionem discussimus. Nunc igitur ad reliqua eius centuriæ Conclia progrediemur.



## QVINTÆ CLASSIS, DE TESTIMO.

Concilium Chalcedonense, vniuersale quartum, celebratum est anno domini 450. à quo tria priora, Concilia vniuersalia, Nicaenum, Constantinopolitanum, & Ephesinum, approbata & confirmata sunt.

Concilium Constantinopolitanum tertium, celebratum anno domini 545. approbavit prædicta quatuor Concilia vniuersalia. Vide Platinam in Vigilio.

Cum verò sacramentum cœnæ Dominica sub prioribus Concilijs non fuerit sacrificium Missaricum, sed communicatio corporis & sanguinis Christi, & gratiarum actio totius ecclesiæ, (quod in quatuor primis Centurijs demonstratum est) sequitur, idem de cœna sensisse Concilia quinta Centuriæ. Alioquin priorum Conciliorum Decretis nunquàm subscripsissent.

Concilium Braccarense tertium, celebratum, anno Domini 582. non longè ante Gregorij Magni tempora, Decretum Iulij eius nominis primi Pontificis, de non tradenda intincta Eucharistia, repetit & confirmat, hisce verbis: Illud verò quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populus, nec hoc prolatum testimonium ex Euangelio recipit, ubi Apostolis corpus suum & sanguinem commendauit: seorsim enim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem alijs Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantùm discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non que sacramenti huius institutionem monstraret. Nam quod de expresso botro, id est, de vuarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum. &c.

Vides, quātumuis eo tempore aliqui ab institutione Christi deflectere incæperint, & Manichæo errore infecti, à potu calicis abhorruerint, tamen Patres acriter restitisse, & nouationem istam de intincto pane, aut expresso botro seuerè prohibuisse, tanquàm primæ institutioni contrariam. Nam disertè fatentur, corpus Christi

Christi seorsim in pane manducari, & sanguinem eius seorsim ex calice bibi.

Cumq; hoc Concilium vltimum quinta Centurie fuerit, vix decem annis ante Gregorium Magnum Pontificem celebratum, apparet, sexcentis post Christum annis, nullum sacrificium Missaticum, nullumq; vnus speciei vsu extitisse.

Sed age, producamus in medium mundani, sed tamen Christiani Magistratus testimonium, quo certiores reddamur, Cœnam Dominicam vltra quingentos annos post Christi ad cœlos ascensionem, non fuisse sacrificium Missaticum, sed gratiarũ actionem, & communicationem totius Ecclesie de corpore & sanguine Christi.

Laudatissimus Imperator Iustinianus, Romanas Cæsareas Leges per Iurisconsultos eruditione & prudentia prastantissimos congeri, & in vnum corpus redigi curauit. Is in Nouellis Constitutionibus. Tit. De Ecclesiasticis diuersis Capitulis, 123. Constit. Authentica, ita statuit.

Ahæc iubemus, vt omnes Episcopi pariter & Presbyteri, non tacito modo, sed clara voce, quæ à fidei populo exaudiatur, sacram oblationem & preces in sancto Baptismate adhibitas celebrent, quò maiore exinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi effertur. Ita enim D. Apostolus docet, dicens in prima ad Corinthios Epistola: Enimvero si solummodo benedicas Spiritu, quomodo is, qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo ipsum Amen, quandoquidem quid dicas, non videt? Tu quidem pulchrè gratias agis, alter autem non edificatur. Et rursus in Epistola ad Romanos sic inquit: Corde quidem creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem.

His igitur de causis conuenit, vt inter ceteras preces, & ea, quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis Episcopis & Presbyteris Domino nostro Iesu Christo, Deo nostro, cum

QVINTÆ CLASSIS, CENT. V.

Patre & Spiritu sancto proferantur. Scituris religiosissimis Sacerdotibus, quòd si quid horum neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi de his rationem reddent, neq; nos hæc cognoscentes conquiescemus, relinquemusq; inultra. Hæc ille.

Quæso, num hæc in priuata Missa obseruantur? Nihil certè minus. Iactant quidem Papiæ Patres, Concilia, Decreta, vetustas Consuetudines. Sed nemo est omnium, qui cunctas tam Diuinas quàm humanas Leges audacius transgrediatur, & impudentius contemnat, quàm illi ipsi sanctissimi, si Dijs placet, Legum & antiquitatis cultores.

Sic igitur locupletissimis testimonijs Patrum, Pontificum, Conciliorum, & Imperatorum deniq; confirmauimus, quòd quantumuis mysterium iniquitatis, hoc est, abominandum idolum Missæ Pontificiæ, hæc quinta centuria paulatim sese exeruerit, Dominus tamen subindè heroicis aliquot Doctores excitauerit, q; sacris literis instructi, syncerum vsum cænæ Dominicæ in ipsa quoq; Romana ecclesia, contra omnes prophanationes, vsq; ad annum Domini sexcentessimum strenuè defenderint. Nisi ergò Faber alios testes, præter Patres, Pontifices & Concilia quintæ centuriæ habeat, quibus Missam suam priuatam fulciat, iam iam tota corruet.


Finis primi Tomi.

TOMVS PO-  
STERIOR

Historia Helvetica de  
Mila, auctore D.  
Valentio

Yarnick

1714



2.

TOMVS PO.  
STERIOR.

Integræ Historiæ de  
Missa, authore D.  
Valentino  
Vannio.

T V B I N G Æ . 1 5 6 3 .

TOMVS PO.  
STERIOR.

Magis Historiae de  
Milla, auctore D.  
Valentino  
Vanno.

THE BIRKENHEAD

CENTVRIA  
SEXTA.



*N* priori huius voluminis Tomo, amice Lector, egimus potissimum de verè Evangelica Missa, hoc est, de sacratissima cœna Domini nostri Iesu Christi, quam Euangelistæ & Apostoli à Domino ipso acceptam nobis tradiderunt, quam & vetusti illi Doctores Ecclesiæ, quos Patres vocamus, sexcentos circiter annos post Christi ad cœlos ascensionem, in sancta Catholica Ecclesiâ constanter retinuerunt.

Est enim aliquoties abominandos Missæ Papiſticæ errores pro re nata perstringere me oportuit: hunc tamen scopum propositum habui, ut ex sacris Literis, historijs Ecclesiasticis, Concilijs, Patribus & Doctoribus Ecclesiæ, in claram lucem educerem Syncerum & verè Evangelicum usum cœnæ Dominicæ: & quot seculis ille inuiolatus permanserit, demonstrarem. Itaq; prior Tomus iure inscribi poterit: De Missa Evangelica.

Sed iam ab hac sexta Centuria alterum Tomum exordimur, De Missa Papiſtica. Nam etiamsi quædam in sequentibus centurijs de Evangelica Missa occurrerent, ad hunc tamen finem potissimum respicimus & collimamus, ut horrendam prophanationem cœnæ Dominicæ ob oculos ponamus, ostensis inijs, progressionibus, incrementis, propagationibus Missæ Papiſticæ: quando, quomodo, & à quibus, singula inuenta, consarcinata, aucta & amplificata fuerint.



## QVINTÆ CLASSIS, DE CANONE

*Ex hac autem centuria Faber vnum saltem testem adducit, Gregorium primum, Papam: qui Magni cognomen sortitus est, eò quòd nec ante nec post ipsum vllus Pontificum plura de Missarico Sacrificio constituerit. Hunc ergò Faber vt minimum quindacies allegat, ad euincendum suum illud figmentum, quòd Missa sit sacrificium pro viuuis & mortuis.*

*Quia verò Canon, qui & secreta Missa dicitur, fons est atq; caput omnium ferè abominationum Missæ, placuit illum sub ingressu Missæ Pontificiæ, de verbo ad verbum describere, vt pius lector videat, me nihil ex meo ingenio confictum, sed omnia ipsius Missariorum verbis expressa recitare. Vt enim verba primæ institutionis ab Euangelistis descripta, sunt fundamentum puræ & Euangelicæ Missæ: ita verba Canonis sunt fundamentum Missæ Papiæ, in quo tota ista structura idolatrica exædificata est.*

# Canon Missæ.

**T**E igitur clementissime Pater, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus & petimus: vti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus, pro ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum, vnâ cum famulo tuo, Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus Orthodoxis, atq; Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum, famularumq; tuarum N. & N. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrifi-

sacrificium laudis, pro se suisq̄ omnibus pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibiq̄ reddunt vota sua, æterno Deo, viuo & vero.

Communicantes & memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper virginis Mariæ, genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorum ac martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andrea, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomei, Matthæi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysoconi, Iohannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quorū meritū, precibusq̄ concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per eundem Christum Dominum nostrū, Amen.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familie tuæ quæsumus, Domine, vt placatus accipias, diesq̄ nostros in tua pace disponas, atq̄ ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq̄ facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat, dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi.

Qui pridie quàm pateretur, accepit panē in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum, ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum.

Simili modo, postquàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur

QVINTÆ CLASSIS, DE CANONE

nem peccatorū. Hæc quotie scūq̄ feceritis, in mei memoriã faciatis.  
 Unde & memores Domine nos serui tui, sed et plebs tua sancta  
 eiusdem Christi filij tui, Domini Dei nostri tam beatæ passionis, nec  
 non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensio-  
 nis offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiis  
 puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum  
 vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris & accep-  
 ta habere: sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti  
 Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahamæ, & quod tibi ob-  
 tulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum, sacrificium,  
 immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per  
 manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuū, in cōspectu Divi-  
 næ Maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione, sa-  
 cro sanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni be-  
 nedictione cœlesti & gratia repleamur. Per eundem Christum Do-  
 minum nostrum. Amen.

Memento etiam Domine famulorum famularumq̄ tuarum  
 N. & N. qui nos præcesserunt, cum signo fidei, & dormiunt in som-  
 no pacis. Ipsi, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus lo-  
 cum refrigerij, lucis & pacis, vt indulgeas, deprecamur, per eun-  
 dem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoq̄, peccatoribus famulis tuis, de multitudine misere-  
 rationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem do-  
 nare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Io-  
 hanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Mar-  
 cellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete,  
 Cæcilia, Anastasia, & omnibus sanctis tuis, intra quorum nos con-  
 sortium, non estimator meriti, sed veniæ, quasumus, largitor ad-  
 mitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria.

Per omnia secula seculorum, Amen.

Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & Divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo. Amen.

Libera nos que sumus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris. Et intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis, Petro & Paulo, atq; Andrea, cum omnibus Sanctis: da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordie tuæ adiuti, et à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbacione securi. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Hæc sacrosancta cõmixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat nobis sumentibus salus mentis & corporis, & ad vitam æternam capessendam preparatio salutaris.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesie tue. Eamq; secundam voluntatem tuam pacificare & coadunare

QVINTÆ CLASSIS, DE CANONE

coadunare digneris. Qui viuis & regnas cum patre in vnitae  
spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Habete vinculum pacis, & charitatis, vt apti sitis sacrosanctis  
mysterijs Christi.

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui ex voluntate patris co-  
operante spiritu sancto per mortem tuam mundum viuificasti, Li-  
bera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum, ab om-  
nibus iniquitatibus meis, & vniuersis malis. Et fac me tuis sem-  
per obedire mandatis: & à te nunquam separari permittas. Qui  
cum eodem Deo Patre in vnitae eiusdem spiritus sancti viuis &  
regnas Deus, Per omnia secula seculorum, Amen.

Perceptio corporis tui Domine Iesu Christe, quod indignus su-  
mere propono, non mihi proueniat in iudicium & condemnatio-  
nem: sed pro tua pietate profit mihi ad tutamentum mentis &  
corporis, & ad medelam percipiendam. Qui viuis & regnas Deus,  
Per omnia secula seculorum. Amen.

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tan-  
tùm dic verbum, & sanabitur anima mea.

Panem caelestem accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Corpus Domini nostri Iesu Christi, custodiat animam meam in  
vitam eternam. Amen.

Quid tribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Lau-  
dans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Sanguis Domini nostri Iesu Christi, custodiat animam meam  
in vitam eternam. Amen.

Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & sanguis, quem potavi, ad-  
haereat visceribus meis: & presta: vt in me non remaneat scele-  
rum macula, quem sancta & pura refecerunt sacramenta.

Quod

Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Amen.

Placeat tibi sancta Trinitas hoc obsequium seruitutis meæ: & presta, vt sacrificium, quod oculis tuæ maiestatis ego indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Explicit Canon Missæ.

Non institui autem confutationem omnium inutilium & absurdorum verborum Canonis (hoc enim peculiarem quandam librum requireret) sed suscepi tantum refutandos præcipuos & insignes errores, qui primùm Canone isto per Gregorium Magnum confirmati, deinde per successores illius indies cumulati, atq; turmatim in Ecclesiam inuecti sunt.

# Errores Canonis

maximè insignes.

1. Quòd fingunt Sacramentum corporis & sanguinis Christi in Missa, esse nouum sacrificium propitiatorium pro peccatis.
2. Quòd Missarius id sacrificium solus & priuatim edit atq; bibit, reliquis ociosè spectantibus.
3. Quòd Sacerdos præsumit, per hoc sacrificium & priuatam suam sumptionem, omnia merita Christi, ex opere operato, alijs, absq; ipsorum sumptione, applicare & impertiri.

Bb

Quòd

## QVINTÆ CLASSIS, DE CANONE

4. Quòd Laicis vna species (neq; tamen in omnibus secretis Missis) præbetur, sacramentum videlicet corporis: Calix autem sacrilegè præripitur,
5. Quòd soli consecrati & cælibes sacerdotes panem & vinum, in Missa, & nusquàm alibi, consecrare, inq; corpus & sanguinem Christi transsubstantiare putantur, à quibus & panis includitur, circumgestatur, adoratur &c. contra legitimum usum Sacramenti.
6. Quòd docent, inuocandos esse Sanctos, quorum intercessionè & meritis, ad gratiam Dei & vitam æternam peruenire queamus.
7. Quòd post hanc vitam intermedius quidam locus & status sit, inter electos & condemnatos, videlicet Purgatorium, in quo defuncti peccata sua aut subsequenter bonis operibus viuentium, exequijs præsertim, redimant: aut suis ipsorum diuturnis supplicijs, & grauissimis Purgatorij cruciatibus expient, pro ipsè satisfaciant.
8. Quòd Canon peregrina & ignota Ecclesie lingua, tanquàm submisso & arcano murmure recitatur, vt à circumstantibus neq; exaudiri neq; intelligi possit.
9. Quòd Missarij corpus & sanguinem Christi, cum omnibus meritis & bonis spiritualibus, precio vendunt, nefarium Iudei flagitium imitantes.

Sed antequàm singulos errores refellam, præstat originem & auctoritatem Canonis exponere.

Germ. fol. 9. 83.  
Lat fol. 16. 140.

Faber quidem aliquoties in libro suo gloriatur, ipsos Apostolos Missam celebrasse, quam inde ab illorum temporibus Ecclesia in toto mundo concorditer vsq; ad nostrum seculum celebrauerit. Verùm restantur tam veteres quàm recentiores aliqui scriptores, Canonem, qui Caput Missæ est, & sine quo Missam celebrari posse negant, non ab vno aliquo auctore, nec eodem tempore compositum,

ficum, sed à pluribus consarcinatum, & quingentis demum annis post Apostolorum tempora, perfectum & absolutum esse.

Innocentius Papa eius nominis tertius, qui peculiarem librum de Missa conscripsit, De Sacra. alt. Myst. lib. 3. cap. 10. inquit: Gelasius quinquagesimus primus à Petro, qui post Syluestrum 160. annis vixit, creditur Canonem principaliter ordinasse. Sed ut dicit Gregorius in Registro, quidam, nomine Scholasticus, composuit precem illam, quæ super Eucharistiam secretò dicitur &c. Enfatetur Innocentius, Canonem non ab Apostolis originem suam trahere: sed relinquit in medio, utrum à Gelasio, an verò à Scholastico sit composuit.

Hanc autem secretam preceationem Scholastici, esse ipsum Canonem, testatur Gregorius ipse in Registro parte 8. Epistola 7. Orationem, inquit, Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconueniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam orationem, quam redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus.

Innocentio & Gregorio adispulantur non veteres tantum expositores Canonis, ut Albertus Magnus, Guilhelmus Durandi, sed & recentiores, ut Gabriel Biel, & Iodocus Clichtoueus, eximius Doctor Parisiensis.

Clichtoueus in Anciluthero sic ait: Traditur quidem Gelasius, huius nominis primus summus Pontifex, ipsum Canonem præsertim ordinasse atq; coadunasse ad quotidianum Missæ usum. Leo verò primus adiecisse ad eum qui prius erat in usu, hanc deprecatoriam particulam: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cuncta familiae tuæ quæsumus Domine ut placatus accipias.



## QVINTÆ CLASSIS, DE ERRORE

Gregorius autem primus adiunxiffe tres illas continē subsequen-  
tes petitiones, vtpote: Diesq̄ nostros in pace tua disponas, atq̄ ab  
aeterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas nos  
grege numerari. Leo itidem primus illi sententiā: Et quod tibi  
obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, superaddidisse legi-  
tur hæc sacra verba: Sanctū sacrificium, immaculatā hostiam. Et  
alii summi Pontifices diuerso tempore alias sacri Canonis particu-  
las adiecisse prius compactis traduntur, instituisseq̄ ceremonias in  
ipso Missæ Canone à Sacerdote, sacra faciente, obseruandas. &c.

Hic recenset Clichtoueus tres Pontifices, centum & quingua-  
ginta annis à se inuicem distantes, qui in sacriendo Canone suas  
operas locarint: & addit, alios quoq̄ Pontifices diuerso tempore  
alias particulas adiecisse. Tanta molis erat, Romanam condere  
Missam.

Nauclerus Generatione 13. fol. 53. scribit, Syricium huius no-  
minis primum, Papam quadragesimum, in Canone adiecisse hæc  
verba: Communicantes & memoriam venerantes.

Idem Gene. 20. fol. 90. Gregorius eius nominis tertius, in  
Canone adiecit: Quorum solennitas hodie. Annis plus minus 130.  
post Gregorium Magnum.

Bergomates lib. 8. fol. 136. Alexander eius nominis primus,  
ob memoriam passionis Christi in Sacrificio hoc addidit: Qui pri-  
die, priusquàm pateretur, &c.

Platina in vita Sergij, fol. 91. scribit de Sergio, qui centum  
annis Gregorium secutus est: Constituit, vt in fractione Domini-  
ci corporis caneretur. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, mi-  
serere nobis.

Et Faber ipse Ambrosio tribuit, hæc verba Canonis: Vnde &  
memores Domine nos tui Serui, sed & plebs tua sancta, &c. vsq̄  
Calicem salutis perpetua. Ex lib. 4. de Sacramentis cap. 6.

Sed ne adhuc quidem finis est consarcinandi Canonis. Nostri  
enim

enim memoria, Episcopus Herbipolensis aliquot millia florenorum Pape persoluit, vt liceret sibi Patronos collegiata Ecclesiæ Herbipolensis, Chilianum, Colonatum & Totnanum, cæteris Sanctis in Canone annumerare. Tam sacra res est Canon, vt vberimum questum pariat.

Cum ergo Canon, sine quo Missa celebrari non potest, post quingentos demum à Christo annos, paulatim à multis varijsq; Romanis Pontificibus consarcinatus fuerit, colligescit ante Gregorij & Gelasij tempora, nullum in toto orbe Christiano Missarum sacrificium celebratum esse. Vana proinde est Fabri iactantia, quod Apostoli ipsi Missas celebrarint, ac formam celebrandarum Missarum nobis præscripserint.

Quæ autem causa Gregorium permouerit, vt Canonem Gelasij & Scolastici vnâ cum alijs Missæ ceremonijs reformaret, ac de nouo confirmaret, facile ex illorum temporum historijs colligitur.

Nam ab anno Domini 400. circa quem annum Romanum Imperium gubernarunt Honorius & Arcadius, vsq; ad annû Domini 613. quo Heraclius Imperium tenuit, hoc est, annis circiter ducentis, grauissimis bellis vexatum attritumq; est Romanû Imperium: in Oriente à Persis, in Occidente à Gothis, Vandalis, Hunis &c. deuastata sunt Ecclesiæ, veteres hæses recruduerunt, ac subinde nouæ proruperunt. Miserrima vbiq; politia & ecclesiæ facies apparuit, vnanimi omnium Chronicorum consensu.

Posteaquàm vero Diuina providentia rursus pax in Imperio constituta esset, durabant nihilominus tristia in religione dissidia & certamina: nec inter Christianos tantum & hæreticos, sed inter ipsos etiam Christianæ religionis professores. Oriebantur autem ex illa & dissimilitudine externorum rituum in ecclesijs, vnde plarunq; simplices magis offenduntur, quàm ipsis doctrinæ corruptelis.

## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

Hanc igitur occasionem speculatus Mahomet, in ea orbis parte, quæ Solem orientem spectat, omnes religiones vno fasciculo complexurus, Alcoranum condidit, prætexens, se omnes religionis controuersias conciliaturum, & partes dissidentes in concordiam redacturum esse. Excerptit itaq; ex vnaquavis heresi & secta, quod humane rationi & vulgo nouarum rerum cupido maxime plausibile futurum videbatur. In gratiam Iudeorum retinebat circumcisionem, laudabat Mosen, vt Prophetam eximium, & ducem populi sapientissimum. Christianis gratificaturus, commendabat Christum, qui Prophetarum summus exitisset, ac multa docuisset salutaria. Propter Arrianos, negabat diuinitatem Christi. Propter Pelagianos merita bonorum operum predicabat. Secundum Manichæos prohibebat certos quosdam cibos, cum primis autem vini potum seuerissimis legibus interdicebat. Deniq; diuersissimas religiones in vnum quoddam chaos, quod Alcoranum vocant, conflabat.

Eodem tempore versus Solem occidentem Gregorius Magnus Papa, discordijs Ecclesiarum occidentalium mederi cupiens, varijs Consuetudines ac Traditiones antecessorum suorum, nec non Gelasij & Scholastici Canonem in vnum corpus redegit, vocauitq; **CANONEM**, hoc est, regulam & normam, iuxta quam Sacramentum corporis & sanguinis Christi tractandum ac peragendum esset. Sic enim ipse fatetur in Registro parte 8. Epistola 7. ad Iohannem Syracusanum, Episcopum: Græcorum, inquit, Consuetudines securi sumus, qui aut veteres nostras reparauimus, aut **NOVAS** & viles constituimus, &c. Et quidem ex veteri Testamento cultus, Levitico retinuit, æternum Sacerdotium, templum, altaria, vestes, lampades, thymiamata, aquam lustralem, & id genus alia. Ex nouo Testamento retinuit verba Institutionis carnis Dominicæ, Orationem Dominicam, &c. A Pelagianis mutuatus est oblationem, & propria merita operum. A Manichæis porro successit

successores ipsius acceperunt vnam Sacramenti speciem. Ex apparitione Spectrorū & turbulentorum Spirituum, conficlum est Purgatorium, & exequiæ pro salute miserarum animarū. Deniq̄, vt vno verbo dicam, Canonem suum Gregorius emendicauit ex omnibus hæresibus, non aliter quàm Mahomet suum Alcoranum.

Ac videntur sanè mihi duo isti Reformatores, Mahomet & Gregorius Magnus, non dissimiles Politicis quibusdam nostrorum temporū hominibus, & iuxta carnem sapientibus, qui concordiam & conciliationes quærunt inter Papsylas, Lutheranos, & sectarios. In Papistarum gratiam suadent retinendum esse sacrificium Missæ, & nonnullas Ceremonias: Lutheranis autem concedendum esse vsum vtriusq̄ speciei in Sacramento cœnæ, & coniugium Sacerdotū. quasi verò pro nostro arbitrio addere aliquid aut detrabere verbo Dei liceat. O præclaram concordiam, in qua de Catholico consensu Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, & Orthodoxæ Ecclesiæ, ad humanas inuentiuinculas & figmenta rationis disceditur. Quod sanè duobus istis Reformatoribus, Mahometo & Gregorio Magno accidisse videmus.

Quàmuis enim dissimiles habeant de Christo sententias: tamen vterq̄, sub prætextu concordie & conciliationis atrocissimum dissidium, & horribilem à Christo defectionem inuexerunt. Qua apostasia nulla fuit neq̄ erit vnquàm abominabilior.

Mahometus quidem personæ Christi Diuinitatem detrabit, negatq̄ eum pro peccatis nostris esse mortuum. Quo dogmate totus Oriens seductus est, & deletæ sunt nobilissimæ Ecclesiæ, quæ ab ipso filio Dei, à Prophetis, Apostolis, Euangelistis, & præclarissimis Patribus plantatæ excoltæq̄, ac eorundem sanguine irrigatæ fuerāt.

Gregorius autem Magnus, alij ipsum insequentes Pontifices Romani, rectè quidem de persona Christi docent, Deum simul hominemq̄ esse affirmantes: officium verò illius negant, videlicet quod traditus sit propter peccata nostra, & excitatus propter iustificationem

## QVINTÆ CLASSIS, DE ERRORE

stificationem nostri, quodq̄ per solam fidem tantorum beneficiorum participes fiamus. Docent enim, nos nostris operibus, & Sanctorum meritis peccata expiari, atq̄ eternam vitam mereri posse. Et hac impia doctrina totum Occidentem ad apostasiam impulerunt: de qua Paulus 2. Thes. 2. varicinatus est: Non adueniet, inquit, Dominus, nisi venerit prius ἀποστασία, hoc est, defectio.

Sed his nihil moti Papistæ, Canonem pluris faciunt quàm ipsam sacram scripturam: nec quicquàm huic addi vel demi patiuntur. Atq̄ hîc Faber Rhetorum more, si que in Canone bona sunt, mirificè amplificat: ut orationes, deprecationes, interpellationes, gratiarum actiones &c. Quid hîc, inquit, iniusti auditur? Quæ verò vitiosa sunt & impia, ea vel silentio præterit, vel fucatis verbis ita pingit, quasi nihil vitij in ipsis hæreat.

Gabriel Biel Canonem Missæ dicit vocari secretum, ratione prolationis, ne scilicet tanti mysterij verba per quotidianum usum ex manifesta prolatione vilescant, & in locis non competentibus passim & indiscretè dicantur. Ac recitat horribile exemplum. Fertur, inquit, quòd cum antiquitus publicè & alta voce Canon diceretur, omnes penè per usum illum sciebant, & in plateis & vicis illum decantabant. Vnde cum quidam pastores in agro pane supra lapidem posito Canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conuersus est in carnem. Ipsi autem igne de caelo acerrimo diuino iudicio sunt percussi. Propter quod sancti Patres statuerunt, ut de cætero Canon diceretur sub silentio.

En habes, vnde Canon secretus ortus sit, & quare Missarj verba noui Testamenti submissa voce murmurent, & cur Laici illum ignorare debeant. Sed turdus (quod aiunt) sibi ipsi malum. Quæ enim re Canonem super omnia extollere cupiunt, ea ipsa deprimunt, & auctoritatem illius eleuant atq̄ extenuant. Si enim Canon nullo alio vicio laboraret, quàm hoc solo, quòd secretò & sub silentio dicendus est, hoc solum satis locuples testimoniū esset, illum

illum ex Deo non esse, ac proinde non posse esse veram regulã celebrandæ Missæ. Mandat enim Christus discipulis suis: Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurẽ auditis, prædicato in cæcis. Matth. 10. Et rursus: Qui facit veritatẽ, venit in lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt. Iohan. 3. Nec Paulus vult cœnam silentio celebrari, sed quotiescunq; edatur & bibatur, mortem Domini annunciari iubet. Adhæc supra Centuria 5. ex Constitutione Authentica Imp. Iustiniã audiuius, Sacerdotes clara voce, & quæ à populo exaudiatur, sacram oblationem celebrare debere: nisi velint in Diuinam & Imperatoriam indignationem incurrere. Pontificij autem effrenata licentia, neglectis diuinis & humanis Constitutionibus, Canonẽ secretissimo silentio murmurant, gloriantes interim, se veros & legitimos esse Christi & Apostolorum eius successores.

Hæc Proamij loco dixisse sufficiat de origione Canonis, & sacrosancta eius apud Pontificios authoritate. Quia verò ipsum tanquam Apocryphum occultant, conabor ego, diuina ope adiutus, Apocalypsin, hoc est, reuelationem eius explicare, & singulos supra enumeratos Canonis errores confutare.

# Primus Error

## Canonis.

Quod Sacramentum corporis & sanguinis Christi in Missa fingitur esse nouum, & coram Deo Patre propiciatorium sacrificium, pro peccatis.

Antequam verò ad refutationem huius erroris accedam, demonstrandum erit, Fabrum cum suo sodalitiõ Missam asserere esse sacrificium propiciatorium. Nam, si possent, inficias ire non dubitarent.

## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

Germ. fol. 44.  
Lat. fol. 75.

Germ. fol. 99  
Lat. fol. 167.

In Prologo, seu  
Epistola dedi-  
catoria-

Germ. fol. 6.  
Lat. fol. 10.

Germ. fol. 100.  
Lat. fol. 168.

Germ. fol. 119-  
Lat. fol. 201.

bitarent. Faber quidem sæpenumerò Missam vocat memoriam sanctissimæ passionis Christi, sed alibi vocat etiam sacrificium corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, quod sacerdos offerat Deo patri cœlesti, pro remissione culpæ in quotidiana- rum siue venialium, itemq; peccatorum mortalium, quæ ex memoria exciderunt. Et rursus: Est sanè eius rei testis locuples quotidiana experientia: nihil ea die mali perpeti, non honoris, facultatum aut victus iacturam facere eum, qui Missæ sacrum, quæ decet, pietate auscultarit. In summa, fideles, inquit, omnem Evangelij consolationem in Missa repositam habent: Missaq; abolita, præ foribus adest ira Dei, præoccupans impios.

Idem alibi, Crimina, inquit, atq; peccata, oblati his Domino sacrificijs, delentur.

Et mox: Talibus hostijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi.

Ad hæc: iactat Faber, nihil in sanctissimo Canone iniquum inveniri posse. Canon autem sentit Missam esse sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis. Nam ab initio statim Canonis sacerdos inquit: Offerimus tibi hoc sacrificium laudis, pro omnibus circumstantibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis sue. Et in fine Canonis: Placeat tibi, sancta Trinitas, hoc obsequium servitutis mee: & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ Maiestatis ego indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserantius propitiabile, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Cum ergò Faber in sanctissimo suo Canone nihil mutari aut reformari patiatur, certissimum est, ipsum non seriò hoc agere, ut Missam ostendat esse commemorationem passionis Dominicæ, sed hoc

hoc moliri, ut fictis verbis propiciatorium suum sacrificium defendat: quemadmodum ipsemet expressis verbis fateatur, Missam esse sacrificium in remissionem culparum quotidianarum seu venialium, itemq; peccatorum mortalium.

Sic & vetustiores & recentiores Scriptores Pontificij sentiunt, Missam esse sacrificium expiatorium pro peccatis.

Thomas Aquinas de venerabili Sacramento altaris cap. 1. Secunda causa institutionis est sacrificium altaris, contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam: ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce, pro debito originali, sic offeratur iugiter pro nostris quotidianis delictis in altari, & habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum super omnia legis sacrificia, preciosum & acceptum.

Gabriel Biel, qui expositionem Canonis ex varijs autoribus collegit, Beda, Rabano, Innocentio tertio, Alberto Magno, Alexandro de Ales, Durando &c. Lectione 85. litera L. sic inquit: Quicquid Christus saluator noster meruit, se offerens in cruce pro omnibus generaliter, tam in remotione mali, quàm in collatione boni, Viatoribus, purgandis, beatis, hoc sacrificio applicatur particulariter singulis.

Clitoveus in Antiluthero lib. 2. cap. 10. Christus per ministros Ecclesie quotidie offertur Deo Patri in expiationem peccatorum nostrorum.

Ad eundem modum Eccius, Cocleus, Vuimpina, Sasgerus, Rossensis, alijq; complures, qui nostra tempestate Pontificiam Missam propugnauerunt, contendunt, Missam esse sacrificium pro expiandis peccatis tam viuorum quàm mortuorum. Solutus Faber, cum Interimisticis fabricis, Sidonio & Zuisalrensi, idolatriam palliare conatur, vocans Missam sacrificium commemorationis, sed ideo tantum, ut propiciatorium sacrificium tantò validius tueatur.



## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

*Etsi verò in primo huius libri tomo multifariam ex Euangelistis, Apostolis, Prophetis & vetustis Doctoribus Ecclesie euicerim, cœnam Dominicam non esse sacrificium expiatorium, sed tantum commemorationem & gratiarum actionem pro unico illo in cruce licato sacrificio: tamen cum apud aduersarios nullus sit finis vociferationum de sacrificio Missæ, necessitas postulat, vt errorem istum de expiatorio sacrificio Missæ copiosius refutem. Et vt ordine progrediar, in initio ostendam, vnde acciderit ista venerabilis Sacramenti mutatio in sacrificium propiciatorium. Caput religionis Christiana est, hominem iustificari coram Deo, absq; operibus Legis & proprijs meritis, sola fide in Christum, qui est propitiatio pro nostris & totius mundi peccatis. Quicquid ergò huic summo & principali articulo fidei nostræ aduersatur, id abominandum & reiiciendum est. Tale erat dogma Pseudoapostolorum docentium, præter fidem etiam obseruationem Legis Mosaicæ necessariam esse ad salutem: & Pelagianorū, asseruerantium hominem proprijs viribus legem Dei implere, ac vitam æternam promereri posse.*

*Quamuis autem ipsi Apostoli, & post illos Augustinus, duabus hisce heresibus fortiter resisterint, easq; condemnauerint: tamen non radicitus funditusq; extirpatæ fuerunt, sed subinde magis magisq; creuerunt, donec accidit illa generalis defectio, de qua 2. Thess. 2. Hæc enim peruersa hominibus à natura insita est, vt videantur sibi non esse nihil, iudicentq; ex carnali sensu Deum ita esse affectum, vt, quemadmodum homines nihil gratis agunt, ita & ipse alijs nihil tribuat sine meritis, sed omnia ab ipso mercanda & operibus redimenda esse putant. Itaq; promissionibus de bonitate & misericordia eius non credunt, sed omnes rationes circumspiciunt, quibus gratiam Dei promerentur.*

*Ex hac propriorum meritorum opinione omnis generis errores exorti sunt, donec tandem prorsus amisso verbo Dei ad puritatis*  
radi-

CANONE MISSÆ, CENT. VI. 11

traditiones hominum omnia referri ceperunt. Nam quemadmodum in trivio aberrantes, quò longius progrediuntur, eò longius à via deflectunt: ita ubi à verbo Dei semel disceditur, error alius alium subsequitur, donec regia via prorsus ex oculis animoq; amittitur.

Porro cum inter omnia bona opera nullum iudicaretur esse prestantius sacrificijs, cum primis autem sacrificio corporis & sanguinis Christi in cruce peracto, concinnum videbatur humanæ rationi, corpus & sanguinem Christi Deo Patri quotidie in Missa offerre, pro remissione peccatorum tam viuorum quàm mortuorum. Et speciosus erat prætextus: Si Deo Patri sacrificium filij sui in cruce ita placuit, ut mundum sibi per hoc reconciliauerit, non displicebit ei sacrificium Missæ, quod planè refert & repræsentat id, quod in cruce oblatum est. Et (quo argumento Faber utitur) si defunctis Macchabæis profuit oblatum pro eis argentum, non multò magis vsui, consolationi, ac saluti fidelibus defunctis erit pretium huius mundi, nempe corpus & sanguis Christi, quibus totum ille mercatus est & redemit mundum? Sic ex cæna, gratuito dono Dei, factum est meritorum opus & sacrificium.

Germ. fol. 127.  
Lat. fol. 219.

Itaq; opinio de expiatorio sacrificio Missæ non habet authores, Christum, Apostolos, Ecclesiam orthodoxam, & priscos Patres, sed execrabiles hæreticos Pelagianos, qui à fide ad operum merita aberrarunt. Hic decuit Gregorium Magnum exemplo Apostolorum & Augustini meritorio Missæ sacrificio refragari, & in simplicitate primæ institutionis constantè permanere. Sed nemo erat qui nouis Pelagianis, Romanis Pontificibus resisteret: aduenerat enim tempus, de quo Paulus 2. Thessa. 2. vaticinans, inquit: Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt in hoc, ut salui fierent.

## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

Quanta autem huius Missatici sacrificij, quòd falsò propitiatorium esse creditur, coram Deo sit abominatio, nulla vox humana eloqui potest. Sic enim Dominus noster Iesus Christus non solum inferior iudicatur angelis & hominibus, Abele, Abrahamo Melchisedeche, Leuiticis & Papisticis Sacerdotibus: sed ab officio mediatoris seu intercessoris prorsus excluditur, alijsq; in ipsius locum substituuntur, imò & supra ipsum extolluntur. Deinde unicum illius in cruce peractum sacrificium summa ignominia afficitur, redemptio eius negatur, meritum eius extenuatur atq; vilipenditur. Quæ omnia ex sanctissimo isto secreta Missæ Canone, ac solidis scripturæ testimonijs, ordine comprobabimus.

Nihil autem dicam de horrenda idolatria Missariorum, quam in principio Canonis designant, antequàm Sacramentum consecrent: videlicet, quòd non corpus & sanguinem Christi, sed nuda elementa & creaturas, panem scilicet & vinum, Deo Patri offerunt, idq; pro viuis & mortuis, pro redemptione animarum, & remissione peccatorum: quæ beneficia solus filius Dei acerbissima morte sua & preciosissimo suo sanguine promeruit. Sed tantummodò ostendam, fictitium illud Sacramentum, quod post consecrationem indicatur esse substantiale corpus & sanguis Christi, nequaquam esse sacrificium expiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, sed horribilem coram Deo abominationem. Quòd si lux ipsa Canonis tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt?

Nam posteaquàm Sacerdos Sacramentum transsubstantiatum ecclesie adorandum exhibuit atq; sursum eleuauit, ita inquit: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ. &c.

Testatur scriptura, Christum propria virtute & dextera Dei exalta

exaltatum, in cælos ascendisse. Ephe. 1. & consedis ad dextram Dei. Mar. 16. Testatur item, Christum esse Dominum angelorum Luc. 2. & angelos esse ministros eius Matth. 4. Missarius autem orat in Canone, ut angeli eum illuc perferant: quasi verò ope angelorum indigeat, & sine ipsorum adminiculo in cælos peruenire nequeat. Ita ex omnipotente domino, impotentem feruum, ex seruis dominos facit. Nonne hoc est Christum inferiorem iudicare angelis? Sanè is, qui portatur, infirmior est eo qui portat. Præterea Missarius sacrificium Christi non pluris facit quàm sacrificia veteris Testamenti, quæ per angelos ad Deum perferebantur: sicut Raphaël orationem & eleemosynas Tobie Deo offerebat.

Unde apparet, Missarios non verè credere, Christum ascendisse ad cælos, & esse dominum Angelorum, sed oportere ab Angelis in cælos perferri, sicut Papa hexaphoro gestari solet.

Sed tolerabile forsitan esset, quòd Canon Christum inferiorem iudicat Angelis. Quòd verò ipsis etiam morti & peccato obnoxiijs hominibus inferiorem facit, hæc demùm non ferenda contumelia est, & blasphemia seriò detestanda. Sic enim in Canone sequitur. Supra quæ (sacrificia intellige corporis & sanguinis Christi) propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech.

Hic Christus cum suo sacrificio non solum postponitur Abeli, Abrahæ & Melchisedech, cum suis sacrificijs, quæ tamen ex ovibus, arietibus, pane & vino constabant: sed postponitur etiam ipsis Missarijs, qui sæpenumerò sceleratissimi sunt nebulones, & omnibus flagitijs cooperiti. Sumunt enim sibi ipsi officium mediatoris, ac intercedunt apud Deum pro vnigenito eius filio Iesu

## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

Iesu Christo, orantes, ut ipsum propitio & sereno vultu aspiciere dignetur, & sacrificium ipsius acceptum habeat: quasi Christus esset peccator, quem Deus pater auersaretur, donec eum Missarius, tanquam mediator inter Deum patrem & filium, precibus & sacrificijs suis patri reconciliaret. An non hoc est se in locum Christi collocare, imò & supra ipsum extollere?

Sed esto, quòd hæ preces sint efficaces, & in cælis exaudiantur: quæso quorsum nobis prodescent, si sacrificium Missæ Deo Patri non est acceptius, quàm fuerunt sacrificia Abelis, Abrahæ & Melchisedechi? certè ira Dei & mors maneret super nos. Etenim quàm impossibile est, nos sanguine taurorum & hircorum à peccatis nostris emundari. Heb. 10. tam impossibile, imò verò impossibile est, nos sacrificio Missæ remissionem peccatorum consequi. Itaq; Faber Canone suo vnicum crucis sacrificium horribiliter blasphematur.

Insuper Christus cum suo sacrificio in Canone non existimatur maior Leuiticis sacerdotibus & sacrificijs, quæ ideò imperfecta erant, quòd Sacerdotes ipsi mortales erant & peccatores. Quocirca etiam multos esse oportebat, ac pro seipsis orare & sacrificare. Canon ergò Christum cum suo sacrificio non iudicans sufficere ad propitiationem pro peccatis totius mundi, quid aliud facit, quàm quòd sentit Christum non esse æternum sacerdotem, sed mortuum esse instar Leuiticorum sacerdotum, cui noui sacerdotes successerint? Nonne etiam Christi sacrificium cum sacrificio peccatoris comparat? Summa, Si peccata nostra per mortem Christi non plenè perfecteq; expiata & remissa sunt, sed nunc primùm per Missæ sacrificium expianda sunt, Christus pro peccatis nondum est mortuus: Siquidem mors eius in vniuersa scriptura prædicatur esse sufficiens pro peccatis satisfactio. Si autem Christus non est mortuus, certè nec homo factus est, nec resurrexit à mortuis, nec ascendit ad cælos &c. An non hoc est Christum negare? an non est

merita

merita eius conspuere? Vide quæso, quò deueniant ij, qui Cœnam in sacrificium expiatorium mutant.

Cæterum quod Faber Missam multôties vocat commemorati-  
onem sanctissimæ passionis Christi, peccat in suam ipsius conscientiam, & in ipsum sanctissimum Canonem, ac pugnat cum omnium linguarum proprietate: idq; non aliam ob causam, quàm vt fictis verbis sacrificium Missaticum, quod quasi moribundum egre extremum spiritum trahit, paululum refocillet, & ab interitu construet. Ipsemet enim alibi nominat sacrificium pro remissione peccatorum, vt supra audiuimus. Et Canon ipse sepius appellat sacrificium, vt in primo statim limine: *Accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, quæ tibi offerimus &c.*

Ergò ne sacrificare & commemorare eadem sunt? Sacrificare seu offerre, in omnibus linguis significat aliquid alteri dare aut donare, vel pro se, vel pro alio quopiam. Commemorare autem, vel memoriam celebrare, generaliter significat aliquid considerare, aut in memoriam reuocare id quod abest, & dudum præterijt. Vt cum quis recordatur benefactoris sui. Cum ergò Canon Missæ, & Canonis patronus Faber, in Missatico sacrificio præsumant Deo aliquid dare, & ipsi inseruire, quomodo hæc potest esse commemoratio, in qua non Christum agere & operari pariuntur, sed ipsimet agunt & operantur? Et, quod in primis ridiculum est, cum nos in Missa deberemus celebrare memoriam vnici sacrificij Christi, iuxta præceptum eius: *Hoc facite in mei commemorationem, sacrificij ordinem planè inuertunt.* Nam ipsi, qui memoriam celebrare debebant, sacrificant, & à Christo petunt, vt ipsorum & sacrificij ab ipsis oblatis meminisse velit. Memendo, inquit, Domine, famulorum, qui tibi offerunt. Nonne hæc est peruersissima Hypallage? Et tamen non verentur dicere, se in Missa celebrare memoriam, non sacrificium.

## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

Taceo, quòd Canon suis meritis Deo satisfacere conatur, cum inquit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Non intelligit autem calicem, de quo David loquitur, sed calicem sui sacrificij: cum tamen hie solum Christi meritum valeat, quod fide, non nostris meritis, apprehenditur. Si ex operibus, inquit Paulus, iam non est gratia. Rom. 11. Vbi autem non est gratia, ibi nec fides est. Vbi fides non est, ibi nec commemoratio passionis Christi. Proinde cum Missæ sacrificium sit ex operibus & meritis, quomodo potest esse commemoratio?*

Pergit Canon: *Offerimus præclara Maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram &c. Et addit: Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris. Respicit autem Deus ad sacrificium, sicut respexit ad sacrificium Abelis Gen. 4. Memoria verò passionis Christi respicit Christum. proinde, si Christus ad nos respicere debet, non nos ad ipsum, certè opus Missæ non potest esse commemoratio.*

Quòd verò Aquinas, & cum illo omnes Papistæ affirmant, corpus Christi semel quidem oblatum esse in cruce pro culpa peccati originalis, in altari autem offerri pro quotidianis nostris peccatis, maiori contumelia mortem Christi afficunt, quàm vel ipsi Iudei: produnt item crassam suam ignorantiam, quod nec quid peccatum sit, nec quid peccatorum remissio, intelligant.

Nam originale peccatum est corruptio nature nostræ, ab Adamo in nos omnes propagata, ex qua tanquàm fonte omnia peccata promanant. Quemadmodum autem riuus non sunt sine scaturigine, nec vicissim scaturigo sine riuulis: ita peccatum originale & peccata actualia perpetuò coniuncta sunt.

Itaq; si Christus sacrificio crucis pœnam originalis peccati exolvit, ut Aquinas asserit, certè pro actualibus etiam satisfecisse necessario

CANONIS MISSÆ. CENT. VI. 14

necessario sequitur. Extirpata enim radice, stipes quoque, & rami exciduntur. Quare, qui fatentur, Christum solummodo pro originali peccato satisfecisse, non item pro actualibus, quæ inde proficiuntur, aquam querunt ubi nullus est fons, & fructus querunt in extirpata & excisa arbore, denique, (ut Christus loquitur) ficus colligunt de spinis. Non possunt enim remanere fructus, radice & stirpe ipsa excisa. Non quod nulla amplius sit in nobis peccati concupiscentia (quæ tanquam zizania quotidie sese in nobis exerit Rom. 7.) sed quod non imputetur nobis, per fidem, propter meritum Christi. Sic ergo cum pro originali peccato, tum pro fructibus ipsius simul satisfecit Christus.

Satisfecisse autem Christi sanguinem pro omnibus peccatis, si nullus alius scripturæ locus testaretur, unicum ad Romanos caput quintum firmissimè comprobaret: ubi Paulus solida nos consolatione animans inquit: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit: multo igitur magis iustificati nunc sanguine eius, servabimur per eum ab ira. Et mox: Non sicut per unum qui peccauerat, venerat mors, ita donum. Nam condemnatio quidem ex uno delicto ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iustificationem.

Quem D. Pauli locum non de originali duntaxat peccato, verum etiam de actualibus interpretatur Augustinus, ad Hilarium contra Pelagianos & Manichæos epistola 89. Quid est enim inquit, ex uno delicto in condemnationem, nisi illo delicto, quo deliquit Adam? Et quid est: Ex multis delictis in iustificationem, nisi quia Christi gratia non solum illud delictum solvit, quo obstringuntur infantes ex illo uno homine procreati, sed etiam multa delicta, quæ cum creverint, homines addunt malis moribus suis?



## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

Sic 1. Cor. 6. cū Apostolus scortatores, adulteros, molles, fures, & alios enormes peccatores enumerasset, subiungit: Atq; hæc eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri.

1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab OMNI peccato.

1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

1. Ioan. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. Constat autem non originale duntaxat peccatum, sed fr. eius etiam istius esse opera Diaboli. Ioan. 8.

Si enim sanguis Christi solum originale peccatum sustulisset, totam fidem Christianam collabi necesse esset, quæ in futurum præterita morte Christi firmiter nititur. Mors enim Christi ijs solis prodest, qui futuram iustificationem fide expectant: quemadmodum testatur ipse Christus Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Itaq; sanguis Christi semel effusus, cum demum virtutem & efficaciam suam exercet, cū considerantes charitatem Dei sanguine filij sui nobis commendatam, iustificationem fide apprehendimus, ac vitam æternam immota fiducia speramus.

Ita Petrus 1. Pet. 1. efficaciam mortis Christi etiamnum hodie in credentibus durare docet, inquit: In asperisionem sanguinis Iesu Christi. Nam si Papistice opinionem sequi voluisset, dixisset asperisionem sanguinis Christi ad originale duntaxat peccatum pertinere, ac substituendum esse sacrificium Missaticum, quod nos plenè saluet.

Sicut autem morte Christi reconciliati & abluti fuimus à peccatis nostris, antequàm nasceremur (delevit enim mors Christi etiam futura peccata) ita etiam morte ipsius abluimur à futuris peccatis

peccatis, quæ post factam reconciliationem quotidie à nobis committuntur.

Præterea sacrificium Missæ pugnat è diametro cum æterno Sacerdotio Christi. Etenim Christus non idcirco tantum est æternus Sacerdos, quòd sacrificat, sed etiam quod ad dextram Dei noster est advocatus & intercessor perpetuus.

Primo quidem officio dudum defunctus est semel, cum se pro nobis in mortem tradidit, in odorem suavem Domino. Quod officium semel peractum, ita perfectum est, ut totius mundi peccatis delendis sufficiat, atq; in æternum valeat: ita ut non sit necesse illud repeti.

Alterum verò officium, intercessionis videlicet, in æternum retinet, unde & æternus Sacerdos dicitur, ut primum officium, redemptionis, quotidie in credentibus confirmet & consummet. Quapropter etsi posthac non moritur, nec offertur amplius pro futuris peccatis, tamen præterita mors ipsius efficaciam suam extendit in omnem æternitatem, dum Christus summus noster Pontifex, sine fine intercedit pro credentibus. Non instituentum ergò est aliud quoddam & separatam sacrificium, pro futuris peccatis, quasi Sacerdotium, hoc est, officium intercessionis Christi unà cum morte ipsius desisset.

Itaq; post emundationem denuò lapsos non ablegant Paulus & Iohannes ad Missæ sacrificium, sed ad Christum ipsum: ut qui antea sanguine eius abluti fuerunt, nunc post pollutionem denuò per alterum officium intercessionis iuventur, ac per fidem meritorum eius participes reddantur.

Rom 8. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis ille qui contemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis.

1. Ioan. 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis: & si quis

## QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

peccauerit, aduocatū habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris aut tantum, sed etiam pro totius mundi. Quicumq; igitur Missæ tribuunt expiationē peccatorū, Christum cœlesti suo munere & diuino honore spoliāt, & duos illos quos dixi, Apostolos, mendacij arguūt. Missam enim passiōi Christi non solum æquant, verum etiam præferunt.

Velim autem mihi respondeant, verum peccatum grauius sit, originale ne, an actuale. Si dicāt originale, quæso cur morti Christi maximorū peccatorum expiationē concedentes, minorū peccatorum, quæ ex originali profluūt, expiationē eidem adimunt? Sin dicant, actualia esse maiora, quæ nō morte Christi, sed sacrificio Missæ expientur, iam maiore efficaciam sacrificio Missæ, q̄ Christi tribuūt.

Ita per mercenariam & meritoriam Missam Christus de æterno suo sacerdotio deturbatur, & fides à passiōe Christi ad humana sacrificia abducitur. Quid est blasphemia, quid est sacrilegium, si hoc non est.

Ceterum Faber Gabrielem Biel secutus, hęc effugium querit: videlicet, quia sacrificium Crucis & sacrificium Missæ idem sit substantia, operationes & effectus etiam esse similes, & vtrūq; sacrificio peccata expiari.

Atqui magnum est discrimen inter sacrificium crucis, et quod vocant altaris, tam in substantia quàm in effectu, tam in genere quàm in specie. In Missa enim priuata non continetur verum sacramentum corporis & sanguinis Christi: quare non est idem substantia, cum sacrificio crucis: multo minus est similitudinem operatiuum (vt Gabriel loquitur.) Ita etiam magna est dissimilitudo actionum & effectuum. Equidem Dominus noster Iesus Christus in nouissima cœna non obtulit corpus & sanguinem suum Deo Patri, sed cum pane & vino dedit ea discipulis suis, ad comedendum & libendum. Deinde non iubet, vt discipuli hoc faciant in sacrificium pro viuis aut defunctis, sed in sui commemoratio-

morationem. Ergò non est similiũ actionum cum sacrificio crucis.

Sunt & aliæ circumstantiæ, quæ fortissimè conuincunt, sacrificium altaris non esse idem cum sacrificio crucis, sed multis modis diuersum: quos certè modos præstat enumerare, vt vanitas sacrificulorum omnibus magis conspicua fiat.

Primum. Persona offerens non est eadem. Sacrificium enim crucis obtulit patri, filius ipse Dei iustus ac mundus, qui & solus potuit patrem placare. Sacrificium autem altaris offert sacrificulus: quod genus hominum magna ex parte est immundissimum. Non potest igitur eadem actio esse sacrificij, multo minus eadem virtus & efficacia.

Secundo. Modus sacrificandi dispar est. Crucis quidem sacrificium fuit cruentum: Sed altaris fit modo incruento. Cum igitur in Missa non sit effusio sanguinis sicut in cruce, manifestum est, quòd sacrificium altaris, non impetret peccatorum remissionem, iuxta illud: Absq̃ sanguinis effusione non fit remissio. Heb. 9. Ideò planè diuersum est Sacramentum altaris, à sacrificio crucis.

Tertiò. Tempore & numero differunt. Christus semel tantum sacrificauit corpus & sanguinem suum: sacrificuli autem subinde repetunt sua sacrificia, singulis diebus. Vnde quod Epistola ad Hebræos cap. 10. de sacrificijs Legis dicit: Nonne desissent offerre, si nullam iam habuissent conscientiam peccatorum, qui sacrificassent, ac semel purgati essent? idem meritò ac verè dici potest de sacrificio Missæ. Si Missa est verum sacrificium expiatorium, an non desinerent sacrificuli sacrificare, postquam semel Missam fecissent? Manifestum igitur est, vel ex ipsa Missarum repetitione, quòd Missa non sit idem sacrificium cum sacrificio crucis, nec sit sacrificium expiatorium.

Quartò. Magna est diuersitas effectuum sacrificij altaris, & cæne dominicæ. Si autem ideò contendunt esse idem cum sacrificio crucis, quòd intelligant idem esse corpus & eundem sanguinem

QVINTÆ CLASSIS, DE I. ERRORE

guinem Christi in Missa, quæ fuerunt in cruce, ideoq̄ sentiant, Missæ sacrificium quoq̄ esse expiatorium, cur non eundem effectum sumptioni Dominicæ cœnæ, in qua non minus est corpus & sanguis Christi quæ fuerunt in cruce, attribuunt? Sed quia aduersarij negant sumptionem cœnæ habere eandem efficaciam, cum sacrificio Missæ, manifestum est, quòd etiam sacrificium Missæ eorum, eadem ratione non habeat eandem efficaciam cum sacrificio crucis. Reliquum igitur est, quòd etiam sacrificium Missæ, si quod est, non sit idem cum sacrificio crucis.

Sed audiamus ea de re etiam sanctorum Patrum testimonia. Cyprianus lib. 2. Epistola 3. Passio Domini, inquit, est sacrificium quod offerimus, nihil aliud, quàm quòd ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotiescunq̄ ederitis panem istum, & calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabitis, quo ad usq̄ veniat. Quotiescunq̄ ergò Calicem in commemorationem Domini, & passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus.

Chrysostomus Homelia 17. super 9. caput ad Heb. Per singulos dies offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, non multæ. Quomodo vna est & non multæ? & quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium est exemplar illius, id ipsum semper offerimus.

Et ibidem. Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem quidem sit eius, quod factum est. Hoc enim inquit facite in mei commemorationem, non aliud sacrificium sicut Pontifex, sed id ipsum semper facimus, magis autem sacrificij recordationem operimur.

Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 18. Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victi-

me, quam Christus obrulit. Unde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis, & sanguinis Christi. Huius sacrificij caro & sanguis, ante aduentum Christi, per victimarum similitudinem promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per Sacramentum memoria celebratur.

Atq; idem testantur & alij Patres, Missam videlicet seu Cœnam Dominicam, non esse propiciatorium sacrificium: sed, si modo legitime & secundum institutionem Christi peragitur, tantum esse commemorationem vnici illius sacrificij Christi semel in cruce oblato. Sed nos breuitati studentes, nunc ijs contenti sumus: Nam in ore duorum aut trium debet stare omne verbum.

## Secundus error

sanctissimi Canonis.

Quod Missarius sacrificiũ Sacramenti solus & priuatim comedit atq; bibit, circumstantes sinens ociosos esse spectatores.

Euangelistæ testantur, Christum in prima institutione cœnæ Sacramentum corporis & sanguinis sui non vnâ cum discipulis suis accepisse, multo minus ipsum solum comedisse & bibisse; Apostolis ociosè spectantibus: sed tam ore quàm manu ipsis dedisse atq; porrexisse. Nam acceptum panem tradidit ipsis manu, dixitq; ore, Accipite, edite &c. Similiter de poculo quoq; fecit: & ad extremum mandauit illis: Hoc facite.

Quemadmodum autem Apostoli à Domino acceperunt, ita iuxta præceptũ ipsius Ecclesijs etiam tradiderunt: attestante Paulo 1. Corinth. 11. Ac durauit illa communicatio corporis & sanguinis Christi sexcentos annos, in Ecclesia Catholica. quemadmodũ superiore parte libri demonstratum est.

Ee Fatetur &

QVINTÆ CLASSIS, DE II. ERRORE

Fateretur & Canon ipse, Qui pridie &c. Christum accepisse panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & dedisse discipulis suis, ac dixisse, Accipite & manducate. Simili modo postquam cœnatum est, ex calice iussisse omnes bibere.

Neglectis tamen his omnibus, Missarius postquam fictivum suum Sacramentum satis diu crucifixit, laceravit, atq; sacrificavit, tandem solus comedit atq; bibit: reliquis, licet esse ociosis spectatoribus. An non hæc est perversa ratio? Vbi quæso simile quid vidit audiuit de Christo, de Apostolis, de Patribus? Certe priuatum istud & clancularium conuiuium pugnat cum mandato & exemplo Christi & Apostolorum, pugnat cum ipso Canone, pugnat deniq; cum communi sensu & ratione.

Sicut enim absurdissimum esset, ministrum verbi, cuius officium est, vt verbum publicè in Ecclesia annunciet, in desertis & solitarijs locis concionari, vbi nullos prorsus habens auditores sibi soli inter ligna & sœxa, aut sub aperto cœlo, concionaretur: ita absurdissimum est, Missarium cœnam Dominicam preparare, & pulchè adornare, ac sonare verba illa, Qui pridie &c. Et, Communicantes: cum nemo adsit, qui vnâ communicet, sed sacrificulus solus absq; conuiuijs comedat atq; bibat: cum conueniat potius, ipsum alijs preparare atq; ministrare. An non hoc est verbum Domini in vanum assumere? qui omnium hypocritarum mos est. Dicunt enim & non faciunt. Matth. 23. Dicunt quidem in Canone: Accipite, edite, bibite: sed hiantia ora & sitiencia labra frustrantur, dum inuide & auarè soli comessantur.

Vnde autem accidit, vt ex communicatione corporis & sanguinis Christi factum sit priuatum & angulare conuiuium?

Suprà in quarta Centuria ostendimus, quod inde à temporibus Apostolorum vsq; ad Gregorium Magnum, populus quotiescunq; conuenerit in Ecclesia communicationem corporis & sanguinis Christi vnâ cum sacerdotibus quotidie acceperit. Cùm verò in frequentibus

quentibus & populosis urbibus, quales erant Roma, Mediolanum, & similes, quotidie ingens multitudo communicaret, necesse erat multos esse Sacerdotes & ministros Ecclesie, qui Sacramentum corporis & sanguinis Christi distribuerent. Necesse etiam erat, multa esse altaria, super quibus cœna Dominica expeditius & decentiori ordine celebraretur. Inde tot Sacerdotes & Altaria in templis exorta sunt.

Quoties autem Sacerdos cum populo communem Cœnam celebrabat, promptius & largius, quàm alijs temporibus, munera sua offerebat populus: videlicet, primitias frugum, vinum, panem, pecudes, pecuniam, aliq; munera, ex quibus Sacerdotes præ reliquis magnum capiebant emolumentum. Qua de re Centuria prima copiosius diximus.

Cum verò ardor & deuotio erga venerabile Sacramentum indies magis magisque decrederet, nec tanta esset multitudo communicantium, quanta prius esse solebat, iuxta vulgatum versiculum: Principium feruet, medium tepet, vltima frigent: nihilominus Sacerdotes consueto more altaria adornarunt, & vsitatas preces ac ceremonias in Missa seruarunt, vt populum inuitarent ad sacrificium, ipsis valde questuosum: Et si maxime nemo adesset qui communicaret, ipsi Sacerdotes soli, vel cum Diaconis suis Cœnam accipiebant. Hinc priuata & angularis Missæ emerferunt.

Sic ergò populus & Sacerdotes paulatim à prima institutione cœnæ discesserunt: ille quidem, non accipiendo Sacramentum: hi verò priuatim edendo & bibendo. Quæ fenestra, imò ianua laxissima erat Sathanae, ad inuehendos varios errores. Vbi enim semel à verbo Dei disceditur, nullus est aberrandi finis, quemadmodum oues longius extra septa euagata nullum finem erroris inueniunt, donec à lupis dilantentur.

Nam posteaquàm diuturna bella in Imperio Romano cõquieuisissent, Christiani hæcenus duriter afflicti et vexati, sensim in corpore et securitate labebantur, quasi omnia euasissent pericula. Dormienti-



## QVINTÆ CLASSIS, DE II. ERRORE

autem illis superuenit inimicus, & seminauit zizania inter triticum Euangelij, docens ex Pelagiana hæresi, Missam esse meritorium opus & sacrificium. Accessit deinde Mammona, idolum potentissimum, auaritia uidelicet Sacrificulorum.

Quia enim fidem non poterant vendere, instituerunt nundinationem Missaticam, qua Sacramentum ipsi quidem soli ederent atque biberent, spectatoribus autem precio venderent, non erigunt a duntaxat argentis, quibus Christum vendidit Iudas, sed multo carius. Nam hac mercatura Missatica mediam ferè partem opum totius mundi acquisuerunt. Postquam uerò per suasum eras populo, Missam pro peccatis uiuorum celebrari, facile deinde creditum fuit, etiam defunctis celebratione Missarum subueniri posse: ut infrà dicetur.

Nulli tum erant Augustini, Chrysostomi, Cyrilli, qui hostem arcerent. Stertebant omnes Episcopi, & secure oscitabant. Quin & ipse Gregorius Magnus, qui habebatur optimus, omnes istos subrepentes errores sanctissimo suo Canone confirmabat. Quem deinde Canonem successores eius, Pontifices Romani, lucri causa in toto orbe propagarunt: quem hodiequæ quasi gratia ita præfrecte tuentur, ut quiduis potius concessuri quàm Missam relicturn videantur. Hæc hæc est Helena Romanensium.

Vides ergo pie Lector, priuatam Missam non à Christo, sed Mammona institutam, & syncerae cæne prorsus contrariam, toto pectore ut potè horrendam idolatriam detestandam ac fugiendam esse.

## Tertius error

### Canonis.

**Q**uod Sacerdos præsumit per sacrificiū Missaticum & suam priuatam sumptionem, omnia merita Christi, ex opere operato

raro, alijs non sumentibus, applicare & impertiri.

Excusari forsitan potest, quod populus non semper de Sacramento communicat, quoties cœna celebratur: Nec enim quiuis omni tempore idoneus est, ad edendum hunc panem, & bibendum hoc poculum, cum probare se homo debeat, an spiritualem esuriem ac sitim sentiat. Sed quod Papistæ asserunt, Missarium corpus & sanguinem Christi Deo patri offerre non pro se solo, sed pro alijs cum viuis tum defunctis, nec pro se solo edere ac bibere, sed pro omnibus circumstantibus, alijsq; omnibus licet absentibus, qui precio participationem horum meritorum redemerint. Et addunt, Missam ex opere operato applicare illis, absq; ipsorum propria sumptione, omnia Christi merita. Hæc, inquam, nullo modo excusari possunt: pugnant enim cum prima institutione Christi, cum natura & proprietate fidei Christianæ, cum usu veteris Ecclesiæ, cum intellectu deniq; omnium sanorum hominum. Sed audiamus ipsa Papistarum verba, quibus hoc erroneum & impium dogma profitentur.

Faber inquit: Per hanc increuentam oblationem, à Christo in Germ. fol. 45.  
Lat. fol. 75. cœna inchoatam, & suo exemplo fieri mandatam, cruentæ illius crucis hostiæ semel litatæ nos participes reddimus.

Et alibi: Etiam absq; huius perceptione Sacramenti, mortis Germ. fol. 81.  
Lat. fol. 136. Christi potest fieri commemoratio.

Et adhuc clarius: Ea cœnæ oblatione Christus nouum instituit sacrificium, cuius usu, gratia, iusticiæ, satisfactionis, redemptionis Germ. fol. 49.  
Latin. fol. 82. in cruce nobis conflata & obtenta, participes esse queamus.

Gabriel Biel, lectione 26. litera G. & H. Missa potest intelligi valere, & efficaciam habere dupliciter. Vno modo ex opere operante: alio modo ex opere operato. Et mox: Est autem duplex offerens, scilicet, offerens immediatè, & personaliter. Alius offerens mediatè. &c.

## QVINTÆ CLASSIS, DE III. ERRORE

Idem lectione 81. *litera H.* Sacerdos est velut os corporis Christi mystici, per quod trahitur nutrimentum omnibus membris totius corporis, nutriendis, roborandis & spiritualiter augmentandis. Sicut os materialis corporis comedit non solum pro se, sed pro salute omnium membrorum sumit cibum, qui per totum corpus diffunditur, & membris singulis incorporatur, ut saluetur in sua substantia naturali: Sic Sacerdos sumit Sacramentum, cuius virtus transit in omnia ecclesie membra huius cibi spiritualiter susceptiva: & singulariter in eos, qui Missie intersunt officio, qui cibum hunc esuriunt.

Et lectione 29. *litera E.* Offerunt circumstantes mediate, Sacerdos celebrans immediate. Non solum offerunt Sacerdotes, sed & ceteri fideles. Nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc vniuersaliter agunt vota fidelium. Sic spiritualiter dicuntur hoc Sacramentum manducare, qui fide credunt alijissima huius Sacramenti mysteria.

Sidonius in Homelia 15. de Missa. Si sacrosanctam Eucharistiam ore sacramentaliter suscepturus non es, vel corde eam spiritualiter fide ac deuotione suscipis. Huiusce modi fide & deuotione sacrosanctum viuifici corporis & sanguinis Christi Sacramentum spiritualiter sumis, eius deique Christi passionis fructus ad eternam salutem tuam tuos efficis, tibi adiungis, accomodasque.

Sed, quid opus est testimonijs aliunde accersitis? Canon ipse etsi ex verbis Christi dicat, Accipite, edite: accipite, bibite: & inter orationem dominicam, ac, Agnus Dei, hostia idcirco in tres partes frangatur, ut sine periculo ob gutturis arctitudinem à multis sumatur, teste Gabriele lect. 80. *litera H.* Tamen cum ad sumptionem deuenitur, Sacerdos ipse in Canone ore fatetur octies, se hoc sacrificatum Sacramentum solum edere ac bibere, atque idem facto ipso testatur: cum alijs nihil nisi inane spectaculum præbeat.

Nihilominus.

Nihilominus in fine Canonis ita precatur: *Præsta, ut hoc sacrificium sit tibi acceptabile, mihiq̄ & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Cum autem id Sacramentum non minus pro alijs edat & bibat, quàm offerat, sequitur, ipsum iisdem verbis precari, ut hoc sacrificium sibi & omnibus, pro quibus illud ederit atq̄ biberit, sit propitiabile.*

*Age fingant Papistæ ex Missa sua quicquid velint. Certè siue propiciatorium sacrificium, siue priuatum conuiuium sit, neutrum pro alijs nec viuis nec mortuis fieri potest, sed à singulis pro se ipsis accipiendum est,*

*Si enim sentiant cœnam dominicam esse meritorium opus, & sacrificium expiatorium, quo aliquid detur Deo, iam non erit ex fide, sed ex operibus, Rom. 4. Sin verò sentiant, esse communicationē corporis & sanguinis Christi, quam Christus verbis suis promittit & exhibet, certè fide recipi oportet. Promissio enim est fundamentū, cui fides inicitur. Fides ex auditu est. &c. Rom. 10.*

*Testatur autem scriptura plurimis locis, vnumquemuis propter sua peccata moriturum, & propter sua benefacta mercedem accepturum esse. Iustus EX SVA fide viuet, non aliena: dicente Christo, Mar. 16. Qui crediderit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Et Ioannes Apoc. 14. Opera illorum (non aliorum) sequuntur illos. Ac profecto singuli sua fide ac suis operibus, quantacunq̄ illa fuerint, opus habebunt. Nam & iustus vix saluus efficitur, 1. Pet. 4. Et parabola de quinque prudentibus virginibus idem docet, quæ fatuus nihil de oleo suo dare voluit, ne non sufficiat sibiipsis. Matth. 25. Potest quidem fides aliena propriam fidem alijs impetrare à Deo, Mar. 2. & 7. & aliena opera prosunt nobis tanquàm exempla, ut & nos bene operemur. Veruntamen ut aliena fides nos absq̄ propria fide non saluat, ita nec aliena opera sine nostris proprijs operibus nobis prosint. Proinde neq̄ Missa alius pro alio celebrare potest: sed oportet*

*vnum*

QVINTÆ CLASSIS, DE III. ERRORE

unumquemq̄ sua fide & sumptione participem fieri meritorum Christi.

Cuius rei figura nobis adumbrata est in veteri Testamento. Agnus paschalis nemini proderat, nisi illis, qui iuxta preceptum Domini comedebant. Exod. 12. Sic in nouo Testamento nullus baptizatur pro alio, sed oportet unumquemq̄ pro se baptizari, si modo velit Christum induere. Gal. 3. Multo minus seipsum baptizatur minister Ecclesiæ, sed baptizatur ab alio: vt Christus à Iohanne, Paulus ab Anania. Cur ergò Papistæ non idem sentiunt de Missa? cum baptismus non minus sit signum pœnitentiæ, quam externa sumptio cœnæ Dominicæ signum est promissionis Christi.

Adde, quòd nullus Laicus Sacramentum altaris potest accipere pro alio, neq̄ sanus pro ægroto: sed vnusquisq̄ necesse habet pro se accipere. Quomodo ergò Missa potest celebrari pro alijs, cum nihil aliud esse debeat, quàm ipsa cœna Christi, vt supra dictum est?

Quisquis ederet, inquit Paulus, panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, iudicium SIBI IPSI (non alijs) dedit & bibit. Sic vice versa: Qui edit & bibit dignè, SIBI IPSI edit & bibit redemptionem ac salutem. Hoc enim Sacramentum, eiusq̄ virtus & efficacia pertinet ad edentes & bibentes, non ad spectantes.

Deniq̄, Vt nullus hominum pro alio nascitur, nullus pro alio esuriente ac sitiente edit & bibit, nullus pro alio moritur, nullus pro alio saluatur vel condemnatur (vnusquisq̄ suum onus portabit) Ita Missarius suo Missarico sacrificio & priuata sumptione Sacramenti meritum Christi alijs applicare non potest.

O infideles & immisericordes Patres, qui filijs panem perentibus lapidem porrigunt, & famelicos verbis pascunt, cum ventris auribus careat.

CANONIS MISSÆ. CENT. VI. 21

Hic iterum Faber Protheo mutabilior nouum effugiū quæres. Quando, inquit, sacerdoti ex ipsa sui officij functione pro populo precari incumbit : illud ipsum corpus Christi, quod pro nobis tradidit, & sanguinē, quem nostra salutis causa fudit, cum virtute & efficacia cruenti illius in cruce litati sacrificij, in altari Deo Patri offert, medullitū illi gratias agens, & mortem filij eius in cruce occumbentis commemorans, rogatq̄ Deum, prodesse nobis miseris deploratisq̄ peccatoribus velit cruentam ilam crucis victimam. In Missa namq̄ Sacerdos pro nobis loquitur, & nos per illum Deo. Hec ille. Parum abest, quin Faber dicat Sacerdotes meritum cruenti sacrificij populo applicare, non per sacrificium Missæ, nec per priuatam sumptionem, sed per preces & intercessionēs suas. Hinc Collectas & precatiunculas Canonis tantopere laudat. Hinc Missarij singulis Missam precio mercantibus peculiarem Collectam assignant.

Germ. fol. 108.

Lat. fol. 183.

Germ. fol. 42.

Lat. fol. 70.

Germ. fol. 108.

Lat. fol. 183.

Equidem nisi extarent libri eorum, qui de Missa scripserunt, posset Faber simplicioribus persuadere, quod Sacerdotes ipsis non per sacrificium, sed per preces suas meritum Christi applicarent. Speciosa est oratio : Sacerdotis officium est, orare pro populo. Et Paulus vult ante omnia fieri deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis. Ad hæc certissimas habemus promissiones, quicquid petierimus patrem in nomine Christi, datum iri nobis. Sanè si nihil vicij esset in Canone alibi, quàm in precibus, facile inter nos & Fabrum conueniret. Cum enim per Christum aliquid petimus, manet ipsi honor suus & officium mediatoris. Sic D. Petrus cœnam Dominicam celebrans, oratione, Pater noster, vsus est : authore Platina. Et nos in Ecclesijs nostris ad celebrationem Sacramenti solennes preces piè & deuotè adiungimus.

Ff Atqui

QVINTÆ CLASSIS, DE III. ERRORE

Atqui Faber non serio hoc agit, ut precibus contenti simus: cum alias ubiq; applicationem meritorum Christi tribuat sacrificio Missæ ex opere operato, & privata sumptioni Sacerdotum. Itaq; mera sunt commenta, quæ de applicatione precum garrit, ideo tantum excogitata, ut oculos simpliciorum præstringat, & veterem idolomaniam Missæ palliet.

Sed fingo, Fabrum applicationem meritorum Christi, non sacrificio & privata sumptioni adscribere, sed precibus sacerdotis pro populo orantis: tamen & hoc erroneum est, atq; impium. Etsi enim orationes & deprecationes fidelium pro alijs, per se bona ac sanctæ sint, ac magnam consolationem nobis in necessitatibus adferant: tamen non sunt medium, per quod alter alteri meritum Christi applicet, sine ipsius propria fide & oratione. Alioquin quivis laicus per suam orationem alteri meritum Christi applicare ac imperari posset (cum tamen laicis non liceat corpus & sanguinem Christi offerre, aut pro alijs edere atq; bibere) Mandatum enim & promissio orationis est vniuersalis: ita ut laici non minus orent pro sacerdotibus, quàm sacerdotes pro laicis.

Aut, num putas orationem Sacrificuli efficaciter esse oratione summi nostri Pontificis Iesu Christi? qui etsi ad dextram Dei assidue pro nobis intercedit, tamen nisi nos unâ precemur, & credamus, merita sua nobis non communicat: sicut inquit Ioan. 16. Non dico vobis, quod ego regaturus sim patrem pro vobis. ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quod à Patre exiuerim. Quomodo ergo sacrificuli, qui plerunq; impij & impuri homines sunt, per suas Collectas & intercessionem meritum Christi nobis applicarent? cum scriptum sit: Scimus quia Deus peccatores non exaudit. Ioan. 9.

Ad hæc, Huiusmodi orationes & deprecationes sacrificulorum vel hanc ob causam sunt impiæ, quod fingunt eas ex opere operato

non sibi ipsis tantum gratiam Dei promereri, sed tanquàm opus supererogationis mereri etiam alijs applicationem meritorum Christi. Nam omnia opera, quantumvis bona & sancta, ut sunt sacrificia, ieiunia, preces, eleemosynæ, imò etiam auditus verbi Dei & usus Sacramentorum, si ijs ex opere operato tribuatur expiatio peccatorum & iustificatio, sunt coram Deo abominabilia & idolatriæ: ut apparet ex concionibus Prophetarum hoc genus idolatriæ gravissimè taxantium. Est enim unicum opus, videlicet obedientia Christi, expians peccata & iustificans. Et unum medium, per quod tantus thesaurus nobis donatur: videlicet, verbum & legitimus usus Sacramentorum. Et unicum instrumentum, quo accipimus & nobis applicamus, fides nimirum sola: quemadmodùm Petrus testatur: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Act. 10.

Sed Faber opinione propriorum meritorum ita est inebriatus, ut remissionem peccatorum & iustificationem non tantùm sacrificio Missæ, verùm etiam charitati, alijsq; bonis operibus adscribat. Testantur, inquit, scripta diuina, per misericordiam, eleemosynas, humilitatem, orationes, & pleraq; alia impetrari peccatorum veniam. Quia verò articulus Iustificationis nostra ætate à Præceptoribus nostris luculenter traditus, & firmissimè munitus est, ita ut Papiſta ipsi non semel nostram de hoc articulo sententiam approbauerint, neq; inquam solidis argumentis confutare potuerint, non disceptabo de hoc ulterius cum Fabro. Digitum solummodo intendere volui, ut omnes intelligerint, quàm frigidus & ieiunus sit iste Theologaster, qui nec dum prima elementa sacrarum literarum didicerit. Hæc de tertio errore Canonis dicta sunt.

Germ fol. 19.  
Lat fol. 81.



# Quartus error

Canonis.

**Q**uod Sacerdos laicis vnā duntaxat speciem ( neq̄ hanc tamen in omnibus secretis Mysterijs ) porrigit : Sacramentum videlicet corporis : calicem autem temerariē praripit.

Quæ supra in Euangelistarum, Apostolorum & Patrum classibus, de vtraq̄ specie à Christo instituta, ab Apostolis vsurpata & Ecclesijs tradita, & neq̄ in Græcis neq̄ Latinis Ecclesijs ante Concilium Constatiense prohibita, diximus, ea non repetemus cum fastidio: sed nunc illud tantum demonstrabimus, quàm abominabile sit sacrilegium, ista calicis seu suffuratio seu depradatio: ac simul confutabimus ea, quibus Faber se vnius speciei vsus defensurum esse confidit.

Etsi autem neglectus & contemptus calicis apud priuatas quasdam personas aliquantò vetustior est Canone, quod ex Leonis & Gelasij Pontificum Constitutionibus supra citatis depræbenditur: tamen neq̄ Canoni neq̄ Gregorio Magno hæc culpa imputari potest, quod Laicis calicem interdixerint aut prariperint. Imò verò ipsa Canonis verba conuincunt, Sacramentum eo tempore, quo Canon compositus est, sub vtraq̄ specie laicis exhibitum fuisse.

Verba enim primæ institutionis, quibus omnes iubentur sanguinem Christi ex calice bibere, Canoni inserta sunt. Et Sacerdos post consecrationem ita precatur: supplices te rogamus, omnipotens Deus, vt quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur &c. Primum fatetur Sacerdos, se  
non

non solum velle hoc Sacramentum edere & bibere, sed alijs etiam communicare. Deinde fatetur, hoc Sacramentum sub vtrâq; specie edi atq; bibi. Postremò precatur etiâ, vt quotquot hoc Sacramentum ore sumpserint, spiritualem etiam fructum inde capiant. In fine autem Canonis, rursus pro se & communicantibus orat: Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus. &c.

Gregorius item, qui sua authoritate Canonem cõfirmavit, fatetur, sua etate Laicis vtrâq; speciẽ datam fuisse, In Homelia Paschali, Et reperitur de Consecratione. Dist. 2. Can. Quid sit. Quid sit sanguis agni, non iã audiendo sed bibẽdo didicistis. Qui sanguis super vtrûq; postem ponitur, quãdo non solum ore corporis, sed etiã ore cordis hauritur. Idem testatur in Homelia, quæ incipit: Fractus longa molestia. Item ad Augustinum Cantuariensem Episcopum.

Itaq; sicut Gregorius & Canon vnã speciẽ Sacramenti non instituerunt, ita nec confirmarunt, nec Laicis iniunxerunt: sed sui libera vsq; ad Cõcilium Constãtiensẽ. Quicqd ergo Faber de vna speciẽ deblaterat, id non desumit ex Canone, sed violenter in Canonem ingerit, quemadmodum & in Euangelistas, Apostolos, Prophetas, Ecclesiam, Concilia & Patres. Proinde & ego hac in parte non impugnabo Canonem, sed violentas glossas Fabri & Sodalitij eius super Canonem.

Primum. Ipsa verba cænæ à Paulo descripta, nullum, inquit Germ. fol. 92  
Lat. fol. 156. Faber, præceptum adiunctum habent, sed institutio quedam sunt ac informatio, quo pacto Dominus cænã cum discipulis egerit: Germ. fol. 82.  
Lat. fol. 139 atq; vt se quisq; componere ac præparare debeat. Et alibi inquit, esse duntaxat factum, non institutionem.

Secundò. Quòd si nos id Misoliturgis concederemus, inquit, Germ. fol. 87.  
Lat. fol. 146. quod tamen non concedimus, à Christo præceptum esse, Laicos sub vtrâq; speciẽ communicare debere: at nihilominus potest diuina constitutio absq; peccato intermitteri in ijs rebus, quæ non ex seipsis aut ex legis naturæ præscripto necessario sint abseruande,

QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

modò rationi consentanea prægnantesq̃ causa id postulent. Hæc ille. Quid autem hoc est aliud, quàm adia phoron esse, siue unã siue vtramq̃ speciem accipias?

Germ. fol. 92.  
Lat. fol. 157

Tertio inquit, ecclesiam ex instinctu Spiritus sancti calicis usum abstulisse, ut irreuerentia & iniuria, hæreses item & scandala præcidantur ac propulsentur? idq̃ fecisse pro sua autoritate, quæ certè non minor sit, quàm Apostolorum. En hoc est fundamentum, super quod Faber unam speciem Sacramenti superstruit.

Germ. fol. 10.  
Lat. fol. 17-

Hic sane nos Fabrum ijs verbis compellare possumus, quibus Paulus Elymam Magum compellauit, quæ Faber alibi iniquissimè in nos torquet: O plene omni dolo & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis veritatis, non desinis subuertere vias Domini rectas? Act. 13. Nonne enim Diabolica est malitia, qua sacratissima primæ institutionis verba tot modis peruertit, ut olim serpens in paradiso faciebat? Iam ait esse nudam historiam, non institutionem aut præceptum. Iam ait esse præceptum adia phorum, quod vel seruari vel negligi possit. Mox tantam autoritatem Romanensi Ecclesie tribuit, ut liceat ipsi præcepta Dei soluere, & omnis his alia commodiora ac vtiliora substituere? Quid est subuertere vias Domini rectas, si hoc non est?

Primò enim, verba primæ institutionis à Paulo & Euangelistis descripta, non esse nudã historiã, quæ ante mille et quingentos annos præterierit, qualis est historia de Theodorico Veronensi, sed esse Diuinam Constitutionem, quæ vsq̃ ad extremum aduentum Domini in Ecclesia obseruari debeat. supra in duabus primis classibus, Euangelistarum & Apostolorum demonstrauimus.

Et Faber ipsius actionem cœnæ vocat Diuinam Constitutionem. Scimus autem Constitutiones humanas ideo promulgari, ut ad tempus aliquod durent. Quanto magis præcepta Diuina de moribus in æternum permanere debent. Si irritum potest fieri, Ierem. 33- inquit Dominus pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte,

nocte, ut nox sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum ir-  
 ritum esse poterit cum David seruo meo. Quod si cœna est Diui-  
 na Constitutio, ut ipsemet Faber fatetur, certè tam non mutabitur,  
 quam non mutatur pactum Domini cum die & nocte.

Ad hæc alibi expresse fatetur, usum vtriusq; speciei mandato  
 Christi esse consentaneum. Præcelsum, inquit, Eucharistie sacra-  
 mentum, in Catholica Ecclesia sub vna duntaxat specie minime  
 confici vel consecrari debet, quò Christi institutioni fiat satis. Cur  
 ergò alibi non veretur dicere: Verba cœna nullum præceptum ad-  
 iunctum habere, sed esse tantum institutionem quandam ac infor-  
 mationem, quo pacto Dominus cœnam cum discipulis egerit?

Germ. fol. 79.  
 Lat. fol. 134.

De secundo, quod Faber ait, Constitutionem calicis prægnan-  
 ribus de causis omitti posse, verba quidem audio, testimonia  
 verò scripturæ non audio. Præcxit quidem mandatum de pa-  
 nibus propositionis, quos David, vtpote laicus, contra legem ede-  
 rit, & tamen Christus eum à culpa purgauerit, Mar. 2. Et quòd  
 Israëlitaes infantes suos in deserto non circumciderint, contra se-  
 uerissimum præceptum Domini. Gen. 17. Atq; inde Faber con-  
 cludit, Deum in quibusdam casibus non exigere à nobis obserua-  
 tionem Constitutionum suarum.

Germ. fol. 87.  
 Lat. fol. 146.

Si autem considerauerimus circumstantias horum exemplo-  
 rum, elucescet, Fabrum duobus insignibus mendacijs Dauidem  
 & Israëlitas onerare, quibus tertium mendaciũ duobus illis gran-  
 dius confirmet: videlicet, quòd Ecclesia habeat potestatem abro-  
 gandi mandatũ Christi de calice. Etenim David & Israëlitaes præ-  
 cepta de panibus propositionis & circumfione nõ abrogarũt: nec no-  
 uas leges cõstituerunt, veteribus cõtrarias, videlicet, ut in posterũ  
 omnes laici panes propositionis ederent, & Iudæi suos infantes non  
 amplius circumciderent: sed semel duntaxat in casu necessitatis  
 omise.

## QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

omiserunt, neminem interim cogentes exemplum ipsorum imitari, multo minus persequentes aut occidentes.

Pontificij autem Constitutionem Christi de sacramento calicis (Bibite ex hoc omnes) prorsus abrogant: & aliam huic contrariam substitutur (Non omnes ex hoc bibite) ac non obtemperantes impie huic legi ferro & igni persequuntur. Quæ ergo similitudo est inter duo illa exempla & abrogationem calicis?

Præterea, Neq; Davidem neq; Israelitas prorsus ab omni culpa purgare possemus, quòd transgressione illorum præceptorum non peccauerunt, nisi hæc esset ipsorum purgatio, quòd Dominus ipsis hoc peccatum non imputauerit, quem aliàs ex toto corde querebant. Id sciretur David ipse 1. Sam. 21. Si via hæc polluta est, inquit, & ipsa sanctificabitur hodie in vasis. Id est, Si persona sancta est per fidem, sancta etiam sunt omnia quæ eduntur & bibuntur. Sic Ezechias 2. Paralip. 30, inquit: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quòd minus sanctificati sunt. Hoc nihil aliud est, quàm quod Paulus docet Tit. 1. Omnia pura puris. Et Rom. 8. Nulla igitur nunc est condemnatio, his qui insiti sunt Christo Iesu. Nihil ergo hæc faciunt ad excusandum sacrilegium calicis, quod etiam cadibus stabilitur.

Sanè si Christus usum calicis in cæna liberum reliquisset, quem admodum liberum est vti pane fermentato vel infermentato, mane vel vesperi, ieiunium vel post captum cibum accipere Cænam, & si quæ sunt similes ceremoniæ, à Christo neq; præcepta neq; prohibita: tum concederemus, pro ratione temporum, locorum, personarum mutari posse, quatenus ædificationi inferuiret. Cum verò hæc sit ultima voluntas Christi, ut omnes, pro quibus sanguinem suum fudit, eundem sanguinem ex calice bibant, nulli hominum, nulli Ecclesiæ, nulli Concilio, nullis angelis licet, hoc testamentum Christi mutare aut abrogare. Gal. 1.

Nec videntur Pontificij pari modestia, qua David & Israhelita in prædictis exemplis vsi sunt. Hi enim tantum in articulo necessitatis, adhibita magna religione, præcepta Dei transgressi sunt. Illi si eadem circumspectione in articulo necessitatis agerent, & unam speciem ijs locis vsurparent, in quibus vinum comparari non potest, aut vbi personæ aliqua vinum neq; olfacere neq; gustare possunt, retinentes aliâs ordinationem Christi inuiolatam, vbi & comparari & bibi vinum potest, ibi sanè propter necessitatem, cui nulla lex data est, excusatos ipsos haberemus. Nunc verò, cum extra necessitatem (quæ rarissimè & paucissimis in locis accidit) temerariè institutionem Christi violent, nullo modo sacrilegium suum excusare possunt.

Quid ergo? Mandatum de calice est Diuina & immutabilis ordinatio. Cui cum Faber resistat, affirmo cum Paulo Rom. 13. ipsum Deo resistere, ac propterea sibi ipsi accepturum esse iudicium. Det Dominus sanio rem mentem hisce miserrimis hominibus, si modo digni sunt, qui conuertantur. Amen.

Pergit Faber, & probaturus posse aliqua eiusmodi accidere, in quibus suas Deus Constitutiones à nobis non exigat obseruari: Discipulis, inquit, Christus certam baptismi formam præscripsit, vt in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti baptizarent: Illi forma hac prætermissa, aliquandiu alia sunt vsi, baptizantes in nomine Domini Iesu Christi &c. Licet ergò Ecclesiæ cœnam quoq; alio modo celebrare, quàm Christus instituit, & Apostoli tradiderunt.

His verbis purido mendacio & calumnia Apostolos onerat: quasi alia forma baptizarent, quàm quæ à Christo præscripta sit, & quasi Ecclesia iam aliter baptizet, quàm Apostoli baptizauerunt. Ita denudò ex duobus crassis mendacijs, tertium crassius extruit: videlicet, quòd in cœna liceat ab institutione Christi & vsu Apostolorum discedere.

QVINTA CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Nam quemadmodum hæc verba (Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus) non sunt integra & perfecta forma cæne Dominicæ: ita etiam hæc verba (Baptizate eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti) non sunt perfecta forma Baptismi: sed requiruntur ad eam, tam præcedentia quàm sequentia verba Christi: videlicet: Docete omnes gentes. Item: Prædicare Euangelion omni creaturæ. Et: Docete eos seruare omnia quæ præcepi vobis. Summa autem Euangelij hæc est, quod Deus pater dedit nobis filium suum vnigenitum, per quem donatur Spiritu sancto, remissione peccatorum, & vita eterna. Itaq; verum Euangelion non potest prædicari sine expressa & distincta mentione sanctæ Trinitatis. Id quod ex concionibus Apostolorum, præsertim Ioannis, Petri & Pauli, luce clarius euadit.

Petrus sub finem concionis suæ Act. 2. Dextra, inquit, Dei exaltatus Iesus, & promissione Spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc, quod nunc vos videtis & auditis. Certo sciat ergo tota domus Israël, quod Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. An non hæc est luculenta concio de Trinitate? Qui ergo libenter acceperunt sermonem eius, inquit Lucas, baptizati sunt in nomine, hoc est, mandato Iesu Christi: videlicet in nomine patris, & filij & Spiritus sancti. Vbi enim doctrina de persona Christi & sancta Trinitate sincera est, ibi & baptizatus huic doctrinæ adiunctus sincerus est, & legitimus.

Porro, quod Petrus eo loco inquit: Penitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum: non ita intelligendum est, quasi Petrus & reliqui Apostoli in administratione Baptismi vnam vel plures personas omiserint: est enim synecdochica locutio, qua pars pro toto ponitur.

Christus certè ad sacram Triadem necessariò requiritur, non ideo tantum, quia est secunda Diuinitatis persona, nec potest à Patre & Spiritu sancto, quoad essentiam, separari: sed idò etiam, quia nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi per Spiritum sanctum. 1. Cor. 12. Et nemo venit ad patrem, nisi per filium Ioan. 14. Nemo item potest Christum confiteri filium Dei uiuentis, nisi per patrem & Spiritum sanctum. Matthei 16.

Itaq; cum baptismus in nomine Iesu Christi, planè idem sit cum baptismo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, certum est, Apostolos formam baptizandi à Christo præscriptam non mutasse.

Sic & Ecclesia hodie non mutat formam baptizandi, qua Apostoli vsi sunt. Baptizans enim in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, idem facit, ac si baptizaret in nomine Iesu Christi. Nomen enim Christi non excludit nomen Patris & Spiritus sancti. Ac vicissim, nomen Patris & Spiritus sancti includit nomen Christi, in baptismo.

An ignoratis, inquit Paulus Rom. 6. quòd quicumq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Et Gal. 3. Quicumq; baptizati estis, Christum induistis. Et Eph. 5. Christus sanctificauit Ecclesiam, mundatam lauacro aquæ per uerbum. An non hoc est baptizare in nomine Iesu Christi? Et tamen hæc omnia dicta sunt de Baptismo Ecclesie. Cumq; baptizans semper ab eo, qui baptizatur, exigat confessionem fidei & symboli Apostolici: Credis in Deum patrem &c? Et in filium eius unigenitum? Et in Spiritum sanctum? manifestum est, eundem esse Baptismum, siue in nomine Iesu Christi, siue in nomine patris & filij & Spiritus sancti administratur. Promde Faber tam Apostolis quàm Ecclesie insignem facit iniuriam. Quales enim essent isti Apostoli & Legati, qui Domini sui Iesu Christi Constitutionem mutarent, & mandatum fide non bona exequerentur?



QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Aut qualis hac esset ecclesia, quæ non est superstructa super fundamentum Apostolorum? Quemadmodum igitur vnus est Deus & vna fides, & vnum Baptisma, ita etiam vna est forma baptizandi, ea videlicet, quæ à Christo ipso præscripta est: siue dicatur in nomine Iesu Christi, siue in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.

Ne autem Faber obganniat, hoc esse commentum Lutherani, age producamus in medium ipsum Ius Canonicum, quod iudicat esse eundem Baptismum, in nomine Iesu Christi, & in nomine sanctæ Trinitatis. Et sunt verba Nicolai Papæ, ad consulta Bulgavorum, de Conse. Dist. 4. Can. A quodam: A quodam Iudæo, nescitis vtrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt, vnum quippè idemq; est, vt sanctus Ambrosius exponit, quia non illorum sed eius est, rebaptizari non debent.

Germ. fol. 92.

Lat. fol. 157.

Sed habet Faber aliud adhuc fundamentum, idq; sua opinione firmissimum: videlicet, ecclesiam ex instinctu Spiritus sancti, alteram sacramenti speciem abrogasse, in eoq; non peccasse, quia Spiritus veritatis nunquam errare ecclesiam patiatur. Sed quæro ex te Faber, vnde cerò scis, spiritum sanctum inspirasse ecclesiam, vt laicis calicem prohibeat? Respondebis, sat scio, Christum discipulis suis dixisse: Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, sed non potestis portare nunc. Cum autem venerit ille, qui est Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Ioan. 16. Atqui venit Spiritus sanctus in die Pentecostes, & tamen nihil docuit de vetando calice. Matthæus enim & Paulus post ascensionem Christi, cum iam Spiritus sanctus missus esset, vtramq; speciem canone Dominica descripserunt. Sic & Apostolorum discipuli, aliq; Doctores Ecclesiæ, Concilia, & Pontifices Romani ante Gregorium Magnum,

Magnum, Papiſticam veritatem de vna ſpecie ignorarunt. Et interdicitus demum eſt calix, mille & quadringentis annis poſt, in Concilio nimirum Conſtantienſi. Si ergo abrogatio calicis eſt veritas à ſpiritu ſancto docenda, infidelis doctor fuit ſpiritus ſanctus, qui tot annis hanc veritatem diſſimulavit. Nec non à tota eccleſia craſſè erratum, & in ſpiritum ſanctum graviter peccatum fuit, uſq; ad Conſtantienſe Concilium.

At ſi Faber tantum opera ſtudiq; poneret in veritate cognoscenda, quantum in oppugnanda ea ponit, facile ex verbis Chriſti de officio ſpiritus ſancti intelligeret, iſtum ſpiritum, qui laicos calice priuat, non eſſe ſpiritum veritatis, ſed mendacij atq; homicidij: atq; eccleſiam iſti ſpiritu obſequentem, non eſſe veram Chriſti, ſed Antichriſti eccleſiam. Chriſtus enim promittens ſpiritum veritatis, adiungit certa quedam ſigna & xpiſia, quibus ſpiritus verax à mendaci ſpiritu dignoſci diſcerniq; queat. Non loquetur, inquit, à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit, loquetur. Et ſtatim: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis Ioan. 16. Et Ioan. 14. Spiritus ſanctus vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixi vobis.

Audis, quos ipſe Chriſtus limites & metas prædicationi ſpiritus ſancti præſigat. Nihil noui, nihil diuerſi, nihil alieni à doctrina Chriſti annunciabit. Alioqui abſurdiſſima quæq; & impiſſima dogmata à falſis Doctoribus obrudi poſſent, ſub prætextu inſtitutus & inſpirationis ſpiritus ſancti. Ita Chriſtus alibi certiffimam veræ & falſæ eccleſiæ notam designans ad Iudeos ait: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſiderijs patris veſtri vultis obſequi. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſerit, quia non eſt veritas in eo.

Iam vel cæcus videat, qualis hæc ſit eccleſia, & à quo regatur ſpiritu, quæ negat id, quod Chriſtus affirmat: & prohibet id, quod

QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Christus mandat. Bibite, inquit Christus, ex hoc OMNES. Faber autem & Romanensis Ecclesia ex aduerso: NON omnes ex hoc bibite. Tu ne dices hunc esse Christi spiritum? tunc hanc esse ecclesiam Christi affirmabis?

Quid ergo tandem sibi Christus voluit, cum diceret, Adhuc multa habeo, quæ dicam vobis? Non hoc voluit, spiritum sanctum docturum esse aliud Euangelion, & euersurum Christi de calice præceptum: sed quæ Apostoli tunc perturbati & rudes nondum poterant capere, de conditionibus regni Christi, de passione ac morte ipsius, ea, inquit, suo tempore, post ipsius resurrectionem & ascensionem, spiritum sanctum perspicue docturum, & in corda Apostolorum infixurum esse, ita ut firmiter credant, & assentiantur ijs, quæ hactenus à Christo audiuerant. Quemadmodum hæc nostra tempestate, multi satis longo tempore Euangelion Christi audiunt, sed non credunt, donec spiritus sanctus ipsis suggerat, non quidem aliud verbum, sed id ipsum, quod antea audiuerunt de Christo. Alijs enim citò, alijs tardè fides à spiritu sancto donatur. Omnia hæc efficit, inquit Paulus, vnus ille & idem spiritus, diuidens peculiariter unicuique, sicuti vult. 1. Cor. 12.

Tandem Faber sacrarum literarum testimonijs euincere non valens, quòd Ecclesie liceat Diuinam Constitutionem de calice mutare, ad Patres confugit, & in primis Augustinum allegat, Epistola 118. ad Ianuarium sic scribentem: Dominus non præcepit, quo ordine cæna sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruariet hunc locum.

Hæc verba Augustini Faber eò detorquet, quòd Christus non mandauerit Sacramentum iuxta ipsius institutionem tractari, hoc est, tum corpus edi, tum ex calice sanguinem bibi, sed reseruauerit hoc Ecclesie. Verùm Augustini testimonium mutilatum, proprio suo more, adducit. Nam si statum totius negocij, quod ab Augustino illic tractatur, diligenter per omnes circumstantias considerasset,

Gerin. fol. 83  
Latin. fol. 140

derasset, deprehendisset vtriq, Augustinum non differere, vtrum Sacramentum sit accipiendum in vna vel in vtraq, specie ( de hoc enim extat disertum & immutabile mandatum Domini ) sed disputare de rebus medijs, à Christo neq, præceptis neq, prohibitis: vt: An Sacramentum ante vel post cœnam sit accipiendum. Nam Augustinus ipse in eadem epistola, communicationem corporis & sanguinis Christi recenset inter ea, quæ expressè in scripturis Canonicis commendata sunt. Atq, hanc elegantem sanè tradit regulam: vt quid horum sit faciendum, si diuina scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum: quin ita facere debeamus, vt legimus: vt iam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit disputemus.

Sed quo tempore Sacramentum sit accipiendum, mane an vespere, quotidie an Sabbatho tantum, & die Dominico, alijsq, certis diebus, ante vel post cœnam, &c. totum hoc genus rerum ( vt cum Augustino loquar ) liberas habet obseruationes. Christus enim indefinitè inquit: Quotiescunq, feceritis. De his & similibus adiaphoribus, Augustinus hæc verba posuit, quæ Faber citat: Dominus non præcepit, quo ordine ( id est, quo tempore, ante vel post cœnam ) Sacramentum sumeretur, vt Apostolis, per quos dispositurus erat Ecclesias, serualet hunc locum. Sed mox subiicit, quod Faber callidè dissimulat: Nam si hoc ille monuisset, inquit, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset.

En tantum abest, vt Augustinus sentiat, Ecclesiam habere potestatem mutandi institutionem Christi, vt etiam credat, hoc est, certo statuatur, si Christus mandasset Sacramentum semper post alios cibos accipi, quòd eum morem nemo variasset. Multo minus concederet, substantialem aliquam partem cœnæ prorsus abrogari licere.

Esse

## QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Esto autem, quod Apostoli ex instinctu Spiritus sancti alias Constitutiones fecerint in Sacramento baptismi & cœna (quod tamen ex causis prædictis neutrquam concedimus) num propterea eandem potestatem habebit Ecclesia? Nulla certe est comparatio inter auctoritatem Apostolorum, & aliorum Episcoporum. Apostoli enim immediatè à Christo vocati sunt ad œdificandam Ecclesiam, ac ponunt fundamentum. Episcopi autem & successores eorū conseruare tantum debent id, quod Apostoli edificauerunt: nec habent potestatem aliquid destruendi & mutandi. Qua de re suprâ in Classe Patrum diximus.

Et si maximè vera Catholica Ecclesia hanc potestatem haberet, tamen ea non pertineret ad Ecclesiam Fabri, quæ non est Christi, sed Antichristi Ecclesia.

Restat, ut expendamus etiam causas, propter quas Faber existimat calicem iure optimo Laicis interdictum esse. Adferet autem tres potissimum causas.

Prima est: quia in Sacramento hoc duo sint, significatio & operatio.

Secunda, quia corpus Christi in pane non sit sine sanguine.

Tertia, ut multa pericula & irreuerentia huius Sacramenti præcaueantur.

Age igitur has rationes ordine pensitemus.

Germ. fol. 79.  
Lauo. fol. 133.

Primum inquit, in hoc præstantissimo Sacramento duo esse, significationem & operationem. Significationem esse externorum signorum, panis & vini: Operationem verò tribuendam esse diuinae virtuti corporis & sanguinis Christi. Signa panis & vini significare Christianam communionem atq; unitatem, nec non interne spiritus alis esuritionis expletionem. Operationem verò, tanquam pignus future gloriæ, testari atq; obsignare nobis diuinas promissiones, quod Christus mortem nostra causa acerbissimam tulerit, qua nobis remissionem peccatorum & vitam æternam pepererit.

Hinc

Hinc postea infert, significationem requirere utramq; speciem in officio Missæ, nempe ut discriminatim indicent profusionem sanguinis, & corporis immolationem. Et quia id venerabile Sacramentum sacerdos ceu publicus & communis Ecclesiæ minister consecret, tractet, & verset, Christi itidem personam eiusq; sacrosanctam passionem representet, posse laicum adstantem & ista spectantem satis commonescieri de effusione sanguinis Christi, & operatione huius Sacramenti: neq; esse necessarium, ut quivis laicus sub utraq; specie Sacramentum hoc accipiat.

Iam neq; operationem utramq; flagitare speciem, ut necesse sit laicis utramq; speciem ministrari: quia totus & indistractus Christus sub panis specie adsit, corpore & sanguine suo: ac proinde laicus unam speciem accipiens non minus particeps sit fructus ac efficacie passionis Christi, quàm sacerdos utramq; accipiens. In summa, sub duabus speciebus inquit esse quidem maiorem significationem, sed non maiorem operationem.

Hæc non absq; tædio tam prolixè recensui, ut sententiam Fabri in clariorem lucem proferrem. Nusquam enim est obscurior, quàm hoc ipso in loco, adeò quidem, ut difficilius sit intelligere eius sententiam, quàm confutare. Sed arbitror nos assecutos esse, quid velit dicere: nunc ad analogiam fidei, & Lydium lapidem sacre scripturæ examinabimus.

Quæ primo loco dicit, quòd in Sacramento sint duo, significatio & operatio, cum scriptura sacra & veterum Patrum sententia congruunt. Ut enim præcipuus usus est baptismi, quo tanquàm divino signaculo certificemur, nos per Christum habere Deum propitiū, cuius filij & hæredes vitæ æternæ futuri simus: Deinde etiam significat baptismus aquæ, veterem Adamum quotidiana penitentiâ in nobis suffocandum esse, nosq; rursus emergere debere,

QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Et in nouitate vitæ resurgere : Ita cœnæ Dominicæ præcipuus usus est, vt hoc diuino sigillo confirmetur fides diuinarum promissionum, quod filius Dei ex ingenti philanthropia corpus suum pro nobis tradiderit, ac sanguinem suum pro nobis effuderit in remissionem peccatorum. Deinde secundario loco signa panis & vini Christianam communionem atq; vnitatem significant.

Quod autem idcirco iustum sit, laicos calice priuare, id Faber de suo affingit, & magna temeritate sine verbi diuini & veterum Patrum testimonijs nouum articulum fidei fabricatur. Sed vide mihi astum & nequitiam Sathanae. Sub operculo veritatis mendacium obtrudit, quemadmodum in paradiso Euam his technis circumuenit. In Sacramento esse duo, significationem & operationem, veritas est : Laicos autem propterea calice spoliandos esse, mendacium & fraus Sathanae est. Attamen suam ipsius maliciam prodit. Faber, vel certè ignorantiam cuius palpabilem.

Concedit enim propter significationem requiri vtramq; speciem in Sacramento, sed non propter operationem. Atqui extra omnem controuersiam est, operationem maiorem esse significatione. Nam operatio Sacramenti, videlicet certificatio gratiæ diuinæ, est opus Dei erga nos, & exercitium Euangelij. Significatio autem, videlicet vt siamus vnus panis & vnus potus cum omnibus fidelibus, edigit nostrum opus erga proximum: & est exercitium Legis. Si ergo ad significationem, quæ minor est, necessariò requiruntur ambæ species, certè multo magis ad operationem, quæ maior est, requiruntur.

Adhæc fatetur, vtrâq; specie Sacramenti, effusionem sanguinis & immolationem corporis Christi multò clarius distinctiusq; indicari, quàm vna duntaxat specie. Cum ergo laicis operatio Sacramenti concedatur, cur non iisdem significatio, quæ minor est, concederetur?

Iam & hoc fatetur Faber, operationem Sacramenti non ex illis  
 extrinsecis

excernis promanare speciebus, sed ex Christo ipso, & diuina ipsius institutione. Quia ergo Christus communionem calicis omnibus credentibus non minus instituit, quam, communionem panis, necessario sequitur, Christum in ijs, qui institutionem suam violant (quod Faber cum suo sodalitijs facit) nihil aliud operari, quam iudicium suum, ut subinde contumaciores fiant.

Videte quæso, quod deueniat tandem Faber, dum sacram scripturam negligens humanis cogitationibus plus æquo indulget. Laicis quod maius est largitur, quod minus est, eripit. Ad utramq; speciem necessario exigit id quod minus est, id autem quod præstantius est, planè negligit. Faretur utramq; speciem esse diuinam constitutionem, non autem concedit ea, quæ bona consequentia inde colliguntur. Vult saluari Doctor Theologiæ, cum ne Magisterio quidem dignam Dialecticæ cognitionem hauserit. Iustè autem ferruginem patitur, qui à simplicitate primæ institutionis descendens, extra oleas (quod aiunt) euagatur.

Secundam causam, quare laicis calice interdictum sit, hanc adfert Faber: quia corpus Christi non sit absq; sanguine. Sufficere itaq; ait laicis, ut sub vna specie panis, simul & corpus & sanguinem Christi accipiant. Cum verò in Classe Euangelistarum ex sexto capite Iohannis hanc controuersiam discussimus, nunc prolixiori disputatione super sedebimus.

Tertiam causam ex grauisimis quibusdam periculis, quæ sibi ipse fingit, magno hiatu conflat. Scilicet ne cælum ruat.

Primum, si in tam numerosa credentium turba calix distribueretur, aut si longo itineris spacio ad ægros deportaretur, facile effundi, & irreuerentia quadam affici sanguis Christi posset.

Deinde in aliquot locis vinum ægrè obtinetur: & sunt, qui vinum nec olfacere nec bibere queant.

Germ. fol. 88-89, 90  
Lat. fol. 149-150

Germ. fol. 88-  
Lat. fol. 148-



## QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Postremò, si includeretur & reseruaretur vini species, quemadmodum panis, periculum esset, ne in aestate accefferet, in hyeme verò congelasceret. Ad hæc omnia pericula præcauenda, & conseruandam sacramenti reuerentiam, optimo consilio ab ecclesia constitutum est, vt laici sub altera tantum specie communicent.

Perinde agit Faber, quemadmodum exploratores à Moise missi ad explorandam terram Chanaan. Hi enim reuersi exaggerabant difficultates & pericula. Populus, inquit, quem aspeximus, procera staturæ est. Filios Enachim vidimus ibi, quibus comparati quasi locustæ videbamur. Vrbes magnæ, & ad cælum usque muratæ, &c. Num. 13. Deut. 1. Ita Faber cum suo sodalicio illic trepidat timore, vbi non est timor. Psal. 53. Hoc enim est summum periculum, relinquere verbum Dei, ac sectari suas opiniones. Maledicti, inquit, qui declinant à mandatis tuis. Psal. 119. Quantaquæ ergo sint pericula, verbum Domini maneat necesse est, etiamsi cælum & terra transeant.

Non sumam autem nunc sigillatim confutanda ista conficta pericula, quæ iam dudum à præceptoribus nostris confutata, & pueris etiam deridenda propinata sunt: Sed ostendam alias & grauiiores causas prohibitionis calicis, quas Faber silentio transiit. vnde horrenda abominatio huius sacrilegij apparebit.

Dixi autem supra, usum vnius speciei in initio fraude Manicheorum in ecclesiam irrepsisse. Nunc dicam, quando & à quibus publicè in ecclesia usus calicis abrogatus & interdictus fuerit.

Manifestum est, Sathanam in his terris nihil minus ferre posse, quàm publicam prædicationem Euangelij. Hac enim est fundi sui calamitas, hæc regnum eius subuertit. Nusquam autem clarius & solennius prædicatur Euangelion, quàm in legitima actione cænæ Dominicæ. Iussit enim Christus in cæna non solum fieri commemorationem sui, hoc est, prædicari Euangelion, & mortem

mortem suam annunciari: verum etiam mandavit, corpus suum pro nobis traditum edi, sanguinemq; suum ex calice bibi, ut hoc signo certiores redderemur, nos Christo incorporari, & membra eius effici.

Coherent igitur pulcherrimo nexu hæc tria: prædicatio Euangelij, commemoratio Christi, & usus cænae Dominicæ: suntq; hæc tria vnum quiddam, videlicet annūciatio salutis in Christo partæ, qua credentes fidem suam publicè in ecclesia profitentur, Deumq; in Christo glorificant. Donec vnum ex his tribus syncerum & incorruptum manet, reliqua etiam sincera permanent: pereunte vno, pereunt & reliqua.

Itaq; Sathan intelligens, quantum mysterium salutis nostræ sit cæna Dominica, ab initio statim multis modis eam oppugnavit, donec tandem circa tempora Gregorij Magni, Testamentum Iesu Christi mutavit in Missaticum sacrificium, quod ex opere operato peccata viuorum & mortuorum expiet: & commemorationem annunciationemq; mortis Christi mutavit in Missam secretam, in qua nulla est prædicatio aut annuntiatio, ut in tribus primis erroribus Canonis prolixè audiuimus.

Postquam verò Sathan eò rem deduxisset, ut memoriam mortis Christi apud Sacerdotes euanesceret, videbat sibi adhuc obstare illam memoriam mortis Christi, qua laici ut minimum semel in anno, videlicet Paschali tempore, effusionem sanguinis Christi reuolebant, cum ex calice biberent (usus enim vtriusq; speciei diu post Gregorij tempora, etiam inualescere & crescente Missa, duravit) Metuebat ergò Sathan, ne successu temporis vera prædicatio de morte Christi, in usu Cænae Dominicæ, rursus emergeret: quam ut impediret, & remoram iniiceret, per hypocrisim Manicheorum neglectum calicis apud laicos indies auidit, donec spiritus mendax in ore omnium Episcoporum & Prælatorum in Concilio Constantiensi, ex professo omnibus laicis usu calicis interdixit.

## QVINTÆ CLASSIS, DE III. ERRORE

Verum Sathana non erat tanta cura calicis. Facile enim patiebatur, laicis etiam potum dari ex calice pro ablutione Sacramenti: & curabat alium calicem pro ipsis in nomine D. Iohannis consecrari, & ex quo biberent. Sed hæc cura ipsum maximè angebat, ut simul cum calice etiam memoriam effusi pro nobis sanguinis, hoc est, veram prædicationem Euangelij deleteret & extingueret. Qui Sathanicus conatus, proh dolor, successu non caruit. Nam pro meritis Christi, merita nostrorum operum in omnes Ecclesias & cathedras inuexit.

Præterea, sublato iam ex medio effusi sanguinis calice, concedit quidem, ut laici speciem panis retineant: sed fraudibus suis eam peruertit atq; corrumpit, ut illis nihil conducatur. Aut enim facit ex sumptione vnius speciei opus obedientiæ, ut propter mandatum Papæ quotannis semel ad altare accedant: aut curat per sua organa, ipsis panem monstrari, includi, circumgestari, adorari, exornari ædificijs, auro, argento, ac similibus nugis, nusquam à Domino præceptis.

Spiritus autem, qui calicem Domini abrogauit, testatur suis ipsis factis, se non esse spiritum veritatis, sed mendacij & homicidij. Quia sanctum virum Dei Iohannem Hussum, seu Protomartyrem, Constantiæ curauit cremari: & ab eo tempore multam innocentis sanguinis copiam propter hunc vnicum articulum effudit. His quippe coloribus pingit ipsum Christus Ioh. 8. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, atq; eius rei pater.

Porrò cum abrogatio calicis honoribus & commodis Sacerdotum mirificè inseruiret, perlubenter operam suam locarunt Sathanae, feuerissimè istud interdictum vrgentes, horribilemq; lanienam vbiq; terrarum exercentes, si quis vel mutire contra auderet.

Gerfon in tractatu contra heresim de communione laicorum sub utraq; specie, in altero Denario, testatur, determinatum & decretum esse, laicos in sumptione corporis Christi, non habere tantam dignitatem, quam am Sacerdotes. Si Laicis, inquit, daretur veraq; species, tunc esset periculum in falsæ credulitatis inductione, & hoc multipliciter. Primò, quòd tanta esset dignitas laicorum circa sumptionem corporis Christi, sicut & Sacerdotum, &c. Hæc dignitas, quam sibi usurparunt, auxit opes, & fouit culinas Sacerdotum & concubinarum. Hinc quotidiana oblationes, Præsentia, & sollemniorum festorum munera. Hinc Cappellania, Præmissaria, Vicariatus, Canonicatus. Hinc opulentissima Collegia & Monasteria. Hinc deniq; optima pars bonorum totius mundi Sacrificulis & Monachis in prædam cessit. Nam si Laici, Reges, Principes, Nobiles & Rustici sciuisent, tantam esse suam in sumenda cœna dignitatem, quam sit Sacerdotum: nec maius esse meritum Missæ laici sacrificij, quàm sumptionis vniuscuiusq; laici, crede mihi, non tanto precio Missas mercati essent, nec rasam & vinctam turbam, venerabile presbyterium scilicet, tantis honoribus affecissent.

Hæc omnia sciuisent Laici, si cum calice Domini etiam vera commemoratio mortis Christi, hoc est, prædicatio Evangelij in legitimo vsu permansisset. Quemadmodum enim vnus est Dominus, vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: nec quisquam gloriari potest se meliori & digniori baptismo tinctum esse, quàm alius quissiam: ita etiam vnum duntaxat est Sacramentum cœnæ Dominicæ. S. Petrus, quòd ad sumptionem cœnæ Dominicæ attinet, non est dignior Iuda: nec accipit aliquid aliud, quàm quòd abiectissimus quisq; inter Christianos accipit: sicut quotidie in Symbolo confitemur: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

## QVINTÆ CLASSIS, DE IIII. ERRORE

Si est communio Sanctorum in omnibus bonis cælestibus, fide, baptismo, precibus &c. cur ergo sacrificuli Canam vendicant sibi solis in peculium, & violenter ad sese rapiunt, quod toti debetur Ecclesiæ? Hæc autem omnia proficiuntur ab idolo avaritiæ & ambitionis. Quomodo vos potestis credere, inquit Christus, qui gloriam à vobis inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non queritis? Iohannis 5. Et rursus: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Math. 6.

Quare autem Christus Sathane & turbae sacrificulorum tantum indulserit, ut spreto mandato diuino laicis calicem interdicerent, & violenter eriperent, docet Paulus 2. Thes. 2. his verbis: Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam.

Quoniam enim Episcopi iam antè à verbo Dei ad traditiones humanas, à sincera doctrina fidei, ad merita nostrorum operum defecerant, atq; insuper ex Sacramento noui Testamenti sacrificium Missæ pro viuis & defunctis finxerant, nec dilectionem veritatis recipiebant, laici verò hanc iniustitiam approbabant, misit Deus vtriusq; efficaciam erroris, ut apertissimo mendacio crederent, atq; interim se insignem reuerentiam Sacramento exhibere & cultum Deo prestare iudicarent. Nonne hæc est efficacia erroris, iniuste agere, & tamen factum defendere?

Nihilominus inter hos errores Christus suam conseruauit Ecclesiam. Quicumq; enim simplici corde crediderunt, filium Dei corpus suum pro ipsis tradidisse, & sanguinem suum pro peccatis ipsorum fudisse, atq; arbitrati sunt, se tam corpus quàm sanguinem non minus accipere in vna, quàm in vtraq; specie, ij coram Deo excusati sunt, aut certè patienter connixit Deus, nec imputauit ipsis hanc inscitiam in peccatum, sed clementer propter Christum igno-  
uit.

Sed de illis, qui nostro tempore vltra omnes admonitiones præfractæ in errore isto perseverant, alia ratio est. Taceo, quòd Iobannes Huss, & alij, qui errori huic apertè contradixerunt, veritatemq; suo sanguine obsignarunt, nec non Græci, & multi alij Christiani, qui Ecclesiæ Romanæ non subiecti fuerunt, neq; in hoc impium Decretum de abrogando calice consenserunt. hi inquam fuerunt vera & electa Ecclesiæ, quamvis externum regimen in Ecclesiæ non obtinuerint.

Pontificia autem turba, contra indubitatum mandatum Christi, contra doctrinam Apostolorum & Patrum, contra morem Christianorum, imò verò contra suum ipsorum Ius Canonicum, laicis calicem tyrannicè eripiens, & contradicentes ferro atq; igni persequens, nullam prorsus habet excusationem. Cæci sunt, & duces cæcorum, qui & ipsi errant, & alios vnâ secum in errorem inducunt. Itaq; non sunt vera Ecclesiæ, etsi ad gubernacula sedent, ac dominium sibi in omnes arrogant.

Præsertim verò hac nostra ætate, vbi clara voce Euangelij iudicium ipsis denunciatur, sit peccatum ipsorum multò grauius, cum neq; admoneri se, neq; corrigi sustineant. Si non venissem, inquit Christus, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent quod prætexant peccato suo Iohan. 15. Ita Faber, si modò verum fateri velit, non ignorat, vtramq; speciem à Christo institutam esse. Nihilominus tamen ita est excæcatus, vt agnitam veritatem omnibus viribus impugnet, instar furiosi, qui quicquid apprehendit, in arma statim vertit. Hoc tandem est peccatum in Spiritum sanctum, quod neq; in hoc neq; in futuro seculo remittetur.

# Quintus error

Canonis,

**Q**uod soli Sacerdotes ritè ordinati, habeant potestatem conficiendi ex pane & vino corpus & sanguinem Christi, super altari, in Missa.

In principio huius libri audiuius, Fabrum partiri substantiam Missæ in tria: in consecrationem, oblationem, & communionem. De duabus posterioribus partibus, oblatione videlicet & communionem, hæcenus prolixè egimus. Nunc in refutatione quinti erroris Canonis de consecratione tractabimus. Colligit autem Faber & expressè ponit has tres Conclusiones.

Germ. fol. 34. 20. 18.  
Lat. fol. 57. 35. 31.

Soli Sacerdotes ritè consecrati habent potestatem, ore suo conficiendi corpus & sanguinem Christi ex pane & vino, super altari in Missa.

Germ. fol. 138.  
Lat. fol. 238.

Simul ac verba in Missa super panem prolata sunt à Sacerdote ritè initiato, transit panis in Christi corpus. Et quàm diu externa species permanet, simul etiam corpus Christi permanet, siue accipiatur, siue non, donec sacramentalis species consumatur.

Germ. fol. 140. 142.  
Lat. fol. 242. 245.

Species panis pro infirmis vel agrotis includenda & asseruanda est: & in festo corporis Christi circumgestanda, debita cum reuerentia ac solenni iubilo: interna quoque & externa leticia colenda atque adoranda.

Has conclusiones Faber conatur asserere sacris literis, & Patrum scriptis, à folio decimo quarto vsque ad quadragesimum. Et rursum à folio centesimo trigesimo octauo, vsque ad folium centesimum quadragesimum sextum, que in exemplari Germanico, quadraginta integra folia, in Latino sepruaginta occupant. Simul etiam grauiter inuehitur, partim in eos, qui veritatem carnis & sanguinis Christi

Christi in Missa negant, partim in eos, qui extra Missam apud  
 aegros Sacramentum consecrant & celebrant. Quomodo autem  
 hæc omnia cum scripturis sacris & doctrina Patrum conveniant,  
 deinceps ordine exponemus.

PRIMÆ CONCLUSIO-  
 nis refutatio.

Ad primam Conclusionem Fabri hæc sit mea simplex & dilu-  
 cidarefensio:

Vim & efficaciam consecrationis non proficisci ex Ordine &  
 initiatione Sacerdotum, ac proprietatibus huic Ordini attributis.

Eandem non consistere in consarcinatis & mutilatis verbis  
 primæ institutionis, qualia quidem Canoni inserta sunt.

Virtutem & operationem Consecrationis consistere tantum in  
 prima institutione, quemadmodum à tribus Evangelistis & D.  
 Paulo descripta est.

Esi enim Faber nullam peculiarem mentionem facit de Sacra-  
 mento Ordinis, deq; Sacerdotum unctione, tonsura, calibatu,  
 caractere indelebili: tamen hæc omnia complectitur generali vo-  
 cabulo. Hoc utiq; Sacramentum, inquit, nemo potest consecrare

nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ.  
 Quibus verbis non solum exigit enumeratas proprietates, utpotè  
 necessarias partes consecrationis, sed excludit etiam omnes mini-  
 stros Ecclesiæ non ordinatos ritu Papistico, à potestate consecran-  
 di, licet aliàs legitime ad prædicationem Evangelij sint vocati, ac  
 cœnam ritè iuxta institutionem Christi peragant: vocatq; sacrile-  
 gium, audaciam, inobedientiam, contumaciam.

Fatemur sanè cum Apostolo, neminem sibi ipsi debere usurpa-  
 re honorem sacerdotij, sed eum qui vocatur à Deo, quemadmo-  
 dum &

Germ fol. 34.  
 Lat. fol. 57.

Germ fol. 140.  
 Latin. fol. 242



QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

dum & Aaron. Heb. 5. Fatemur etiam omnia debere ordine & decenter fieri in Ecclesia. 1. Cor. 14. Ministrum autem Ecclesie à Suffraganeo septem Ordines & indelebilem characterem anime accipere, vngi, tonderi, & cœlibem esse oportere, merè sunt traditiones hominum, quibus frustra Deus colitur. Matth. 15. Sufficit enim, ut minister precibus commendetur populo, & impositione manuum, alioque externo signo, pro libertate Christiana, ad ministerium Ecclesie publicè designetur atq; confirmetur.

Nam Dominus noster Iesus Christus in institutione ministerij Ecclesiastici nullam certam formam præscripsit ordinandi ministros, neq; singulares quasdam ceremonias in electione Apostolorum adhibuit, multo minus certæ cuiusdam formæ Ordinationis promissiones gratiæ suæ adiunxit.

Itaq; manifestum est, Ordinem Sacerdotalem cum suis conditionibus non esse sanctum Sacramentum. Sicut enim nemo ex seipso gratiam & remissionem peccatorum promittere vel largiri potest, nisi Deus solus, ita etiam nulli hominum licet instituere signa gratiæ, quæ Sacramenta nuncupantur: sed solus Deus potestatem ea instituendi habet.

Ita Apostoli Mathiam sine Chrismate & impositione manuum, sola oratione & diuina sorte elegerunt & consecrarunt in Apostolum. Act. 1. Et D. Paulus, qui præ cæteris Apostolis, formam ordinandi ministros Timotheo, & Tito præscripsit, tantum duorum Ordinum mentionem facit: Episcoporum & Diaconorum. Reliqui quinque, videlicet Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acoluthi, Subdiaconi, postea demùm ab hominibus inuenti sunt: teste Durando in Rationali lib. 2. Rub. 2.

Et quidem res ipsa loquitur, istos Ordines non ex Deo esse, sed ex hominibus.

Primum enim ipsi Scriptores Pontificij non consentiunt de numero. Alij, in quibus est Durandus, faciunt septem Ordines. Alij,

Alij, vt Isidorus, facientes discrimen inter Psalmistas & Lectores, octo numerant. Hugo deniq; nouem recenset, quorum primus sit consura: vltimus Episcopatus. lib. 2. de Sacra. Parte 3. cap. 4.

Deinde, Quatuor infimi Ordines, Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, & Acoluthi, prorsus sunt ridiculi & pueriles, quibus nullus spiritus, nulla virtus subest: vt potè quibus duntaxat negocium est cum ostijs, funibus, campanis, candelabris, cereis, & similibus egenis elementis, & rebus fluxis atq; caducis, quæ ipso vsu pereunt.

Postremò, Quatuor prædicti Ordines iam dudum collapsi sunt, nec iam amplius à Clericis, sed laicis, aditus, scholasticisq; Choralibus, procurantur. Quæ omnia sunt certissima indicia, hos Ordines non à Deo, sed ab hominibus plantatos esse.

Porro quemadmodum Paulus ignorat septem Ordines, ita & Characterem indelebilem ignorat. Fiuolum enim est, quòd nonnulli hùc detorquent verba Pauli 1. Timoth. 4. Ne neglexeris quòd in te est donum, quòd datum est tibi per Prophetiam cum impositione manuum, auctoritate Sacerdotij. Nullius characteris meminit Paulus: nec dicit per impositionem manuum illapsam esse Timotheo cælestem & diuinam quandam virtutem, aut characterem animæ, quo idoneus factus sit ad ministerium prædicandi Euangelij, sed vocat χάρισμα. Certum est, χάρις & χάρισμα non semper significare occultum donum siue gratiam, sed interdum etiam ipsum officium docendi: vt Rom. 1. Per quem accepimus χάρις καὶ ἀποστολή, vbi gratiam vocat ipsam muneris Apostolici functionem.

Sic & Timotheus per impositionem manuum presbyterij accepit officium & munus docendi, & hoc externo signo coram omni populo ad prædicandum Euangelium declaratus & confirmatus fuit.

Vbi autem Doctor & Pastor populi non facit suum officium,

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

quod ipsi per impositionem manuum demandatum est, tum negligit suum *χρῆσμα* seu donum: vel ( ut Pontificij loquuntur ) delectus & extinctus est character eius, ita ut nullum sit discrimen inter talem & laicum. Qua de re supra Centuria 3. de communione laica, prolixius dictum est.

Ex quibus colligitur, fictitium istum Characterem sacrificulorum non minus esse commentum humanum, quam Sacramentum septem Ordinum.

Nisi forte aliquis characterē illum, de quo Apocal. 14. scribitur, interpretetur de indelebili Missariorum characterē: cui quidem non admodum refragabimur. Si quis, inquit, adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Et mox: Fumus tormenti eorum ascendit in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorant bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

Provideant ergo Sacrificuli, characterem suum indelebilem semper iactitantes, ne aliquando pœnas in Apocalypsi denunciatas, hoc characterē dignas luant. Et luent profecto, nisi relicta idolatrica Missa primo quoque tempore dignos fructus pœnitentiæ proferant.

Non dissimile est iudicium de unctione & consura: quæ à Christo & Apostolis nequaquam profecta, sed ex stolidis hominum traditiunculis orta sunt: desumpta partim ex lege Mosaica, quæ iam pridem per Christum ipsiusque Evangelion abrogata est: partim ex idolatricis Ethnicorum cultibus, quos abominatur Dominus.

Sic enim scribit Durandus in Rationali lib. 1. Rub. 9. Notandum, quod manus Presbyteri ab Episcopo unguuntur, ut cognoscat, hoc Sacramento se per Spiritum sanctum suscipere virtutem & gratiam consecrandi. Unde Episcopus eas unguens dicit: Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem & nostram benedictionem, ut quæcumque consecrauerint, consecrentur,

et, & quacunq̄ benedixerint, benedicantur, in nomine Domini, &c. Si autem scripturarum testimonia ab ipso petamus, respondet lib. 2. Rub. 10. Sacerdotalis, inquit, Ordinis institutio à veteri lege exordium sumpsit: Dominus namq̄ legitur præcepisse Mosi: Applica fratrem tuum Aaron ad te cum filijs suis, de medio filiorum Israël, vt Sacerdotio mihi fungantur. Leuit. 8.

Quod verò attinet ad tonsuram sacrificulorum, causam reddit Hieronymus super Ezechielem cap. 44. quare Dominus Leuiticis Sacerdotibus prohibuerit, ne caput radant. Leuit. 21. Videlicet, quòd cum Sacerdotes Isidis & Serapis in Ægypto, in honorem idolorum suorum capita radere solerent, voluerit Dominus discrimen extare inter Sacerdotes Dei, & Sacerdotes idolorum, ideoq̄ capita Leuiticorum tondere & radi prohibuerit. Nostri autem Missarij non solum Leuiticis Sacerdotibus vnctione, sed idolatris etiam tonsura similes sunt. Quapropter si omninò Sacerdotes dici volunt, non Christiani, sed Iudaici & Gentiles dicantur.

Quanquam autem Patres & Romani Pontifices, post Apostolorum tempora, Ordinem sacerdotalem pluribus ceremonijs cumulauerint, peculiari vestitu, & constituto tempore: tamen cum non ordinauerint sacrificulos Missarios, sed ministros docentes. Euangelion, & dispensantes Sacramenta, merentur aliquam excusationem. Voluerunt enim publicum ministerium, & vocationem legitimam his ritibus ornare, & populo quasi ob oculos pingere, quam personæ esset vocata ad prædicandum Euangelion, ad baptizandum, absoluendum, & distribuendum cœnam Dominicam. Nihil enim aliud re vera est Ordo ille, quam ordinaria vocatio, & mandatio ministerij Ecclesiastici.

Sed hæc ordinatio bono consilio à Patribus instituta, tandem degenerauit in consecrationem sacerdotum, ad celebrandum sacrificium Missæ. Sic enim plerumq̄ ex bona intentione & traditione hominum, varia scandala, errores & idolatriæ emergunt, posteaquam spiritus & fides Patrum euauit.

Hinc

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Hinc iam Suffraganei, præter commune nostrum, & in baptismo collatum sacerdotium, aliud quoddam præstantius comminiscuntur, non ad docendum (vt Patres solebant) sed ad sacrificandum. Ita enim scribit Durandus in Rationali lib. 2. Rub. 10. Sacerdotes, inquit, accipiunt de manu Pontificis calicem cum vino, & patenam cum hostia, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse cognoscant, placabiles hostias, & corpus & sanguinem Christi offerendi. Vnde Episcopus hæc tribuens dicit: Accipite potestatem offerendi sacrificium Deo, Missamq̄ celebrandi, tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.

Ita verò & baptismi virtus eneruatur, & Christi obscuratur meritum. Sumus enim iam antea à summo nostro Pontifice Christo tanquàm patre nostro, & sponsa eius Ecclesia tanquàm matre nostra, in baptismo regenerati ad regale sacerdotium: & uncti non fœcido oleo, sed spiritu sancto, ad offerendum hostias spirituales, & prædicandum virtutes illius, qui è tenebris nos vocauit in admirabilem suam lucem 1. Pet. 2. Nec opus habemus nouo aliquo caractere, Chrismate, tonsura, ad nouum & sanctius sacerdotium, diuersum ab eo, quod in baptismo accepimus. Itaq̄ Episcopi ordinaturi veros ministros Ecclesiæ, nihil aliud agere debebunt, quàm vt ex catu horum renatorum sacerdotum, aliquas personas idoneas seligerent & vocarent ad ministerium Ecclesiæ: easq̄ precibus & impositione manuum, alijsq̄ ritibus, pro libertate Christiana licitis, publicè, & solenniter declararent, & Ecclesiæ commendarent, citra superstitionem. Qui mos, per gratiam Dei, in Ducatu Wirtembergico, non inutiliter obseruatur.

Sed concedamus sanè, Ordinem esse diuinum Sacramentum: quò fit ergò, quod iuxta se ferre nequeat coniugium, quod æquè ac Ordo inter septem Sacramenta numeratur? Scribit enim Gratianus Dist. 27. Can. Presbiteris. Calixtum Papam Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis vniuersis matrimonio interdixisse. Ergò  
ne Sa

ne Sacramentum Sacramento aduerfatur? Imò verò hoc ipsum indicio est, Ordinem istum Clericalem, non solum non esse diuinum Sacramentum, sed ipsissimi Diaboli inuentum. Nam Paulus prohibitionem matrimonij inter doctrinas demoniorum & spirituum impostorum recenset. 1. Tim. 4. Contrà vult, Episcopum esse vnius vxoris maritum, liberos habentē fideles, non obnoxios luxui. Tit. 1. & 1. Tim. 3.

Quæ dicta Pauli etsi nonnulli interpretentur de Bigamis, qui ante Ordinem susceptum duas vxores successiuè habuerint, aut viduam duxerint: tamen ipse Hieronymus, qui aliàs non satis honorificè de coniugio sensit, refragatur, in epistola ad Oceanum. Sciebat, inquit, Apostolus, lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Moyfi familiare populo nouerat, in multis vxoribus liberos spargere: ipsis quoq; sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam Ecclesie sibi vendicent sacerdotes, ne bina pariter & terna coniugia sortiantur, sed singulas vno tempore vxores habeant. Hec ille.

Si ergò Ordo sacrificulorum, cum suis partibus, caractere, tonsura, chrismate, cœlibatu &c. non est diuinum Sacramentum, sed purum putum figmentum humanum, seu potius doctrina demoniorum, vt iam dictum est, qua fronte audet Faber affirmare, Sacerdotes tali ritu consecratos, solos corpus & sanguinem Christi ex pane & vino conficere?

Porro, quemadmodum virtus consecrationis non consistit in Ordine, & nugis adiunctis: ita nec consistit in consarcinatis & mutilatis verbis primæ institutionis, vt inserta sunt Canonis. sicut enim Mahometus in Alcorano suo, multa ex sacris literis allegat, sed ea suis sterquilinijs conspurcata Poëticis fabulis consimilia facit: ita primi authores Canonis, verba primæ institutionis (quæ dicuntur verba consecrationis) non bona fide, & simpliciter iuxta Euangelistarum verba descripserunt: sed pro sua libidine nunc

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

addiderunt nunc detraxerunt aliqua, contra expressum mandatum Dei: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas. Deut. 12. Et Christus præcipit: Hoc facite, videlicet, hoc ipsum quod ego feci, & vobis mandavi.

Sed audiamus has male consuti Canonis corruptelas. Primum, his verbis, (Accipit panem) addiderunt de suo: In sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum, ad Deum patrem suum omnipotentem.

2. Ad hæc verba (Accipite, edite) adiecerunt (Ex hoc omnes) quæ verba cum Euangelistæ tum Paulus non panem sed soli calici adhibent.

3. In hæc verba (Hoc est corpus meum) intruserunt voculam, Enim.

4. His verbis (calix noui Testamenti) assuerunt: Aeterni &: Mysterium fidei.

In summa, verbis primæ institutionis, quæ ab Euangelistis & Paulo descripta extant, adiecerunt viginti vocabula & amplius. Interim verò omiserunt verba consolationis plenissima (Quod pro vobis traditur) quibus verbis Christus omnes fructus cœna nobis in peculium donat. Et quamuis hæc verba (Accipite, Edite, Bibite, Hoc facite in mei commemorationem) non omitant, sed historica narratione recenseant, tamen frustra, & in ventos manes euolant: nec dicuntur ad circumstantes homines, sed ad surda & inanimata altaria, tabulas, candelabra, cereos, columnas &c. & perinde est, ac si prorsus illa verba omitterent.

Et si verò Gabriel Biel lect. 36. A. & Innocentius 3. In Ca. de Celeb. Missa. Cum Martha. non parum sudent, vt istas additiunculas excusent, tamen nihil proficiunt. Quamuis enim verba adiecta, per se sancta & bona sint, alijsq; in locis scripturæ reperiantur, ac possint paraphraseos vice in verbis primæ institutionis tolerari: tamen cum tam necessaria esse fingant ista verba, vt no  
minimam

minimam quidem voculam (Enim) sine peccato mortali omitti posse Gabriel asserat, cumq; Canonem ipsis verbis diuinis præferant, non dubium est, quin sacrilegium & blasphemiam committant.

In Epitomâ  
Canonis lect. 38.

Ac si maximè reliqua omnia assuta verba tolerari possent, tamen hoc nequaquam ferendum est, quòd Faber hisce verbis (Elevatis oculis in cælum, ad te Deum patrem suum omnipotentem) sacrificium Missæ stabilire conatur: quemadmodum suprâ in classe Evangelistarum audiimus.

Sed & hæc sutela non ferenda est, qua Faber aquæ in vino admixtionem, tanquam substantialem & necessariam partem consecrationis obrudat. Non negamus quidem perinaciter, calicem dominicum in cæna aquam admixtam habuisse, cum pro more illarum regionum rarò bibatur merum, hoc est, vinum non dilutum. Facemur etiam priscos Patres aquam vino admiscuisse, ad significandam infusionem seu incorporationem populi in Christum. Attamen cum Christus in prima institutione nullum expressum hac de re mandatum dederit, cumq; in cæna nihil aliud facere debeamus, teste Cypriano, quàm quod Christum fecisse scimus, non patimur nos hac traditione, tanquam necessaria lege, constringi, sed libertatem nobis à Christo relictam vindicamus.

Gertr. fol 35.  
Lat. fol 52.

Et fatetur ipse Faber, Christum non instituisse in vltima cæna, ut aqua vino admisceretur, sed Ecclesiam hoc statuisse: & adscribit hanc Constitutionem Alexandro huius nominis primo, Pontifici septimo, qui circa annum Domini 120. vixisse traditur.

Augustinus de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 75. Aqua mixtum fuit vinum, non illud quod post cænam dabatur, sed quod de latere eius lancea perfo, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum ostenditur.



## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Quamuis autem Cyprianus cum Augustino, sanguinem & aquam, quæ ex perfosso latere Christi effluerunt, accomodent ad calicem cœnæ, quòd is quoq; aqua miscendus sit, tamen Chrysostomus, & ipse Augustinus alibi accomodant ad baptismum.

Chrysostomus Homilia 84. in Iohannem cap. 19. Exiuit sanguis & aqua. Non casu & simpliciter hi fontes scaturierunt: sed quoniam ex ambobus ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati, per aquam. n. regenerati, sanguine & carne nutriti. Hinc mysteria ortum habent, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tantumquam ab ipso latere hauriens, accedas.

Augustinus sermone 119. de tempore. Si crucem vides, attende & cruorem. Si vides quod pendet, attende quod fuit. Lancea perforatum est latus Christi, & manauit precium nostrum. Ideo signo Christi signatur baptismus, id est, aqua vbi tingimini, & quasi in mari rubro transitis. &c.

Quandoquidem ergò nude allegoriæ non constituunt præceptum: & sanguis cum aqua è Christi latere effusus, tam ad baptismum quam ad cœnam accomodari potest, relinquitur, Fabri opinionem non niti certo præcepto Dei, sed ambigua interpretatione Patrum, & traditione humana.

Aliqui etiam ex scholasticis Doctoribus fatentur, non esse necessarium præceptum, de aqua vino admiscenda, sed esse decorum & honestum. Nam de Consecra. Dist. 2. Can. Sicut, inquit Glossa: Dicunt aquam esse admiscendam in calice **DE HONESTA TETANTVM.**

Thomas Aquinas super 4. Dist. 11. Quest. 2. Aqua debet apponi vino propter institutionem, quia Dominus apposuisse probabiliter creditur ex more illius patriæ: quia vinum ibi sine aqua nunquam bibitur propter vini fortitudinem. Quamuis de aqua in Euangelio mentio non fiat, quia non est principalis materia in hoc Sacramento.

Bonaventura super 4. Dist. 11. Questione 3. Non apponentes aquam possunt se excusare per ignorantiam facti, quia Dominum hoc fecisse nesciebant, cum **NON HABEATUR EX SCRIPTURA.**

Ibidem. Aliqui tamen volunt dicere, quòd aqua non conuertitur in Sacramento, sed tenet semper rationem aquæ, & est ibi propter significationem solum.

Richardus super 4. Dist. 11. Articulo. 3. Ostendo, quòd aqua non sit vino apponenda, quia non legimus Dominum apposuisse aquam.

Et mox: Dominus apposuit aquam, non tamen tanquam de Sacramenti necessitate, sed congruitate.

Sin autem Faber omninò perseuerat, aquam, quæ ex latere Christi effluxit, intelligendam esse de calice cœnæ diluendo, & significari per hanc admixtionem aquæ, adunationem populi cum Christo: vide obsecro, quàm planè sui ipsius sit oblitus. Suprà in tertio errore Canonis vehementissimè contendit, quamuis calix cœnæ Christianam communitatem atq; unitatem cum Christo omnibusq; fidelibus significet: dicente Paulo: Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et rursus: Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, nam omnes ex eodem pane, & eodem calice participamus: Tamen necessarium non esse propter hanc significationem, laico calicem porrigere. Sufficit, inquit, cuius Christiano, vt publica hac Sacramenti huius sub gemina specie tractatione, versatione & perceptione, quæ sub totius Ecclesie conspectu ab Sacerdote geruntur, in fusi sanguinis Christi memoriam redeat, & Sacramenti huius perspectam habeat efficientiam & operationem.

Hoc autem loco, ex fortuita allegoria Cypriani, quòd aqua populum denotet, necessariam legem prescribere vult: Aquam cum vino in calice cœnæ commisceri oportere, alioquin sanguinem Christi futurum esse sine nobis. En significatio calicis, diuino verbo ex-

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

pressa, nihil valet in oculis Fabri: sed significatio ab hominibus excogitata, hæc valere debet. O Hypocrita. Benè de te, tuoq; sodalicio vaticinatus est Christus ex Esàia: Frustrà me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et rursus: Quare transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Nihil sane opus erat hac allegorica significatione aque & vini in calice. Habemus enim (Deo sit laus) multo firmitus solidiusq; vinculum coadunationis cum Christo, videlicet substantialem & realem communicationem corporis & sanguinis eius in cœna, per quam ipse in nobis, & nos in ipso sumus.

Hæc dixisse sufficiat de additiunculis, quas in Canone verbis Christi assuerunt. Ea verò quæ detraxerunt, multo minus excusari queunt. Nam hæc verba (Quod pro vobis traditur) in Canone ommissa, sunt caput huius Sacramenti, quippè quæ nobis remissionem peccatorum, vitam & salutem in Christo offerunt & exhibent. Nam qui verbis illis fidem adhibet, verè accipit id quod promittunt, videlicet, remissionem peccatorum. Quam promissionem gratiæ & consolationis plenissimam, dum sacrificiuli omittunt, Ecclesiam preciosissimo thesauro spoliant: remissionem scilicet peccatorum, quam nobis Christus corpore suo tradito peperit, & hisce verbis promisit atq; obtulit. Sed parùm hæc curant Missarii, persuasi, se habere aliud & præstantius sacrificium pro peccatis vivorum & mortuorum, videlicet Sacrificium Missæ, quod Patri cœlesti quotidie sistunt, & pro peccatis suis immolant.

Iam & hoc nullo modo excusari potest, quòd verba hæc (Accipite edite: Accipite bibite, Et: Hoc facite in mei commemorationem) in cassum proferunt, nec re ipsa præstant id, ad quòd omnes invitant: cum nullos habeant homines, ad quos loquantur. Vult autè Christus, ut non nobis solis hunc tantum thesaurum corporis & sanguinis sui referuemus, sed ut alijs etiam cõmunicemus. Nam hæc verba, Accipite, edite, Facite in mei cõmemorationem, sunt eiusdem

dem Domini verba, cuius sunt superiora: Hoc est corpus meum.  
Hic est sanguis meus: & indiuisè cum illis coherent.

Etsi igitur videtur in Missa priuata esse verum Sacramentum, corporis & sanguinis Christi, propterea quòd sacrificulorum verba primæ institutionis super panem & vinum recitare soleat: tamen, si rem diligentius expendamus, cognoscemus, quòd in Missis priuatis & in manibus sacrificulorum non sit nisi vulgaris panis, & commune vinum.

Manifestum enim est, quòd priuata Missa non fiat secundum voluntatem & institutionem Christi in cæna sua. Voluntas enim Christi est, quòd in cæna sua debeat fieri publica commemoratio & prædicatio mortis sue, & dispensatio Sacramenti cænæ: Accipite, inquit, & comedite, & bibite ex hoc omnes. Et, hoc facite in mei commemorationem. His verbis perspicuè significat Christus voluntatem suam, quòd instituat cænam hoc consilio, vt fiat prædicatio beneficiorum eius, & Ecclesia sumat cænam, qua fiat caro vna, & vnus sanguis cum ipso. In priuata autem Missa, nec fit publica prædicatio mortis Christi, nec dispensantur Ecclesie panis & vinum, quæ proposita sunt. Quare priuata Missa non fit, nec obseruatur iuxta voluntatem & institutionem Christi in cæna sua.

Fieri autem non potest, vt cum priuata Missa non fiat iuxta voluntatem & institutum Christi, contineatur in ea verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Hoc enim Sacramentum sanctificatur, & vt illi loquuntur, consicitur, & consecratur, non humana sed diuina filij Dei voluntate: Vbi autem deest voluntas filij Dei, ibi humana voluntas, etiamsi omnes vires suas in vnum conferat, nihil efficere potest. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Et: Non sumus idonei ex nobis, nec cogitare quidem quicquam. Non est igitur dubium, quin in priuata Missa, non sit verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Quantum

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Quamquam autem non tantum consecrans, sed etiam sumens Sacramentum potest eo contra voluntatem Christi abuti: tamen abusus sumentis non tollit veritatem Sacramenti, si antea vere consecratum fuerit. Consecrans in priuata Missa, quia non sequitur voluntatem & institutum Christi, nondum habet veritatem Sacramenti. Ideoq; non accipit verum Sacramentum.

Huc pertinet exemplum circumcisionis Iudaicae & Turcicae. Priusquam enim venit Christus, & vulgavit Euangelion suum, in orbem terrarum, circumcisio fuit in veteri Testamento verum Sacramentum. Erat enim tunc voluntas & institutum Dei, ut Israëlita circumciderentur, & circumcisio in Ecclesiam populi Dei infererentur. Nunc autem, postquam circumcisio abrogata est per Euangelion, non est amplius Sacramentum, etiamsi Iudaei aut Turcae adhuc circumcidantur. Deest enim ei verbum seu voluntas Dei, & abolita est institutio eius. Sic etiam panis & vinum in Missa priuata, non sunt verum Sacramentum, quia talis Missa non est coena dominica. Quare etsi sunt in ea panis & vinum, tamen non sunt ibi corpus & sanguis Christi. Ideoq; non est ibi verum Sacramentum.

Sunt & inter Scholasticos Doctores, qui sentiunt, quod non sufficiat intentio (vt ar enim verbis eorum) consecrantis absolute: sed oportet, quod sit conformis intentioni Sacramentum instituētis. Bonauentura in Compendio Sacrae Theologiae lib. 6. Rub. 11. Sic dicit: Sciendum, quod in Sacramento altaris non solum requiritur intentio consecrantis, sed etiam intentio istud Sacramentum instituētis: Vnde si aliquis Sacerdos staret in foro, & super omnes panes proferat formam verborū, etiam cum intentione cōsecrandi, non fieret ibi transsubstantiatio. Et hoc non est propter defectum virtutis illorum verborum, cum Sacerdos vna vice consecrare posset tot hostias, quot toti mundo sufficerent, si esset necessitas Ecclesiae, sed est propter defectum intentionis illius, qui hoc Sacramentum

cramentum instituit, qui non intendit, quòd cum tali ludibrio, vel stultitia vel fatuitate fieret consecratio, sed pro utilitate & necessitate Ecclesiæ generalis vel particularis.

Similiter Gabriel Biel Lect. 6. Litera C. In consecratione, inquit, minister debet intendere, facere illud quod Ecclesia intendit. Intendit autem Ecclesia facere per suos ministros institutos, quod fecit Christus. Et quid fecit Christus? Certe benedixit, gratias egit, fregit, & dedit discipulis suis dicens: Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum.

Etsi autem ea de re alij aliter sentiant, & illi ipsi hanc intentionem ad Transubstantiationis figmentum detorqueant: tamen Hugo & Gabriel satis testantur, quòd Missa priuata, in qua non fit publica commemoratio, seu prædicatio mortis Christi, & dispensatio Sacramenti cœnæ, non conueniat cum intentione & voluntate instituentis Sacramentum. Quare etiam Scholasticorum Doctorum confessione non potest esse verum Sacramentum in priuata Missa.

Nam quod Augustinus dicit: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, rectè quidem loquitur. sed danda est opera, ut nos quoque rectè intelligamus. Non enim semper fit Sacramentum, si quouis modo verbum accedit ad elementum: sed tùm demùm elementum fit verè Sacramentum, si verbum accedit ritè, si iuxta sententiam & voluntatem instituentis Sacramentum, si non scurriliter, si non ludibrio, nec mendaciter accedit. Num si quis sumpta aqua susciperet campanam, equum aut astrum baptizandum, & adderet aquæ verbum, fieret ne ex aquæ elemento Sacramentum? Nihil certè minus. Verbum enim non accederet ad elementum ritè, & secundum voluntatem eius, qui usum baptismi instituit. Eodem modo, si quis Sacrificulus sumpto pane & vino misisset verba consecrationis, ut hac actione sacrificet Deo corpus & sanguinem Christi, & expiet peccata viuorum, ac liberet mortuos ex

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

igne purgatorio : num faciet ex pane & vino Sacramentum corporis & sanguinis Christi? Minimè omnium. Etsi enim hïc videtur verbum accedere ad elementum, non tamen accedit ritè, non legitimè, non secundum sententiam & voluntatem instituentis.

Dicit enim Christus : Accipite, edite, bibite, quæ verba inuitant Ecclesiam ad communionem. Missarius autem etsi hæc verba profert, non tamen inuitat, nec etiam admittit Ecclesiam ad communionem, sed solus ipse vescitur. Itaq; quod dicit, vel simulanter, vel mendaciter dicit. Quare fieri non potest, vt ex pane & vino missitantiũ sacrificialorum, in priuatis Missis, fiat verum Sacramentum, quo verè sit sacramentaliter præsens corpus & sanguis Christi. Quòd si autem in priuatis Missis non est sacramentalis præsentia corporis & sanguinis Christi, manifestum est, quòd non fiat ibi tale sacrificium, quale hætenus Sacrificiũ somniarunt. Et cum obrudunt Ecclesia nudum panem & vinum spectanda & adoranda, facile intelligi potest, quantis periculis superstitionis & idolatriæ Ecclesiam secum inuoluant.

Germ fol. 34. 10. 18  
Lat. fol. 57. 33. 31.

Ceterum, quòd Faber affirmat, Sacerdotes habere potestatem, conficiendi corpus & sanguinem Christi, ORE suo, nimis crasse loquitur. Aut enim loquitur de substantia corporis & sanguinis Christi, vt sonat litera : aut de sacramentali vnione panis & vini cum corpore & sanguine Christi. Vtrum vis, ex aquo horrendum auditu est.

Si enim sentit, Sacerdotem ore suo, hoc est, prolatione verborum, imò potius halitu suo, & missitatione horum verborum (Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus) substantiam panis & vini transmutare in corpus & sanguinem Christi, atq; ita corpus & sanguinem Christi conficere ORE suo, pugnat è diametro cum simbolo fidei nostræ, in quo primum confitemur omnipotentiam Dei, omnia creantis & facientis per verbum suum. Iohan. i. Omnia per ipsum (verbum) facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Deinda

Deinde confitemur etiam, Christum natum ex Maria virgine, hoc est, *assumpsisse corpus & sanguinem suum ex substantia carnis & sanguinis Mariæ, veri seminis Abrahæ & Davidis: idq; virtute & operatione Spiritus sancti. Proinde sicut Paulus loquitur, factus est ex muliere Gal. 4. non ex pane & vino, hanc eandem carnem retinet adhuc ad dextram Dei patris, & hac eadem carne pascit nos ad vitam æternam: nec vult sibi quotidie ore sacerdotis novam carnem affingi. Itaq; sacrificuli in Missa sua non habent veram carnem & sanguinem Christi, quæ à Spiritu sancto ex carne & sanguine Mariæ virginis confecta sunt: sed talem carnem, quæ iuxta ipsius Fabri confessionem ORE Sacerdotis confecta est ex substantia panis & vini. Hæc autem caro non prodest quicquam. Iohan. 6.*

Si autem loquitur de sacramentali unione panis cum corpore, & vini cum sanguine Christi, non minus impiè sentit & contra officium Christi. Quemadmodum enim baptizans, ex opere operato non conficit baptismum, sed baptismum iam antè à Christo confectum, verbo & institutione sua, dispensat & administrat, tanquam minister & œconomus. Ita quòd in cæna panis & vini sicut Sacramentum corporis & sanguinis Christi, non est sicut in Sacerdotis potestate & ore, sed in mandato & institutione Christi, qui solus ex pane & vino corpus & sanguinem suum conficit (si modo sacramentalis unio verbum conficiendi admittit) ab exordio primæ cænæ usq; ad finem mundi. Sacerdotis autem officium consistit tantum in ministrando et præbendo id, quod antea confectum est. Deniq; tam procul abest, ut substantia cænæ sita in hominis confectione sit, ut nec mutari ab eo possit. Si autem quis mutare eam conetur, iam nulla erit cæna sacra, cum non adsit Christus, nec ipsius observetur constitutio.

Porro, quem admodum vis consecrationis non consistit in consarcinatis & mutilatis verbis Canonis insertis: ita etiam non consistit in nuda recitatione eorum verborum, quæ à nobis in actione cænæ proferuntur (quemadmodum nonnulli supersticiosi iudi-



QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

cant) sed in sententia & intentione Christi, qua primam cenam instituit. Etsi enim illa verba omnia ex prima institutione cenæ desumpta sunt, nihilq̄ alieni ipsis admiscetur, nihil item necessarium omittitur, aut frustra in ventum euandum profertur (vt in Canone fieri solet) tamen non singula verba ex omnibus tribus Euangelistis & Paulo iuxta singulos apices & syllabas à nobis in forma consecrationis vsurpantur. Quòd si vis consecrationis in nuda recitatione verborum sita esset, necesse foret, aut singula singulorum Euangelistarum verba ordine & sigillatim super panem & vinum proferre: aut omnia illa verba in vnâ perpetuam orationem conflare, ita vt ne vnum quidem verbulum omittetur. Quàm absurdum autem & obscurum foret hoc confusum orationis chaos?

Etsi enim tres Euangelistæ & Paulus in describenda cenâ pulcherrimè conueniunt ipsa sententia, tamen non iisdem verbis singuli vtuntur. Cum autem non habeamus expressum mandatum, cuius nam Euangelistæ & Apostoli verbis ad consecrandum vi debeamus, ac impossibile sit singula singulorum verba vna aliqua dilucida & intelligibili oratione completi: sufficit nobis, si ea dumtaxat verba proferamus, quæ substantiales partes cenæ continent. Prima enim Christi institutio efficax permanet, quoad vsq̄ Dominus redierit. 1. Cor. 11. Quia nullum est discrimen inter illam cenam, quam Christus cum discipulis suis celebravit, & eas, quæ in nomine eius, legitimè in Ecclesia celebrantur, vsq̄ ad consecrationem seculi. Sed quemadmodum sacrificium crucis, vnicum & æternum sacrificium expiatorium, efficax est ad expianda totius mundi peccata: & quemadmodum Christus Iordanem & alias omnes aquas ad ablutionem peccatorum efficaciter consecrauit baptismo suo, quo semel baptizatus est: ita prima institutio cenæ est vnica & perpetua consecratio, qua panis & vinum in omnibus & singulis cænis, quæ in nomine Christi legitimè peraguntur,

aguntur, sunt communicatio corporis & sanguinis Christi, vsq; ad finem mundi. Itaq; nulla est discrepantia inter illam primam, & omnes alias subsequentes cœnas: quam quod illa Christus immediate suo ipsius ore & suis ipsius manibus præbuit: alias autem cœnas exhibet quidem & ipse, sed per os & manus Apostolorum, & omnium aliorum ecclesiæ ministrorū, qui ritè & legitime vocati sunt.

Etenim verba illa ( Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Accipite, bibite, ex hoc omnes, Hic est sanguis meus, ) non sunt verba ministri Ecclesiæ ( alioquin ministri corpus & sanguinem ederemus & biberemus ) sed sunt ipsius Domini nostri Iesu Christi verba. Quemadmodū Euangelistæ in precedentibus verbis testantur: Iesus accepto pane, benedixit, fregit, deditq; discipulis suis dicens: Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Similiter & calicem, &c. Hæc verba non audimus tanquàm ex persona ministri, sed ipsius Christi præsentis & nobiscum loquentis. Minister enim non loquitur ea ex se, proprio arbitratu, sed ex mandato & ordinatione Christi: Hoc facite in mei commemorationem. Et Paulus inquit: Ego enim à Domino accepi, quod & tradidi vobis. Verba ergo sunt ipsius Christi, per os ministri loquentis & mandantis, corpus suum edi & sanguinem bibi.

Nostrum ergo dicere, & nostrum facere, non est in causa quòd corpus & sanguis Christi sint præsentia, sed ipsa Christi institutio & mandatum. Nos enim nihil aliud in hoc Sacramento agimus, quam quòd illa ex manu Christi accipimus, ac deinde alijs iuxta institutionem eius porrigimus.

Nisi enim corpus Christi antea præsens esset, propter vniionem personalem cum filio Dei, & sessionem ad dextram Patris, omnia implens Eph. 4. & nisi ipse Christus hanc suam præsentiam verbo primæ institutionis, in pane & vino reuelasset, certè nos nequaquam recitatione illorum verborum corpus Christi è caelo euocare & detrahere possemus, quemadmodū Numa Pompilius Io-

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

uem suum Elicium Magicis carminibus de cælo deuocasse scribitur.

Hanc nostram sententiam, de vi consecrationis non tribuenda recitationi verborum, sed primæ institutioni & mandato Christi, comprobant veterum quorundam Scriptorum testimonia.

Chrystostomus in sermone de Proditione Iudæ, loquens de cana Dominica, sic inter cætera inquit: Et nunc ille presto est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit: Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

Paschastius celebris & probatus Scriptor Ecclesiasticus, composuit peculiarem libellum de Sacramento Eucharistiæ: & quidem non ex suo cerebro, sed (sicut in præfatione testatur) ex sanctis Patribus, Cypriano, Ambrosio, Isidoro, Hilario, Augustino, Chrystostomo, Hieronymo, & Isichio. Is cap. 15. prolixè & discretè ostendit, Sacramenta non virtute ministri, sed Dei, cuius sunt, veraciter administrari.

Nulli dubium, inquit, quòd sicut quando in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, mergimur in fonte, tunc utique baptizamus, non in virtute illius ac potestate, qui hæc dicit, sed in virtute Christi, quæ hoc præcipit: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti: sic et hoc Sacramentum non meritis & verbis humanis, sed procul dubio diuinis efficitur & consecratur mandatis. Creatur. n. ex aliquo ibidem, non qualiscumque, sed noua salutis

salutis creatura, & corpus Christi: Idcirco non estimandum est, quod  
 alterius verbis, quod vilius meritis, quod potestate alicuius ista fi-  
 ant, sed verbo creatoris, quo cuncta creata sunt, visibilia & inui-  
 sibilis. Cuius ergo potentia creata sunt prius, eius vrig, ad melius  
 recreatur, quia nemo creator alicuius rei, nisi Deus, aut creatura  
 nisi vnus Dei Catholicè prædicatur. Propterea veniendū ad ver-  
 bum Christi, & credendum, quod in eiusdem verbis corpus eius con-  
 ficiatur. Reliqua verò quæ minister dicit coram Ecclesia, nihil ali-  
 lud quàm laudes & gratiarum actiones, postulationes, petitiones  
 fidelium sunt. Verba autem Christi, sicut diuina sunt, ita & effica-  
 cia, vt nihil aliud proueniat, quàm quod iubent, quia æterna sunt.  
 Cælum, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non transie-  
 rint, sed facient omnia ad quæ missa sunt, quia non nisi vnum &  
 substantiuū & consubstantiale est verbum Patris, quod inquit:  
 Et gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens:  
 Ecce huc vsq; sunt verba Euangelistarum. porro deinceps sunt  
 verba Dei, potestate & omni efficientia plena: ACCIPITE, & man-  
 ducate, **HOC EST CORPVS MEVM.** Sed  
 ne forte putares, quod de illo vno tantum pane dixerit, & in illa  
 vna hora hoc vnum iusserit esse, adiungens ait: Hoc facite in me-  
 am commemorationem. Vnde fatendum, quod quicquid illud  
 tunc fuit, quod Apostoli ab eo perceperunt, hoc totum est illud  
 istud, quia id ipsum est. Et si velis audire quid est, Hoc est, in-  
 quit, corpus meum, quod pro vobis tradetur. In hoc ergo verbo cre-  
 atur illud corpus, quia diuinum est, & omnipotentia plenum, v-  
 biq; præsens, vbiq; omnia complens. Et quod dicit, Hoc est corpus  
 meum, quod pro vobis tradetur, crede o fili, quia ita est, quomodo  
 ipse dixit, & factum dubitare non potes, Mandauit & creatum  
 est. Præceptum ergo posuit: Hoc facite in meam commemorationem.  
 Et ideo quotiescunq; Catholicè fit, verè hoc fit, quod dictum  
 est: Hoc est corpus meum, &c.

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Et post, de consecratione calicis loquens: Hic itaq, inquit, & non alius, neq, alicuius, sed sanguis Iesu Christi in hoc verbo efficitur. Viget autem hoc verbum, & manet: Hic est enim calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro multis. Quapropter, o homo, quotiescunq, bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium te sanguinem putes bibere, quam qui pro te & pro omnibus effusus est in remissionem peccatorum, neq, aliam carnem, quam qua pro te & pro omnibus tradita est & pendit in cruce, quia sic veritas testatur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et de calice: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Vnde, sicut in remissionem fusus & traditus est peccatorum, ita adhuc hodie in remissionem potatur & comeditur delictorum. Hec Paschasius.

Non dissimilia scribit Gabriel Biel Lect. 42. litera R. Fit autem, inquit, hæc conuersio, non virtute aliqua creata, sed virtute increata diuina, assistente suo signo, scilicet verbis consecrationis ritè prolatis, ex passione diuina. Pactum enim fecit Christus cum Ecclesia per discipulos representata, quod ad prolationem horum verborum ipse vult assistere, & panem in corpus suum conuerrere.

Etsi autem Biel hæc intelligit de fictitia sua Transubstantiatione & sacrificio Missæ, in qua nec mors Domini annunciat, nec communicatio corporis & sanguinis Christi plebi exhibetur: tamen factetur, Consecrationem Sacramenti non habere virtutem suam ex recitatione verborum, tanquam ex opere operato ministri, sed ex prima institutione cœnæ, in qua Christus semel panem & vinum in Sacramentum corporis & sanguinis sui consecrauit & sanctificauit.

Et quia Gabriel Biel sententiam suam probat testimonijs eorum Scriptorum, qui post Gregorium Magnum, vsq, ad sua tempora vixerunt, quemadmodum Paschasius eos citat, qui à temporibus

ribus Apostolorum vsq; ad Gregorium floruerunt, colliquefcit, hunc esse consensum Ecclesiæ Catholicæ, quòd, quemadmodum Sacramentum non conficiatur merito & dignitate consecrantis, sed virtute Christi creatoris & institutoris, ita etiam non consecretur recitatione eorum verborum, quæ à sacerdote proferuntur, sed prima illa Christi institutione & sanctificatione, quæ hodieq; permanet efficax.

Indignos etiam corpus & sanguinem  
Christi edere atq; bibere.

Ex his, pie Lector, facile iudicare poteris, quare indigni & impij, cum sacerdotes tum laici, in externa Ecclesia, verum corpus & sanguinem Christi non minus prabeant & accipiant, quàm piij & digni. Instituit quidem Christus hoc Sacramentum solis discipulis suis, hoc est, fidelibus & obsequentibus auditoribus Evangelij, qui diligenter seipfos probent, vt dignè accipiant. Proinde sanctum non scienter & volenter dandum est canibus, nec proicienda sunt margaritæ ante porcos: sed legitima excommunicatione arcendi & excludendi sunt impij.

Ipsi quoq; ministri & dispensatores huius Sacramenti tenere debent mysterium fidei cum pura conscientia, vt nemo possit illos criminari. 1. Tim. 3. Nisi enim hoc fecerint, accusabit ipsos Psalmus 50. Impio autem dixit Deus, quare tu enarras statuta mea, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Et mox: Hec fecisti, & tacui. Numquid existimasti me similem esse tibi? arguam te, & statuam ante oculos tuos.

Itaq; quantum atinet ad usum Sacramenti, & commodum vel damnum, manens eos, qui id dignè vel indignè tractant, plurimum sanè refert, vt tam ministri quàm laici dignè illud tractent:

M m aliàs

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

aliàs accipient in iudicium, & inuenietur, Sacramentū, quod institutum erat ad vitam, ipsis cedere ad mortem: quemadmodum Paulus de mandato Legis Rom. 7. loquitur.

Quantum verò ad ipsam Sacramenti substantiam attinet, nihil interest, an ij, qui ad cœnam accedunt credentes vel increduli, digni vel indigni sint. Quemadmodum enim virtus consecrationis, vt corpus & sanguis Christi in Sacramento sint presentia, non consistit in fide & dignitate ministrantium vel accipientium, sed in sola & indubitata institutione Christi: ita etiam non impeditur incredulitate & indignitate ministrantium & sumentium, sed firmissimè perstat, & innititur institutioni Christi. Si enim veritas huius Sacramenti fundata esset super fidem & dignitatem ministrantium & sumentium, nunquàm certi essemus, an acciperemus corpus & sanguinem Christi in Sacramento. Quis enim hoc mysterium satis firma fide amplecti potest? aut quis nos certos reddet de fide, de pura conscientia, de dignitate rùm ministrantium & communicantium?

Christus autem tanto amore Ecclesiam suam prosequitur, vt ne vnquàm incertis opinionibus et dubitationibus fluctuaret, presentiam & communicationem corporis ac sanguinis sui, certissimo fundamento verbi sui eam firmauerit: ac patitur potius se manibus & ore impiorum tractari, quàm vt Ecclesiam de certitudine presentie suae dubiam relinquat. Oportet enim Sacramenta, si quidem operibus & sigilla sunt iustitiæ, Rom. 4. ex ædificata esse super solido diuini Verbi fundamento, non super incerta & fluxa humane dignitatis arena. Sed age sacrarum literarum & priscorum Patrum testimonijs, alijsq̄ probabilibus rationibus hanc nostram sententiam comprobemus.

Primum, cum Sacramentum hoc Christus daret, sine omni conditione, aliante appendice dixit: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Non ait: Si credideritis, aut si digni fueritis, fiet corpus

corpus meum, & sanguis meus, Si enim Christus gratias & liberrimas suas promissiones non seruaret & impleret, nisi nos crederemus & digni essemus, sequeretur, illum propter incredulitatem nostram, mendacem, & propter fidem nostram, veracem fieri. Quid autem magis impiū cogitari, ne dum dici potest, quàm Christū instar arundinis hūc & illūc moueri, pro ut nos vel stemus vel cadamus? Scultus (inquit Syrach cap. 27.) sicut Luna mutatur. Deus autem noster non est quasi homo ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Numer. 23.

Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor.

Psal. 89. Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.

Rom. 3. Quid enim si quidam fuerunt increduli? Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax.

2. Tim. 2. Si increduli sumus, ipse fidelis manet, negare se ipsum non potest.

Quia ergo Christus panem & vinum porrigens semel dixit: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus: perpetuò firmum & ratū permanet, & verè sunt præsentia corpus ac sanguis eius, siue nos credamus, siue non credamus.

Numquid nomen Dei, per quod vanus aliquis nebulo iurat, non est verum nomen Dei, & illud ipsum, per quod Esaias, Paulus & omnes sancti iurant? Num pro varietate hominis nequam aut viri boni, nomen etiam Dei variatur? Nihil minus. Nomen enim Dei, & substantia, & dicta factaq; eius omnia, in æternum permanent: nec impediuntur vlllo abusu, vel hominis vel diaboli, si modò seruetur ipsa institutio. Mutata autem institutione, & peruerso ordine, nihil inde commodi sperandum est. Quis enim sane mentis homo, semina aquæ mandans,



## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

messes sperabit? quis cum fructu aliquo in aëre piscabitur? aut qua femina ex lapide, quis uis mas ex arbore liberos suscipiet? Vana hæc sunt omnia, cum præter ordinem diuinum tententur. Si verò aliquis temerè in alieno agro sementem faciat, aut in aliena aqua pisces capessat, aut cum uxore alterius extra coniugium coëat, licet hæc omnia iniusta illegitimaq; sint, tamen in agro fruges nascentur, in aquis pisces capientur, ex adulterio vel scortatione liberi procreabuntur.

Eadem est ratio aliorum donorum & creaturarum Dei, quæ perpetuè in sua substantia permanent, siue bene siue malè usurpentur. Abusus enim non tollit substantiam rei, sed ipsa substantia abusum tolerat & sustinet. Vinum, siue ab homine pio cum gratiarum actione, temperanter, ad necessitatem bibatur, siue ab ebrioso intemperanter ad suam ipsius perniciem ingurgitetur, semper vinum permanet, & utrobique est bona creatura Dei. Nummus aureus tam est aureus in manu furis & raptoris, quam in optimi cuiusvis viri: & si modo legitime Regis vel Principis autoritate signatus est, precium eius utrobique ex æquo valet. Sin verò adulterinus & illegitime signatus est, ne ipse quidem Rex, imò nec ipse Gabriel Archangelus, iuste aliquid isto nummo mercabitur, cum iniustum sit eius precium. Improbus pistor tam potest bonos panes pinsere (si modo farinam fermento conspergat, & aqua maceret atq; subigat, & in fornace coquat.) quam vel honestissimus probissimusq; pistor.

Ita (scilicet paruis componere magna) cum in cena seruatur Christi institutio, verè adest corpus & sanguis Christi, à quocumq; tandem consecretur & sumatur, siue digno siue indigno. Deus enim in inferno etiam Deus manet, & Christus manet Christus, etiam in crucifixorum suorum manibus. Sic verbo eius sua constat autoritas, veritasq; etiamsi nos non credamus, aut indigne illo abutamur. Vbi verò à Christi institutione disceditur, nullum est Sacramentum.

Suffragan-

*Suffragantur nobis vetusti celeberrimiq̄ Doctores Ecclesie. Sic enim Augustinus, de verbis Euangelij: Qui manducat, inquit, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non quia res illa mala est: sed quia malus malè accipit, quod bonum est.*

*Idem de Baptismo contra Donatistas lib. 5. cap. 8. Sicut enim Iudas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisq̄ sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malū sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.*

*Idem in lib. de Corpore Dom. & repet. de Confesse, Dist. 2. Can. Vtrum.*

*Intra sanctam Ecclesiam Catholicam in ministerio corporis Christi, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote. Quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatori, & in virtute Spiritus sancti.*

*Idem contra literas Petiliani  
lib. 3. cap. 8.*

*Cum hoc datur quod Dei est sanctum, dat etiam non sancta conscientia. Quæ certè siue sit sancta, siue non sancta, ab accipiente inspicere non potest, sed planè illud, quod datur, potest. Quod cognitum ei qui semper est sanctus, per quemcunq̄ ministrū accipitur, securissimè accipitur. Nisi enim sancta verba essent ex cathedra Moysi, non diceret veritas: Quæ dicunt, facite. Si autem ipsi, qui vera sancta dabant, sancti essent, non diceret: Quæ faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt.*

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Et mox. Nullo quippè modo legitur vva de spinis, quia nunquam de spinarum radicibus oritur: sed cum se spinosis sepibus palmetos vitis implicuit, non ideo fructus, qui illic pendet, horretur, sed spina cauetur, vva decerpitur.

Eodem lib. cap. 45.

Absit, vt infidelis dispensator dominicum cibum (cœnam videlicet) conseruis suis reddat inutilem. Dicit enim: Quæ dicuntur fructu, etc.

Chrysoſtomus super Matth. cap. 14.

Hom. 51.

Credite igitur omnes, quia etiam NVNC illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippè interest inter illam & hanc. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur. Quando igitur Sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli Sacerdotis sed Christi manum ad te porrigi arbitrari.

Idem in 2. Tim. 1. Homelia. 2. circa finem.

Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus discipulis, quamq̃ Sacerdotes modo quoq̃ conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam antè sacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoq̃ pronuntiant, ita & oblatio eadem est. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est. Qui autem hoc minus aliquid habere se putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest atq̃ operatur.

De duplici officio Christi, Vitæ  
& Iudicij,

Obijciunt aliqui, si infidelis verum corpus & sanguinem Christi in Sacramento accipiat, necessario sequi, quòd infidelis etiã coram Deo viuat. Caro, inquiunt, Christi est vitæ. Certum est autem, iustum fide sua viuere, & infideles etiam num viuos, esse mortuos. Soli ergò fideles, non etiam infideles, verum corpus & sanguinem Christi accipiunt.

Hic sciendum est, Christum in saluifica sua incarnatione, cum Verbum caro factum est, à Deo patre non solum accepisse vitam, verum etiam iudicium. Pater, inquit, non iudicat quenkumq; sed omne iudicium dedit filio. Ioan. 5. Et mox: Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, &c. Quibus ex verbis intelligimus, filium hominis, hoc est, carnem Christi, à diuinitate aterni verbi, cui vita est, duas accepisse proprietates. Vnam, vt vitam habeat, & viuificet omnes, qui vera fide participes illius fiunt. Alteram, vt iudicium exerceat in eos omnes, qui ex incredulitate carnem Christi aut prorsus respiciunt & à se repellunt, aut non vera fide de illa participant. Quemadmodum & Paulus ait 1. Corint. 11. Qui indignè edit & bibit, iudicium sibi edit & bibit, eò, quòd non diiudicat corpus Domini. Edit igitur vterq; ac bibit, tam fidelis quàm infidelis, eandem carnem & eundem Christi sanguinem: sed pro diuersa conditione accipientiu, diuersas vires & operationes exerceri videas. Nã in credète manet caro vitæ: in incredulo caro iudicij: nec mutatur carnis substantia propter vllius hominis incredulitatem.

Non minus autem est gloriosum & conueniens Maiestati Christi, in incredulis iudicium exercere in terra, quàm in credentibus vitam operari.

Quankumq;

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Quoniam enim precipue in mundum venerit ad saluandos peccatores: tamen quia increduli auxilium ipsius reijciunt, iustissimo iudicio ipsos punit & vlciscitur, vt in Psal. 2. scribitur. Nec ipse Christus dissimulat, hoc esse iudicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ioh. 3. Et Iohan. 15. Si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent.

Ahæc, iudicium Christi proficiscitur à diuina iusticia. Iusticia autem tam est diuina proprietas, quam vita. Itaq; Christum non minus decet iudicium, quam vita. Quemadmodum & politiam bene constitutam non minus ornat patibulum, quam vel ipsa curia. Nam ad conseruationem Reipub. nō magis pertinet honorum defensio, quam improborum supplicia.

Germ. fol 94.  
Lat. fol 158.

Hec prolixius tractare volui, vt qui institutionem & mandatum Christi de cœna nondum planè intelligunt, cognoscerent, omnem consecrationis virtutem & efficaciam pendere à solo Christo, eiusq; Verbo, non à nostra fide vel incredulitate, dignitate vel indignitate. Et vt simul etiam mendacem Fabri calumniam diluerem, quanos impudenter aspergit. Sectarij, inquit, aiūt, si quis hoc Sacramentum accipere velit, iam quidem Christus est: sin minus velit, non nisi panis est. Haftenus Faber. Equidem quinam sint hi sectarij ignoro. Si quis autem ita sentit, suo sic sentiat periculo. De me nunc loquor, & ijs qui Augustanam Confessionem amplectuntur. Hos, hos inquam, iniuria luculenta afficit. Tam enim abest, vt veritatem Sacramenti constituamus in arbitrio & voluntate communicantium, vt ne quidem in fide & incredulitate, in dignitate & indignitate eorum constituamus, sed in sola institutione Christi, legitime seruata. Itaq; Fabri calumniam, quia manifestum est mendacium, simplici negatione confutasse sum contentus.

Sed hęc forsā aliquis obiecerit. Si Christus, tanquā creator ipse solus verbis primæ institutionis panem & vinū in Sacramentum corporis & sanguinis sui consecrauit, ministri autē prolatione verborum suorum non cooperantur, cur semper in consecratione panis & vini verba institutionis recitant, ac non potius hoc labore supersedent? *Aut.* Si per ministros nulla noua sit consecratio seu conuersio, tum aut omnes panes & omnia vina, virtute primæ institutionis, erunt corpus & sanguis Christi: aut nullus alius panis & nullum aliud vinum, quā quæ in Christi manibus fuerunt, & proprio ipsius ore consecrata sunt, erit corpus & sanguis Christi. Quomodo ergo certi erimus, qui nam panis, & quod nam vinum sit corpus & sanguis Christi, nec ne?

*R.* Respondeo. Primum, Etsi minister prolatione verborum suorum, corpus & sanguinem Christi non è cælo elicit, & adiurat in panem & vinum, quæ madmodum Magi incantationibus suis Diabolum adiurantes in orbem & circulum euocant, tamen nequaquā verba illa omittere debet. Sic enim Dominus mandauit: Hoc facite: id ipsum scilicet, quod ipse prius fecerat. Acceperat autem panem & vinum in manus suas, & dixerat: Accipite, edite, hoc est corpus meum. Accipite, bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus &c. Quotiescunq; igitur conuenimus, annunciaturi mortem Domini, debet minister panem & vinum in manus accipere, unā cum populo gratias agere, frangere & distribuere, proferendo verba hæc: Accipite, edite, hoc est corpus meum &c. Ibi cum Christus ipse, sed per manum & os ministri, verum corpus suum & verum sanguinem, cum pane & vino edendum & bibendum dabit. Instituti enim & mandatum eius, etiam nunc hodie permanent, & efficaciter consecrant panem & vinum in corpus & sanguinem eius, vbicunq; cæna legitimè in nomine ipsius peragitur.

Secundò. Ministri verba primæ institutionis recitans, propriè

N n loquendo,

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

loquendo, non conuertit orationem ad panem & vinum, aliàs pa-  
ni dicere oporteret: Tu es corpus meum, & vino: Tu es sanguis  
meus. Sed conuertit orationem ad populum qui secum vnâ cœnam  
Dominicam celebraturus est. Et ostendit populo hisce verbis, quid  
Christus semel instituerit, videlicet esum ac potum corporis & san-  
guinis sui: atq; ita retrò ablegat populum ad verba Christi, quæ  
semel dixit, nobisq; vnâ in mysterio tradidit id, quod verba ipsius  
promittunt, videlicet corpus & sanguinem suum cum pane &  
vino.

Tertio. Cùm mortem Domini publicè annunciare debeamus,  
quoties de pane illo edimus, et de poculo illo bibimus: ac cõstet, ver-  
ba primæ institutionis esse breuem quandam summam totius Pas-  
sionis, quæ causam traditi corporis & effusi sanguinis doceat, me-  
ritò publicè & clarè recitari debent, non tanquàm noua consecra-  
tio, sed tanquàm publica et solennis concio de morte Christi. Quam-  
uis enim verba prolatæ non tum demum cùm proferuntur, corpus  
& sanguinem Christi præsentia sistant (erant enim antè præsentia).  
tamen propter rationes iam enumeratas proferrî debent, tanquàm  
causa sine qua non, sicut loquitur Gabriel Biel Lect. 47. litera V.  
Verba, inquit, consecrationis, sunt causa sine qua non, & non  
causæ propriæ dictæ ex natura rei. Et mox: Et ideò sunt causæ  
sine qua non: nec propter hoc oportet ponere virtutem aliquam su-  
pernaturalem, per quam sint causæ illo modo, sed sufficiat S O-  
L A V O L V N T A R I A I N S T I T V T I O  
D I V I N A.

Quartò. Etsi Christus in prima cœna creaturam panis & vini  
diuino suo verbo ita sanctificauit, vt quemuis panem, & quoduis  
vinum fecerit idoneum instrumentum edendi & bibendi corpus &  
sanguinem suum: tamen quemadmodum creatura aque tunc  
fuit in baptismum consecrata, cum Christus ipse in Iordane  
baptizaretur, & cùm discipulis suis mandaret baptizare in nomi-  
ne patris

ne patris & filij & spiritus sancti : nos autem cum baptizamus, non de nouo aquam consecramus, sed primam consecrationem à Christo factam publicamus, & in vero ac legitimo vsu exercemus, Et quemadmodum apud Israëlitas omnes agni in grege idonei reddebantur ad immolationem agni Paschalis, hisce verbis : Tolle unusquisq; agnum de grege, anniculum & absq; macula. Exodi 12. & tamen hi soli agni, qui decima die mensis primi à grege segregati, & vsq; ad diem decimum quartum eius mensis seruati sunt, ad sacrificium agni Paschalis destinantur.

Ita cum cœnam Dominicam ritè legitimeq; celebramus, non de nouo hoc Sacramentum consecramus verbis primæ institutionis : sed consecrationem dudum à Christo instituentem factam, hac solenni actione publicamus & promulgamus, hoc est, panem & vinum à communi & vulgari vsu segregamus, & ad sanctum vsu, ad quem Christus illa destinauit, transferimus. Itaq; quoties in cœna audimus verba primæ institutionis à ministro recitari, cogitationes nostræ attollendæ & subuehendæ sunt ad primam cœnam Christi : ac certò statuendum est, omnem sanctificationem præsentis cœnæ manare ex prima institutione Christi, non ex prolatis verbis ministri.

Atq; hunc sensum nobis subministrant ipsa verba Canonis, quæ sparsim de consecratione sonant : Vt, Benedicere, Consecrare, Sanctificare, Gratiâ agere, Creare, Viuificare : quæ omnia tanquàm synonyma ( etsi singula suam proprietatem habeant ) consecrationem denotant atq; exprimunt.

Vocabulum **BENEDIXIT**, in cœna non significat, panem & vinum ita consecrare verbis primæ institutionis, preculis, signatis crucibus, vt in seipsis fiant meliora & sanctiora, & diuersa ab ijs, quæ Deus creauit, & tanquàm bonas creaturas beneplacito suo approbatas benedixit. Gen. 1. Viditq; Deus



QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 1. Tim. 4. Quicquid creavit Deus, bonum est, & nihil reiiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Quamvis autem addat Paulus: sanctificatur enim per verbum Dei, ac precationem: tamen non loquitur de superstitiosis & magicis consecrationibus Papiſtarum, qui prope modum omnes creaturas horribili abusu nominis divini consecrare præsumunt (hoc enim Magiæ genus Apostolorum temporibus ignoratum fuit) sed loquitur de usu creaturarum licito & concessio. si fideles utantur cum gratiarum actione, si Deum agnoscant, & credant peccata sua morte Christi expiata esse, ac se propter mediatorem à Deo benedici, diligi, foueri: & si agnoscant totum mundum cum omnibus creaturis non temerè exiitisse, sed à Deo conditum esse, & conservari ad usus fidelium: deniq; si omnia ad vitæ sustentationem necessaria, precibus à Deo expetant, & pro datis donis gratias agant. Hoc est verbum illud, hæc sunt preces illæ, quibus omnes creaturæ ad usum credentium consecrantur & sanctificantur: quemadmodum alibi, inquit Paulus: Omnia quidem pura puris: porro pollutis & infidelibus nihil est purum. Tu. 1.

Ita etiam in cæna verbum, Benedixit, idem significat, quæ d' bona dicere, hoc est, laudare, celebrare & gratias agere. Unde Evangelistæ & Paulus hæc duo verba  $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$  &  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$  pro eodem usurpant. Nam ubi Marcus in fractione panis dicit:  $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ : reliqui tres, Matthæus, Lucas & Paulus ponunt,  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ . Et Marcus ipse in porrectione calicis habet,  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ . Alibi etiam Paulus duo ista verba in eadem significatione usurpat. 1. Cor. 14. Alioquin si benedixeris ( $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ ) spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen ad tuam  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$  gratiarum actionem? Et quanq; Paulus 1. Cor. 10. tantum hæc vocabula,  $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$  &  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ , calicis adiungat: quæ non malè interpretantur, calicem benedictionis, cui benedicimus: tamen Chryſostomus & Theophylactus exponunt non de consecratione, sed de gratiarum actio-

ne, ad hunc modum: calicem quem cum gratiarum actione sumimus. Qui enim gratias agit, benedicit, id est, bona verba dicit.

Reliqua duo verba, Consecrare, & Sanctificare, idem quoque significant, videlicet, rem terrenam à vulgari & prophano usu ad sanctum & diuinum usum traducere, & segregare. Nam quod Exod. 13. Dominus dicit ad Moysen: Sanctifica mihi omne primogenitum: idem postea alijs verbis explicat: Separabis Domino omne quod aperit vuluam. Et in nouo Testamento aqua baptismi consecratur, id est, à vulgari usu ad sacrum transfertur, videlicet, ad lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti.

Sic quotiescunq; panem & vinum à communi & terreno usu ad spiritualem & sanctum traducimus, veram habemus consecrationem & sanctificationem huius Sacramenti. Et fit mutatio ac conuersio, non substantiæ, sed usus. Creatura enim panis ac vini, que alioquin ad hunc usum à Deo condita est, ut sit corruptibilis cibis & potus corporis, in sublime & beatum mysterium, salutiferi & æterni cibi animæ, à Christo transfertur & sanctificatur.

Eadem est ratio horum duorum verborum, creare & viuificare. Nam creare propriè significat ex nihilo aliquid facere, & soli diuinæ Maiestati competit. Omnia, inquit Ioannes, per ipsum facta sunt: & sine eo factum est nihil quod factum est. Sicut & Canon ipse fatetur: Per quem (Christum) hæc omnia Domine semper bona (cæne Dominicæ) creas. Quòd si Faber hæc verba referat ad creaturas panis & vini, certum est, eas per Christum, non per Sacerdotem creatas esse. Sin referat ad corpus & sanguinem Christi, neq; hæc sanè à Sacerdote creantur & fiunt de nouo, ore ipsius, sed facta sunt dudum ex muliere, beata virgine Maria. Luc. 1. Gal. 3. Deniq; si intelligat de preparatione huius Sacramenti, quomodo panis & vinum, corpus item & sanguis fiant Sacramentum, rursus soli Christo conuenit, qui semel in prima insti-

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

tutione ita confecit & disposuit, vt ad finem vsq; seculi perdurent. Minister quidem ( quatenus institutionem Christi sequitur ) edificat, plantat & rigat, verbis & operibus suis . Quantum autem hoc est ? Porro qui dat incrementum, Christus est solus, qui nobis omnia hæc bona cœne Dominicæ creat & præstat.

Quemadmodum autem creare soli Christo conuenit, ita & viuificare eidem soli conuenit. Sicut pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat, inquit Christus Iohan. 5. Et Paulus 1. Cor. 15. Quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes viuificabuntur . Astipulatur & ipse Canon: per quem, inquit, omnia viuificas . Quare cum filius Dei solus omnia viuificet, constat, vim viuificam huius Sacramenti non proficisci ex Sacerdotis vel ministri consecratione, verbis & gestibus : sed ex sola institutione primæ cœne, à Christo cum discipulis suis celebratæ . Atq; hæc quidem ad primam conclusionem Fabri de consecratione respondisse sufficiat.

## SECUNDA CONCLUSIO Fabri de consecratione.

Germ. fol. 27-18.  
Lat. fol. 45-31-

**Q**uod virtute horum verborum : Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus : panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi mutetur seu transubstantietur.

Hanc conclusionem Faber primò sacra scriptura testimonijs confirmare studet: Euangelistæ, inquit, & Paulus disertis verbis testantur, Christum sumpsisse panem in manus, & dixisse: Hoc est corpus meum. Non dixisse: Hic est panis, aut sub pane est corpus meum. Enimuero si panis substantia permaneret, non dixisset: Hoc est, quod substantiam denotat, sed Hic.

Germ. fol. 33-  
Lat. fol. 47-

Deinde idem veterum Doctorum Ecclesiæ testimonijs probare conatur:

conatur. Transsubstantiatio, inquit, id est, conuersio panis in Christi corpus, & vini in sanguinem, Patrum sanctorum fulcitur testimonijs, &c. quorum satis prolixum texit catalogum.

Non iam disputabo de subtilitate Fabri & sodalitijs ipsius, quomodo accidentia possint subsistere sine subiecto, hoc est, quomodo externa species panis, albedo, rotunditas, sapor, &c. in aëre volitent, sine substantia panis, in qua tanquam in fundamento subsistere possent. Nec urgebo, quare non tam concedant Christum corpus & sanguinem suū sub substantia, quam sub speciebus panis & vini dare & posse & velle. Hec inquam subtiliora sunt, & in scholam ableganda, ad doctiores & acutiores Fabro, qui non minus rudis est in Dialecticis, quam quiuis ex indocto vulgo. Nunc simplicissimè tantum, & pinguis (quod aiunt) Minerva, ex sacris literis & antiquis Patribus demonstrabo, fictitiā istam transsubstantiationem non solum esse recentem errorem, verum etiam horribilem idololatriam & detestandam hæresin.

Fatemur sanè, Dominum in vltima cœna panem sumpsisse in manus ac dixisse, Hoc est corpus meum. Non, Hic est panis: aut sub hoc pane est corpus meum. Sed iuxta tamen nequæ ita dixit: Haec sunt species corporis & sanguinis mei. Mulro minus negauit panem post consecrationem manere panem (vt Faber somniat) imò verò per D. Paulum planè cõtrarium docuit. Nam quicquid Paulus de cœna scribit, id à Domino accepit. 1. Cor. 11. & Christus in ipso loquitur. 2. Cor. 13. Nominat autem Paulus Sacramentū etiam post consecrationem, panem & vinum, non species panis & vini: idq̄ quater reperit. 1. Cor. 11. Quotiescunq̄, comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis. Et mox: Probet autē homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Et rursum, Quisquis ederit panē hunc, aut biberit de poculo Domini indignè. Quibus in locis semper meminit Paulus duarū distinctarū rerum, etiam post consecra-

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

consecrationem: quarum una est, Panis & vinum: altera, corpus & sanguis Domini. Eodem modo loquitur. 1. Cor. 10. Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? En expresse nominat panem, tanquam signum: & communicationem corporis Christi, tanquam rem signatam, quæ unâ cum pane traditur & accipitur.

Nihil ergo Christi & Pauli verba figmento Fabri patrocinantur: nos autem tutò verba Christi & Pauli imitantes, Sacramentum cœnæ panem & vinum appellamus.

Germ. fol. 33.  
Lat. fol. 56.

Deinde allegat Faber nubem quandam testium, Patres nimirum septendecim, quos omnes vno ore asseuerare dicit, substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi mutari. Ad quæ Patrum testimonia sic respondeo.

Fatemur & nos, Patres quosdam in negotio cœnæ Dominice hisce & similibus verbis uti: Supernaturaliter mutari, transmutari, conuerti, transformari, transelementari, &c. Interpretamur autem hæc verba, ut decet, non contra scripturam, sed ex scriptura, videlicet, non de mutatione substantiæ, sed vsus & conditionis, quæ (si placet) Transconditionatio dici potest aptius quam Transsubstantiatio. Hoc quippe voluerunt, post legitimam consecrationem exhiberi non nuda signa panis & vini, sed cum pane & vino etiam corpus & sanguinem Christi. Et nequaquam senserunt vel docuerunt, imò ne cogitarunt quidem, nuda accidentia & species panis ac vini remanere, non ipsam panis & vini substantiam: quia non substantialem sed tantummodò sacramentalem mutationem panis & vini in hoc Sacramento agnouerunt. Id quod ex subscriptis testimonijs Patrum quorundam, Irenæi præsertim, patebit: ex quibus de reliquis etiam iudicium facere poteris.

Irenæus

Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 34. Quemadmodū qui est  
 ē terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis  
 est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti:  
 Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt cor-  
 ruptibilia, spem resurrectionis habentia.

In his verbis Irenæi quatuor potissimum notatu digna sunt.  
 Primò, quòd ait, vocationem, non inuocationem, vt quidam men-  
 dosè legunt. Vocatio autem, qua Deus panem vocat, nihil aliud  
 est, quam verbum illud: Hoc est corpus meum. Hic enim nouo  
 nomine vocatur, quo antea carebat, cum adhuc simplex & vulga-  
 ris panis esset. Quemadmodum Irenæus postea seipsum explicat  
 lib. 5. cap. 5. inquit: Quando ergò & mixtus calix, & fractus  
 panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis  
 Christi.

Secundo dicit: Iam non communis panis est. Non: Iam non  
 panis est. Disertè addit, C O M M V N I S.

Tertio, non simpliciter inquit: Est eucharistia. Sed: Eucharis-  
 tia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. Quid autem ali-  
 ud est terrena res, quam panis & vinum, vt à Christo & Paulo  
 vocantur? Inquit enim, R E S: non, accidentia rei. Sicut &  
 cœlestis res, est verum corpus & verus sanguis Christi: non,  
 accidentia vel signa corporis & sanguinis Domini.

Quarto notandum est, quòd dicit, etiam nos, qui Eucharistiã  
 accipimus, iam esse incorruptibiles: quod certè non fit mutatione  
 naturæ nostræ, sed, sicut Irenæus ait, per spem resurrectionis. Quia  
 igitur per vsu eucharistiæ ita mutamur, vt ex corruptibilibus  
 fiamus incorruptibiles, nihilominus tamen, manente natura &  
 substantia nostra incommutata, sequitur, etiam in cœna panem &  
 vinum non ita mutari, vt n n amplius sint panis & vinum, sed  
 tantum accidentia: verum mutari tantum sacramentaliter, hoc  
 est, quòd in aut cum pane edamus substantiale corpus Christi.

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Cum Irenæo consentit etiam Augustinus: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Quod Irenæus vocat terrenum, id Augustinus elementum: & quod ille caeleste, hic verbum appellat. Quod nam igitur est in cœna elementum? Panis & vinum: quæ, non accedente verbo, manent nuda elementa. Quod autem est verbum, ex elemento faciens Sacramentum? Non hominis, sed Domini nostri Iesu Christi, hoc est, institutio, qua hoc Sacramentum à Christo institutum & nobis mandatum est. Quomodo autem accedit verbum ad elementum? Cum institutione & mandato Christi in Ecclesia seruamus, tum virtute illius, non nostra prolationis, elementum panis & vini sic apparatus & adoratur, vt fiat corpus & sanguis Christi: vt supra copiose diximus.

Nunc inspicere penitius, pie Lector, & expende verba Augustini accuratius: Non inquit, Verbum mutat, aufert, transsubstantiat, transelementat &c. Sed, ACCEDIT ad elementum. Atq; ita ex duabus rebus, verbo & elemento, fit vni Sacramentum: ac neutrum destruit aut consumit alterum, quemadmodum virga Aaronis, & virgæ incantatorum Egyptiorum sese mutuo deuorarunt & consumpserunt. Exodi. 7. Nonne & Baptismus est Sacramentum? Quis autem vnquam sensit, aqua baptismi non amplius esse aquam, sed aquæ duntaxat speciem? Cur non aequè in Eucharistia, vt in Baptismo, elementum & verbum iuxta se mutuo possunt consistere? Imò quomodo verbum adiunctum elemento faciet Sacramentum, si nullum remaneat elementum? Certè Sacramentum nullum esse potest absq; conuenienti & à Christo deputato elemento.

Clarè ergo testatur Augustinus, in cœna non esse Transsubstantiationem, sed duntaxat sacramentalem vniionem.

Sed audiamus etiam Episcopi Romani testimonium. Gelasius eius nominis primus, Pontifex 51. in libro de duabus naturis in Christo

Christo disertè testatur, figmentum Transubstantiationis veteri Ecclesie ignotum fuisse.

Certè, inquit, Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuina efficiamur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergò nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendū, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & sumus, vt sicut in hanc, scilicet in diuinam transeant, sancto spiritu perficiente, substantiam, permanente tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemq̄, veraciter representant, ex quibus constat propriè permanentibus, vnum Christum, quia integrum verumq̄, permanere demonstrant. Hactenus Gelasius.

Nunc verba eius examina, si libet. Substantia, inquit, panis & vini non desinit. Et quamuis panis & vinum, spiritu sancto perficiente, in diuinam transeant substantiã, permanent tamen in suæ proprietate naturæ: quemadmodum & in Christo duæ naturæ inconfuse permanent. Hæc ergò transitio in diuinam substantiam, de qua Gelasius loquitur, non de naturali & substantiali mutatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sed de Sacramentali mutatione intelligenda est: quòd videlicet iam non panis & vini substantia (quantum ad hanc Sacramentalẽ actionem atinet) sed substantia corporis & sanguinis Christi exhibeantur, sub signis tamen panis & vini. Signa enim sacramentalia aliam naturam & substantiam acquirunt, sacramentalem nimirum, qua antea carebant, cum nondum ad Sacramentum adhibebantur: offerunt enim nobis Christum, quem extra sacramentalem actionem nunquam nobis offerrent.



QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Sic igitur tam nomen quàm res ipsa Papiſtica Transſubſtanti-  
 ationis inde ab Apoſtolorum temporibus vsq̃ ad Gelafium, hoc  
 eſt, quingentis circiter annis ignota fuerunt, manſeruntq̃ igno-  
 ta vsq̃ ad tempora Caroli Magni. Et circa annum Domini 800.  
 demùm emerſit hoc ſigmentum, quod tamen à Bertramo Preſby-  
 tero Gallico plurimis ijsq̃ validiſſimis argumentis confutatum  
 & oppreſſum eſt: donec ruruſus circa annum Domini 1060. tem-  
 poribus Henrici 4. & Conradi, Romanorum Imp̃. per Lanfrancum  
 & Petrum Lombardum ab inferis excitatum, non tamen v-  
 biq̃ receptum eſt. Tandem verò per Honorium Papam, circa  
 annum Domini 1226. & Urbanum quartum, anno 1264. edicula  
 Sacramentaria, & Feſto corporis Chriſti, confirmatum, multiſq̃ do-  
 natum indulgentijs vbiq̃ obtinuit. Quanta ergò temeritas eſt  
 Fabri, qui Transſubſtantiacionem, Apoſtolorum, Euangelistarum  
 & Patrum testimonijs, ac totius orbis Chriſtiani confeſſione &  
 per ſuaſione aſſeuerari dicit?

Quàm horrenda autem idolatria & hæreſis ſit, iſta panis &  
 vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſubſtantiatio, poſtea dice-  
 tur, vbi ad adorationem Sacramenti deuentum fuerit.

Dum verò Papiſticam tranſubſtantiacionem impugnamus,  
 Faber ſimplicem noſtram confeſſionem calumnioſè peruertens, gra-  
 uiſſimè conqueritur, nos non tantùm Miſſæ, ſed etiam venerabilis  
 Sacramenti hoſtes eſſe: ac veritatem corporis & ſanguinis Chriſti  
 in Sacramento negare, præſentiamq̃ eius tantùm in voluntate ſu-  
 mentium, non in virtute confeſſationis collocare. Ac prolixè de-  
 monſtrat ex ſanctis Patribus, corpus & ſanguinem Chriſti verè  
 ſubſpeciebus panis & vini in Miſſa ad eſſe: deniq̃ in quinta ſui  
 libri parte argumenta eorum, qui veritatem corporis & ſanguinis  
 Chriſti in cœna negant, doctè & artiſcioſè, ſua quidem opinione,  
 diluit.

Sed verè dictum eſt, aduerſus morſum Sycophantæ nullum  
 eſſe

esse remedium . Conquerimur & nos, ac deploramus serio, nimis (proh dolor) multos esse, qui veritatem corporis & sanguinis Christi in cœna impiè negant . Sed Augustanæ Confessioni adiunctos, eamq; toto pectore amplectentes, hunc errorem fouere, impudens est mendacium. Sic enim decimus eius Confessionis articulus sonat: De cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in cœna Domini: & improbant secus docentes. Et in Apologia fusius declaratur, adiecto vocabulo, substantialiter.

Ahæc, Præceptores nostri istum errorem sacramentarium ita oppugnarunt, vt, nisi ipsi fuissent, procul dubio omnes Papistas sacramentarijs succumbere oportuisset. Id quod ex Fabri scriptis apparet, quibus adeò frigide veritatem corporis & sanguinis Christi defendit, & aduersariorum argumenta tam ineptè & pueriliter diluit, vt nemo hominum certi aliquid inde possit addiscere, nisi qui antea de veritate corporis & sanguinis Christi à præceptoribus nostris solidè edoctus atq; instructus fuerit.

Quæ omnia etsi Faber non ignorat, tamen acerbissimus calumniator non veretur Augustanæ Confessionis sectatores calumniari, quòd Sacramentum dicant esse tantum symbolum & figuram corporis & sanguinis Christi: qua ratione nos apud extraneos in odium adducere, ac veritatem Euangelij quàm plurimis suspectâ & inuisam reddere conatur.

Quis autem non videt hanc esse manifestam calumniam? Neque enim inter nos & Papistas controuertitur, de præsentia corporis & sanguinis Christi (de hac enim vtrinq; consentimus) sed de modo præsentia, & forma sacramentali. Quoniam verò in hoc libro non suscepi refutandos errores eorum, qui veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna negant, sed institui tantum refutationem Missæ Papisticæ: ideo ad depellendam hanc calumniam, simpliciter confitebor, quid Augustanæ Confessionis

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

discipuli de substantia Sacramenti credant atq; doceant. Si cui brevis hæc Confessio non satisfecerit, Præceptorum nostrorum scripta prolixiora consulat. Quò autem dilucidior sit hæc Confessio, permittam Papisticæ & Zuinglianæ opinionis antithesin.

Papistæ, in quibus est Faber, sentiunt ac profitentur, virtute horum quinque verborum, Hoc est enim corpus meum, substantiam panis & vini in Missa, mutari in substantiam corporis & sanguinis Christi, sicut in nuptijs Canæ Galilææ aqua in vinum mutabatur: & verum corpus sanguinemq; Christi non à sanctis tantum & dignis, sed etiam ab impijs & indignis, manibus tractari, & ore accipi: à dignis quidem ad vitam, ab indignis vero ad mortem.

Contrà Anabaptistæ & Zuingliani sentiunt ac docent, panem & vinum in cæna Dominica esse ac manere tantum symbola & figuras corporis & sanguinis Christi, quæ quidem signa ore piorum & impiorum edi ac bibi possunt: corpus autem & sanguinem Christi non aliter quàm fide edi ac bibi posse affirmant. Sentiunt enim corpus Christi tam procul à cæna distare, quantum à terra distet supremum cælum.

Quemadmodum ergò Papistæ à regia via nimis ad dextram deflectunt, nihil omnino de pane retinentes, sed hunc in purum putum corpus & sanguinem Christi transsubstantiantes: ita è regione Anabaptistæ & Zuingliani nimium declinant ad sinistram, non corpus & sanguinẽ, sed purũ putum panẽ & vinũ habentes. Hoc est, vt breuius dicam, Papistæ præsentiam corporis & sanguinis Christi statuunt nimis corporalem: Sacramentarij autem nimis spiritualem.

Qui verò Augustanam Confessionem sincera & non ficta fide amplectuntur, in media & regia via incedentes, neq; ad dextram neq; ad sinistram declinant. Sic enim docent atq; sentiunt: in cæna Dominica, si legitime iuxta institutionem Christi celebretur, esse quidem

quidem & manere substantiam panis ac vini, incommutata proprietate naturæ eorum, sed simul etiam sub speciebus vel signis panis & vini adesse verum corpus & sanguinem Christi, illud inquam corpus, quod conceptum est de spiritu sancto, natum ex Maria virgine, traditum pro peccatis nostris, sedens nunc ad dextram Patris, in Maiestate & gloria diuinæ personæ, quæ est Christus Iesus, verus & æternus Deus, cum Patre, ex quo ab æterno genitus est. Sentiant præterea, hoc corpus & hunc sanguinem non tantum spiritualiter edi & bibi per fidem, verum etiam in vel cum pane & vino edi & bibi ore corporeo. Porro quæ sit forma legitima consecrationis, et quare substantia panis ac vini non mutetur in substantiam corporis & sanguinis Christi, supra est expositum.

### TER TIA CONCLUSIO FABRI de consecratione.

**Q**uod corpus & sanguis Christi in Sacramento permaneant, siue accipiantur, siue non, donec sacramentalis species absumatur: quodq; hoc Sacramentum pro ægrotis asseruandum & includendum, nec nõ in festo corporis Christi circumgestandum, adorandum, interna externaq; læticia celebrandum colendumq; sit.

In hac tertia Conclusionem Faber quinq; horribiles & idolatricos abusus idoli sui Missatici propugnat, qui omnes è diametro cum prima institutione & consuetudine primitiua Ecclesiæ pugnant. quemadmodum ordine audiemus.

1. Quod hoc Sacramentum etiam extra usum constanter permaneat Sacramentum.
2. Quod duntaxat in Missa, non etiam apud ægrotantes, consecrari & possit & debeat.
3. Quod una species includenda sit ædicula seu Hærotheca.
4. Quod

1 QUINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

4. Quòd vna species in Festo corporis Christi, tanquam ad spectaculum circumgestanda sit.

5. Quòd asseruatum, inclusum & circumgestatum Sacramentum, non tantum externa reuerentia, sed interna etiam adoratione colendum sit.

Getm. fol. 138.  
Lat. fol. 238.

De primo Faber hunc in modum scribit: Nos quidem, inquit, certò nouimus, Sacramenti huius perfectionem vel perfectam confectionem neuiquam in usu eius sitam esse, veluti aliorum Sacramentorum: quemadmodum Baptismi aqua non est Sacramentum, nisi accedat verbum, vnde Christus ait: Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, atq; in usum adhibeatur. Atqui huius Sacramenti perfectio in consecratione posita est, adeò vt simul ac verba in Missa super panem prolata sint ab Sacerdote rite initiato, idem panis transeat in Christi corpus. Porrò quamdiu species externa permanet, simul etiam Christi corporis Sacramentum perseverat. Hactenus Faber.

Ostendit autem Gabriel Biel causam, Lect. 38. Litera D. ex Scoto, quare Eucharistia extra usum mane at Sacramentum. Sacramentum, inquit, Eucharistiæ, est quoddam permanens, etiam ante usum eius, qui consistit in eius sumptione. Et hoc congruum erat, quia Christus permanenter voluit esse nobiscum, ergò in aliquo signo permanente, cuiusmodi signum est Sacramentum istud.

Quia autem Faber, & ante ipsum Scotus & Biel, non aliud testimonium adducunt, quam solam similitudinem, imò verò dissimilitudinem baptismi: Age hoc ipsum arripiam, & ex proprietate vtriusq; Sacramenti, demonstrabo, perfectionem cæne tam consistere in usu & administratione seu exhibitione, quam Baptismum: ac proinde cœnam, extra legitimum usum in edendo & bibendo situm, non posse esse Christi corpus atq; sanguinem.

Nam vt in Sacramento baptismi oportet adesse ministrum, qui baptizat, & personam que baptizatur, tum deinde Sacramentum baptismi,

baptismi, quod non est aqua per se, sed immersio in aquam, vel aspersio aquæ, coniuncta cum his verbis: *Baptizo te in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti*: ita in cæna Dominica oportet esse ministrum, deinde sumentes, cum demùm ipsum Sacramentum, hoc est, verbum & signa à Domino instituta. Expressè enim præcepit Dominus, in cæna hoc ipsum faciendum esse, quod ipse fecerit. Quid autem fecit? *Assumpsit discipulos suos, accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, edite. Hoc est corpus meum. Accipite, bibite. Hic est sanguis meus.*

Nequaquàm ergò omittenda sunt in cæna verba hæc: *Accipite, edite &c. quæ tam sunt verba Domini & seruatoris nostri, quàm hæc: Hoc est corpus meum &c. ac proinde sine Communicantibus nequaquàm celebranda est cæna. Nam sine his verbis Domini, Edite, Bibite, panis & vinum non erunt Sacramentum corporis & sanguinis Christi: quemadmodum sine verbo & factio baptismi, aqua nihil nisi aqua est.*

Itaq; cum Christus, omnia sua verba & totam actionem cænae complexus sit, in verbo, *Hoc FACITE*: nequaquàm diuellenda & discerpenda sunt hæc sacra verba, & sacra actio: quemadmodum Papistæ faciunt, affirmantes, perfectionem huius Sacramenti consistere in sola consecratione horum verborum (*Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*) non in usu (*edite, Bibite*). Sicut enim is non esset verus baptismus, si minister aquam cum his verbis: *Baptizate eos in nomine patris &c. in aërem spargeret*, nulla persona præsentem quæ baptizaretur, sed esset merum ludibrium: ita neq; hoc verum Sacramentum esset, si Sacerdos verba & signa cæna tractaret, nemine præsentem qui acciperet, ederet atq; biberet in commemorationem Christi: sed esset histrionica quædam & ridicula actio & ludificatio.

Hinc etiam elucescit, vanam & friuolam esse distinctionem Fabri, qua Missam partitur in Consecrationem, Oblationem & Communionem.

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

munionem. de qua supra in principio huius libri audiuimus.

Quia enim Christus omnes hasce tres partes in cœna complexus est, ac nullam sine alia usurpauit, nulli hominum conuenit eas à se inuicem separare, & vnicuius suam distinctam proprietatem assignare. Christus certè non seorsim consecrauit, sed simul etiam statim discipulis suis communicauit: & has duas partes verbo suo ita copulauit, vt neutra sine altera utilis sit aut efficax. Præterea, non solum consecrauit hoc Sacramentum, & discipulis suis communicauit: sed simul etiam Deo Patri obtulit sacrificium laudis & gratiarum actionis, mandauitq̄, vt & nos hoc faceremus.

Quare legitima consecratio & communio cœna est tantum vna & indiuisa actio: & hæc duo simul sunt coram Deo acceptum sacrificium, non quidem expiationis, sed gratiarum actionis, laudum, commemorationis, orationis, & aliorum spiritualium exercitiorum: vt supra de significatione Sacrificij dictum est.

Insuper hinc apparet manifestam esse calumniam Fabri, cum Germ. fol. 94. inquit: Sectarij aiunt, si quis hoc Sacramentum accipere velit, Latin. fol. 158. iam quidem Christus est: sin minus velit, non nisi panis est. &c. Nam defectus, quare extra usum Sacramenti, non adsit corpus & sanguis Christi, non est in nostro velle aut nolle, sed in eo quod institutio Christi non seruatur, cum non accipitur, editur, bibitur. Cum enim omnis virtus & efficacia consecrationis pendeat ex institutione Christi, non potest corpus & sanguis Christi distribui, vbi institutio illa negligitur.

Germ. fol. 140.  
Lat. fol. 241.

Deinde Faber tragice admodum conqueritur de ijs, qui cœnam apud ægotantes celebrent, sine altari, non cõuenienti loco & tempore &c. ac vocat Sacrilegiũ, quo debitus honor præcelso huic Sacramento eripiatur. Vultq̄ solos Sacerdotes ritè ordinaros, ieiunos, & manè ante prandium consecrare, in consecrata Ecclesia & altari, sed ad usum ægotantium Sacramentum consecratum asseruandum & includendum esse.

Respondeo

Respondeo breuiter. Fa. emur ingenuè, quotiescunq̄ cœna iuxta institutionem Christi celebratur, quocunq̄ tempore, manè vel vesp̄i, ante prandium, vel post cœnam, quocunq̄ in loco, siue in consecrata Ecclesia & altari, siue in communi aliqua domo, à quibuscunq̄ personis, Lutheranis vel Papislicis, consecratis vel non consecratis, dignis vel indignis &c, semper adesse verum corpus & sanguinem Christi. Nam virtus & efficacia Sacramenti pendet ex mandato Dei, non ex dignitate personæ, alijs sive externis circumstantijs: neq̄ impeditur vlllo abusu, si modò institutio Christi salua & integra seruetur. Contra, vbi institutio Christi negligitur, non est verum Sacramentum, etiamsi Papa ipse Missificaret. Id quod hæcenus ita demonstrauimus, vt ne porta quidem inferorum præualere queant.

Nunc d. spiciamus, vtri apud egrotos Christi institutionem seruent aut violent? Papislae ne suo incluso Sacramento? an Concionatores Euangelij & sectatores Augustanae Confessionis, sua cœna? Nam penes quos erit institutio Christi, apud eosdem erit verum Sacramentum.

Videmus (pròb dolor) quanta sit carnis securitas in rebus prosperis. Viuitur sine lege, sine agnitione peccati, sine timore: contemnitur ira Dei, & omnium penarum denunciatio. Si autem Deus nos in grauem aliquem morbum conijcit, tum quasi ex alto somno expergesciti, peccata nostra incipimus agnoscere, per sentissimus iram Dei, mortem & æternam damnationem: ingruunt enim terrores, & improvisò superueniunt, quasi dolores parturientis. Ibi tum Sathan adoritur nos ignitis suis iaculis, auget terrores, & conatur nobis Christum cum suis beneficijs eripere, quasi nihil ad nos pertineat. Quales & quanti sint hi dolores & angustia, nemo, nisi expertus, nouit. Hic profectò conscientia stabilis aliqua & firma consolatione indiget: alioquin in hisce grauissimis tentationibus tristissima desperatione obrueretur.



## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Constat autem, Christum instituisse cœnam suam in solatium & corroborationem perturbatarum conscientiarum, ut hoc diuino signaculo certissimi reddantur, quòd filius Dei corpus suum pro nobis tradiderit, sanguinemq; suum pro peccatis nostris effuderit. Et hæc consolatio atq; confirmatio fidei, magis verbo Domini, quàm hoc Sacramentum consecratur, subministrari solet, quàm multo signo panis. Quare summopere necessarium est, ut apud ægros integra cœnæ actio celebretur, & iucundissima illa verba probe ipsis inculcentur: Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Accipite, bibite, Hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur. Hinc aded antiquitus dicebantur Instrui (berichte werden) quibus cœna communicabatur. Non autem instruuntur homines, cum duntaxat panis consecratus in os inseritur: sed cum verba cœnæ ipsis annunciantur, & pia explanatione illustrantur.

Sed quid sit apud Papistas? Non habent in Missa sua verum corpus & sanguinem Christi (ut supra demonstratum est) sed nudum panem. Hunc includunt, & ad ægros nil nisi panem deferunt. Si autem velint adesse corpus & sanguinem Christi, necesse habent tum primum apud ægros consecrare, cum ipsis mortem Domini annunciant, & de corpore tradito, & de sanguine pro peccatis mundi effuso concionantur. Neq; impedit substantiam ipsam Sacramenti, quòd varios abusibus & idolatriam multiplicem exercent apud ægros, in confessione auriculari, pœnitentiæ sacramentali, indulgentijs, extrema unctione, inuocatione sanctorum, & similibus vel nugis vel impietatibus.

Quòd verò Faber hunc Actum idcirco non arbitratur esse legitimum consecrationem Sacramenti, quia non fiat in consecrata Ecclesia & altari, non manè ante prandium, & c. id per quàm ridiculum est. Christus enim nihil horum in prima institutione obseruauit

uauit, neq; nobis obseruandum præcepit: sed Ecclesiæ suam libertatem in his reliquit.

Nam quod ad locum attinet, Christus cœnam suã non publicè in templo aut Synagoga celebrauit, vbi tamen aliàs quotidie docere & miracula ædere solebat: sed in priuatis adibus ciuis cuiusdam Ierosolymitani, in cœnaculo. Quomodo ergò verbis hisce, Hoc facite, aliquid nobis mandaret, quod ipse non fecisset? Iam & Apostoli passim in domibus fregerunt panem. Act. 2. quem locum Faber ipse de Sacramento cœnæ interpretatur. Et quamuis Paulus alibi doceat, vt fideles in Ecclesia conueniant, & alius alium expectet, atq; ita simul omnes de vna mensa vel altari panem & vinum participant, quemadmodum omnes vnus panis & vnum corpus sint in Domino 1. Cor. 11. & 14. Tamen cum alibi grauissimè nos adhortetur, vt in libertate, qua Christus nos vocauit, stemus, & ne rursus iugo seruitutis implicemur, neq; iudicari nos patiamur in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, &c. Gal. 5. Col. 2. certum est, ipsum loqui de ijs fidelibus, qui commode possunt conuenire. Hi sanè publicas ordinationes non debent contemnere, nec priuata conuenticula agere. Vbi autem necessitas ægrotantium aliud exigat, ibi ordinatio necessitati cedat & locum det. Sabbathum, inquit Christus, propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum. Mar. 2. Quibus verbis docet, externas ceremonias & ordinationes ita seruire pijs, vt necessitati eorum meritò cedere debeant.

Ad hæc, Ecclesia non solum est lapidea illa & dedicata domus, in qua populus congregatur: sed etiam cuiusuis Christiani domicilium & familia, est Ecclesia, quantumuis parua. Ad Philemonem scribens Paulus: Ecclesiæ, inquit, quæ domi tuæ est. Et Colos. 4. Salutate Nympham, & quæ in domo illius est Ecclesiam. Vbi cunq; igitur verbum Domini prædicatur, & Sacramenta secundum institutionem Christi administrantur, ibi est ve-

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

ra Ecclesia & templum Dei, consecratum presentia Dei patris, filij, & spiritus Sancti: ut maxime non sit cultus locus, sed desertus. Promisit enim Dominus: ubiunq; sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Matth. 18.

Præterea, Fideles propter corporalem infirmitatem & agilitudinem non excluduntur ab Ecclesia, sed multo magis passioni Christi & communioni sanctorum inseruntur. Et quanquam plerumq; vna duntaxat persona, ægrotans nimirum, cœnam accipiat, tamen non minus est communio corporis & sanguinis Christi, quàm si plures vnâ acciperent. Communio enim propriè dicitur, cum quis aliquid dat, alter accipit: siue multi, siue pauci sint, qui accipiunt. Cum autem hoc tam fiat in conclauis, apud ægrotantes, quàm in consecrata Ecclesia & altari, quid obstaret, quò minus hoc sacramentum etiam coram ægrotantibus in aedibus ipsorum consecrandum esset? cum cõsecratio & cõmunio à Christo tam æcto vinculo colligata sint, ut neutra sine altera fieri vel possit vel debeat.

Et ut obiter hoc admoneam, Patres cõmunionem in domibus ægrotantium celebratam, aut lapsis, peregrinis & hospitibus intra priuatos parietes exhibitam, vocarunt communionem priuatam, à loco deducta appellatione: quam Faber ad Missam priuatam detorquet, in qua tamen nulla prorsus est cõmunio, sed cõmunionis priuatio.

Porro quid de Constitutionibus Rom. Pontificum, Clementis, Sixti & Felicis, de consecratis Ecclesijs & altaribus, sentiendum sit, in superioribus centurijs ostendimus. Certè eas Constitutionibus Paulinis non præferre, imo ne æquare quidem possumus. Paulus enim citra omnem superstitionem, pro Christiana libertate, ordinariam & publicam cõgregationem à Corinthijs exigit, ad præcauendas sectas & dissensiones: sed sine periculo ægrotantium, quorum necessitati hac constitutione nihil voluit præscribere. Pontifices autem isti, citra & contra mandatum diuinum consecrant lapides

pedes & ligna, in officinam sacrificij Missæ. Quam traditionem Faber ita urget, ut propter illam, præceptum Dei transgrediatur. Hæc est enim voluntas, & hoc est mandatum Dei, ut ægrotos in tentationibus & doloribus consolemur & corroboremus, tam verbo quàm Sacramento. Id Faber impudenter vocat sacrilegiũ, eo quòd domus, mensa, & lectus ægroti non sint ab Episcopo aut suffraganeo cõsecrati. O temeritatem & insaniam hominis. Quando tandem verbum & ordinationes Dei calumniari desinet? Des ipsi Dominus saniozem mentem. Amen.

Alterca causa, qua Faber usum cœnæ apud ægrotos, tollere conatur, super eodem fundamento extructa est, super quo consecrata Ecclesiæ & altaria: videlicet, super arena humanarũ traditionũ. Neq; debet, inquit, Sacerdos Missæ sacrũ poragere, nisi ieiunus sit, & manè ante prandium, non serò post cœnam. Et quia testimonijs scripturæ destituitur, confugit ad Epistolam 18. Augustini ad Ianuarium: qua demonstrare nititur, pomeridiano aut nocturno tempore, cum neq; Sacerdos neq; ægrotus sint ieiuni, Sacramentum non posse confici aut consecrari.

Respondeo. Est sanè honesta consuetudo & laudabilis, hoc Sacramentum manè ante prandium tractandi. Sunt enim ieiuni ad omnia munia obeunda aptiores, quàm ij quorum corda ebrietate & crapula grauantur. Vnde & Dominus Aaroni præcipit: Vinum, inquit, & omne quòd inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini: & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum. Leuit. 10. Et sapientes quidam Ethnicici biduo non gustarunt vinum, cum in senatum ipsis eundem fuit. Quanto magis conuenit hoc veniabile Sacramentum à ieiunijs & sobrijs tractari & accipi? Itaque nemo vel ægrotus vel sanus hanc consuetudinem temerè violare debet. Quòd autem Faber, sine omni discrimine & delectu, hanc quasi

necessa-

Germ. fol. 14  
Lat. fol. 242

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

necessariam legem omnibus imponit, & propterea consecrationem cœnæ apud egrotos tanquam sacrilegium damnat, id nullo modo ferendum est, nec ullo testimonio scripturæ nititur.

Etenim Christus ipse Sacramentum cœnæ celebravit & instituit, ea nocte qua traditus est, & cum discipulis suis agnum paschalem ederat, poculumq; charitatis biberat. Sic Apostoli post ascensionem Christi cœnam post sumptum cibum celebrarunt, ut in 1. Cor. 11. clarè cernitur. Et Faber ipse fatetur, Christum in Emaus vespere præbuisse Sacramentum (licet sub una speci?) duobus discipulis, quos usq; ad vespeream ieiunos mansisse non est verisimile. Adde, quod temporibus Augustini nonnullæ Ecclesiæ hunc morem observarunt, ut in quinta feria ultimæ hebdomadæ Paschæ post cœnam tantummodo offerrent. Quæris, inquit, quid per quintam feriam ultimæ hebdomadæ Paschæ fieri debeat: An offerendum sit manè, & rursus post cœnam? An ieiunandum, & post cœnam tantummodo offerendum? Epistola. 118. ad Ianuarium.

Hæc accedit, quod verum ieiunium non consistit in eo, si quis à media nocte usq; ad meridiem nihil cibi aut potus sumat, atq; intermisciat quod carni suæ libeat: quale plerumq; est ieiunium Sacrificulorum. Sed hoc est ieiunium, quod elegi, dicit Dominus Esa. 58. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos depri- mentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam (id est, proximum tuum) ne despexeris. Si ergo Sacerdos hoc modo ieiunus sit, nonne etiam post prandium apud egrotos consecret? Egroti equidem verò modo ieiuni esse solent. Morbus enim non multum cibi admittit, & adigit interim ipsos ad spiritualem famem & sitim iustitiæ, quam, cum adhuc sani validiq; essent, non sentiebant, nec magnoperè Sacramentum curabant.

Quapropter

Quapropter si cœna vssiam magna reuerentia & deuotione peragitur, certè apud ægrotos præcipuè peragi debet & potest. Hic enim est serua agnitio peccati, serua fides, ardens precatio, Gratiarum actio, consolatio, communicio corporis & sanguinis Christi, commemoratio & publica annunciatio mortis Dominicæ: Deniq; nihil ludicrum, nihil iocosum, sed serua & religiosa omnia.

Sin autem Faber omninò contendit, ieiunium esse, idè significare, quod nihil edere: cur non concedit, Sacerdotes cœnam consecrare apud illos ægrotos, qui vsq; ad meridiem ieiunant? (neq; enim omnes ægroti post meridiem, sed pleriq; ante meridiem communicant) Et si ægroti ministros Ecclesiæ maturè ad se vocarent, id quod fieri decet, posset cœna à ieiunio Sacerdote & à ieiunio ægrototo tractari & accipi. Quia verò Faber neq; hoc concedit, certissimum est, mera esse ludibria, quæcunq; de ieiunio ad consecrationem necessario deblaterat. Certè si Missa & Consecratio non nisi à ieiunio peragenda esset, crede mihi, multo minor esset Missarum numerus. Quàm sobrii enim & ieiunio sint pleriq; Sacrificuli, non tantum à meridiè vsq; ad mediam noctem, sed sæpè etiam à media nocte vsq; ad meridiem, hoc est, ante & post Missam, id lippis & tonsoribus notum est.

Quid verò Augustinus in Epistola ad Ianuarium, de adiaphoribus quibusdam Constitutionibus Patrum circa celebrationem cœnæ scribat, supra est expositum. Vnde colligitur, hanc de ieiunio constitutionem factam esse ad ædificationem, non ad destructionem: et tam nõ impedire vsum cœnæ apud ægrotos, quàm non impediunt illum ceteræ Constitutiones, de consecratis Ecclesijs & altaribus. Et quidem dudum in desuetudinem abiit ista de ieiunio ægrotorum superstitiosa opinio. Adhuc consecrant peculiare lapides, quos vocant portatiles, quasi portatu faciles, super quibus Sacramentum consecrant vbicunq; volunt: nunc militia sub tentorio, nunc domi in Gynacæis & diuitum ædibus: cur non eosdem in

## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

ædes pauperum agrotantium deportant? Sed reuera hoc agunt, ut auctoritatem & precium Missæ augeant. Nam si eòres deueniret, ut Missæ etiam apud agrotos consecrari & celebrari possent, crede mihi, non tanto precio Missas suas possent vendere.

Germ. fol. 140.  
Lat. fol. 243.

Pergit Faber, & docet, speciem panis in Missa consecratam, pro agrotis reuerenter & deuotè asseruandam, includendam & adorandam esse. Sed quia & hic testimonijs scripturarum destituitur, rursus ad Patrù auctoritates se conuertit. Christus enim in prima institutione non modò nihil tale mandauit, verum etiam usus est eiusmodi verbis, quæ nullam asseruationem & inclusionem admittunt. Accipite, inquit, edite: Accipite, bibite. Hoc sifit, Sacramentum statim integrè absùmitur, quemadmodum agnus Paschalis à Iudæis integer consumebatur, nec opus est aliqua reseruatiõne & inclusione.

Præterea superuacaneum est, propter agrotos Sacramentum reseruare & includere, cum non minus apud agrotos in ipsorù adibus consecrari & celebrari queat, quàm publicè in Ecclesia, ut modò diximus.

Quanquàm verò nec Christus neq; Apostoli Sacramentum asseruauerint, alijsq; asseruandum præceperint: tamen fatemur, modò post Apostolorù tempora hunc morem inoleuisse, ut de reliquijs Sacramenti aliquid asseruaretur: sed longè alia de causa, quàm apud Papiſtas ante paucos annos fieri incæpit. Scribit enim Eu ebrius, Presbyterum à Serapione vocatum, sed morbo detentum, ire non valuisse: de disse autem puero parum Eucharistiæ, iussisseq; ut illi infunderet, & in os infillaret. Quod sanè non de pane duntaxat, sed de calice etiam intelligitur lib. 4. Ecclesiast. Hist. cap. 44.

Et Hieronymus in Epistola ad Rusticum Monachum, scribit, Exuperium Tholosanum Episcopum solitum esse, corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portare in vitro.

Faber

Faber autem vult, solam panis speciem includendam & ad ægrotos deferendam esse. Veteres reseruarunt Sacramentum ad usum tantummodò, vt aut ipsemet illud domi ante alios cibos cum gratiarum actione sumerent, teste Tertulliano lib. 2. ad uxorem: aut hospitibus & ægrotis in aedes eorum mitterent, teste Eusebio lib. 5. cap. 24. Faber verò asserit, illud reseruandum esse ad cultum & adorationem.

Olim non soli Clerici, sed & laici, viri, fœminæ, pueri & puellæ Sacramentū suis manibus acceperunt, & in vilibus vasculis asseruauit: vt canistro vimineo, vitro, panniculis, arculis, sicut testantur, Eusebius, Cyprianus, Hieronymus, & Ambrosius. Quæ omnia Faber cum suo sodalicio hodie nequaquam concedit.

Veteres item non ad diuturnum tempus asseruauerunt Sacramentū. Cum enim quotidie cœnā Dominicam celebrarent (vt Centuria 4. dictum est) non erat necesse diu reseruari: sed eo ipso die, aut paucis diebus post, apud ægrotos & peregrinos absuebant, tanquam partem cœnæ antea celebrata, quæ exiguo tempore antecesserat. Papistæ autem reseruant & includunt Sacramentum, donec à tineis & muribus corrodatur: ac si calicem quoque includerent, metuunt ipsi, ne in aestate acesceret, in hyeme verò congelasceret. Itaque Faber testimonijs Irenæi, Eusebij, Hieronymi, Augustini &c. hierothecam suam & inclusum suum Deum nequaquam potest defendere.

Sed esto, quòd aliqui Patres & Ecclesiæ Sacramentum eam ob causam reseruarint, quam Faber confingit: hic tamen non euincitur, rectum & iustum esse, aut à cæteris omnibus ita obseruatum, & nobis quoque obseruandum esse. Imò etiamsi omnes vetustæ Ecclesiæ, omnesque veteres Patres ita sensissent, & Concilia quadam sic decreuissent, tamen ne sic quidem conficitur, à nobis idem faciendum esse. Quia non tantum considerandum est, an aliquid à paucis vel à multis factum sit, an diu vel breui durauerit: sed quam piè, quam cõuenienter verbo Dei, aliquid doctum decretum



## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

et obseruatum fuerit: et an ad salutem nostram sit necessarium aut conducibile. Constat autem reservationem Sacramenti, non tantum non apud omnes Ecclesias, verum etiam non iuxta Verbi diuini prescriptum in vsu fuisse.

Ysichius, discipulus Nazianzeni, qui vixit circa annum Domini 380. in Leuit. cap. 8. lib. 2. Videmus, inquit, in Ecclesia igni tradi, quae cumq; remanere contigerit inconsumpta.

Origenes in Leuit. Homelia 5. Nam et Dominus de pane, quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite et manducate: non distulit, nec reseruari iussit in crastinum.

Clemens 1. circa annum Domini 90. De Consecra. Dist. 2. Ca. Tribus gradibus. Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reseruentur: sed cum timore et tremore clericorum et diligentia consumantur.

Honorius autem 3. anno Domini 1246. hoc esse, ante trecentos et viginti annos, constituit: De celeb. Miss. Can. Sanè cum olim. Ne propter iniuriam Sacerdotum diuina indignatio grauius exardescat, districte precipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo et signato semper honorifice collocata, deuote ac fideliter conseruetur. Sacerdos verò frequenter doceat plebem suam, vt, cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet: idem faciens, cum eandem defert presbyter ad infirmum.

Si ergò Ecclesia mille et ducentis annis, sine hierotheca aut ædicula sacramentaria, verum vsu Sacramenti habuit: quid nobis liceret, Sacramentum sine tali ædicula celebrare et tractare? Tutius certè sequimur eos, qui iuxta scripturam, Sacramentum totum absumentum docuerunt, quàm eos, qui non sine abusu et scandalo Sacramentum reseruarunt et incluserunt.

Neq; tamen condemnabimus veteres Patres et Ecclesias, qui  
non

non satis accuratè inspectis & expensis verbis Christi, inscienter Sacramentum reseruarunt. Nullo autem modo approbare possumus horribiles abusus, qui ex bona intentione ipsorum apud posteros irrepserunt, quos Faber ultra tot admonitiones pertinaciter & mordicus retinet.

Sed excusari forsàn posset, quòd Sacramentum in certo quodam & destinato loco Ecclesiæ reseruetur, ne panis & vinum, semel ad cœnam Dominicam deputata & sanctificata, rursus in prophanium usum cõuerterentur: vt si Eucharistia cum Ecclesia aut cum ægrotis celebranda foret, panis ac vinum præstò ad manum essent, nec semper necesse foret, materiam de vulgari pane & vino sumere. Quemadmodum & in Baptisterio peculiaris aqua asseruata fuit ad baptismum, ne semper recens aqua ex quouis fonte aut fluuio haurienda esset. Et hñc. procul dubio respexerunt veteres, reseruatione Sacramenti. Verùm vbi semel à verbo Dei disceditur, error alius alium è vestigiò sequitur, donec tandem veritas prorsus amittatur. Ita & hñc accidit. Posteaquàm enim exemplum Patrum & Ecclesiarum quorundam abiijt in generale præceptum, reseruandi & includendi Sacramentum: continuò alij plures & atrociores abusus atq; idolomanie exortæ sunt: Vt opinio de Transsubstantiatione: & subriles illæ quæstiones, de eo, quòd periculum sit, ne sanguis Christi in hyeme inclusus congelascat, in æstate accescat: quòd vt præcauerent, in Concilio Constantiensi laicis calicem prorsus abstulerunt. Hñc accessit circumgestatio inclusa hostiæ, contra omnes imminentes necessitates & pericula ignis, aquæ, tempestatum: præsertim Persica illa pompa, & adoratio panis, in Festo corporis Christi. Quæ omnia ex inclusione Sacramenti originè suam ducunt, nec vlla ratione excusari possunt. Pugnans enim è diametro cum mandato Christi, & vsu primitiue Ecclesiæ, quæ aliam arculam & adiculam Sacramenti ignorauit, quàm os & cor fidelium, qua tanquàm munitissima cista Eucharistia asseruanda custodiendaq; est.

## QUINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Primum enim Christus cœnam cum discipulis suis celebrans, non usus est ea pro purgando pestilenti aëre, aut auertendis periculis tempestatû, grandinis, ignis, aque & similibus: nec mandavit discipulis suis ut id facerent: sed dedit ipsis ad edendum & bibendum in sui commemorationem, iussitq; eos HOC facere. Itaq; sicut Israëlita arca fœderis Domini, contra Verbum eius abutebantur, deferentes illam in castra contra Philistinos, & ab hostibus vinciebantur. 1. Sam. 6. Ita Papista horribiliter & idolatricè abutuntur Sacramento contra mandatum Domini, circumgestantes illud ad depellenda Sathanae spectra, & auerruncanda (ut veteres loquebantur) omnia infortunia.

*Germ. fol. 144-145.  
Latin. fol. 245-246.* Festum corporis Christi Faber non potest satis magnis & dignis laudibus euehere. Dicit illud institutum esse auctoritate spiritus sancti, & totius Ecclesiae: facitq; ex eo sacrificium Deo acceptum, nobisq; non minus necessarium, quàm ipsam cœna Dominica institutionem, imò quàm ipsum sacrificium Missae, quod tamen alibi pro summo & præstantissimo opere vendit at. Quomodo autem hæc omnia cum sacris Scripturis & primitiua Ecclesia conveniant, ordine audiemus.

*Germ. fol. 144.  
Lat. fol. 149.* Principiò fatetur Faber ipse, Christum nusquam Sacramenti deportandi legem condidisse, sed spiritus Sancti auctoritate & instinctu constitutam esse. Studiosè autem recitet, quibus aut quo tempore spiritus hoc festum celebrandum esse reuelauerit. Veretur enim, ne si fateatur, ante annos demùm trecentos, à sui ordinis Monachis, Urbano quarto & Thoma Aquinate, institutum esse, nos contra excipiamus, cur non spiritus Sanctus ab initio statim Apostolis alijsq; Patribus & doctoribus Ecclesiae reuelauerit? aut, num Ecclesia mille & ducentos totos annos, ante huius festi institutionem errauerit? Itaq; studet imperitis fucò verborum nebulas offundero, ut credant hoc festum esse pium & antiquissimum. Sed longè errat. Quicquid enim extra vel contra sacram Scripturam

ram traditur & instituitur, aut ex propria intentione pro cultu Dei habetur, id nullo modo pro instinctu spiritus Sancti agnoscendum & recipiendum est. Huius autem generis esse festum corporis Christi, ex sequentibus rationibus elucescit.

Primum. Neq; Christus neq; Apostoli vlllo verbulo id præceperunt, quod Faber ipse quantumuis inuitus fateri cogitur. Testatur autem sacræ literæ, nullum cultum in Ecclesia sine expresso mandato diuino instituendum esse. Frustrâ (inquit ex Esaiâ Christus) colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et Matth. 23. Docentes eos seruare omnia, quæcumq; præcepi vobis. Deut. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.

Excipit Faber: Quis, inquit, Natiuitatis Christi solennitatem, Germ. fol. 148.  
Quis Paschales ferias, quis reliquos festos dies Christi & Apostolorum constituit? Nimirum cuius auctoritate hi atq; eius generis alij instituti sunt festi dies, eius quoq; pari auctoritate, corporis Christi festum celebre institutum est. Ea est Ecclesia Catholica, quam nos sanctam confitemur, &c. Lat. fol. 244.

Respondeo. Si Papiſta hoc festum in libertate Christiana hunc in usum celebrarent, vt quotannis certo die populus erudiretur, de vero usu huius Sacramenti, & præmuniretur contra omnes hereses & abusos, quemadmodum alias per circulum anni in reliquis festis Christi, articuli Christianæ fidei populo ordine proponuntur & expli- cantur, tum sanè Fabri obiectio aliquid valeret: neq; nos de hoc die odiose cum ipso rixaremur. Iam verò cū hoc festum tãquam neces- sariū & insignè cultū Dei, ex propria intentione, instituunt, ad ex- pianda peccata, & promerendas Indulgentias Pontificias, nec in hoc festo quicquam de Sacramento cõcionentur, neq; illud distribu- ant, imò impijssimè contra institutionem Christi abutatur, referen- dum est hoc festum in numerum eorum, de quibus Dominus apud Esaiam quasi nauseabundus conqueritur. Neomeniam, inquit,

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

& sabbatham, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras & solennitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Esaia. 1.

Et quanquàm Christus non prohibuerit, ne venerabili Sacramento certus dies festus assignetur (hoc enim Ecclesie ratione libertatis Christiana licet, ad adificationem) tamen abusus & idolomanias prohibuit, quas Papistæ hoc die frequentius & horribilius, quàm alijs diebus, exercent, sub specie & simulatione veri cultus diuini: vt sunt Indulgentiæ Romanenses, adoratio Sacramenti, & muta actio sine annunciatione mortis Dominicæ, & sine distributione inter populum. Itaq; inter nos & Fabrum non est lis de die, sed de idolomania & abusus hoc die vsitatis.

Gerin. fol. 145-  
Lat. fol. 149-

Veruntamen ne videretur hoc Festum sola humana inuentione & idolothymia, verum & verbo diuino niti, typum producit Faber ex veteri Testamento. Manna, inquit, iubetur in vrna aurea recondi, & asseruari in arca. Præbuerat quidem Dominus populo illi Israëlitico manna vescendi causa: verum etiam illius volebat esse memoriam, idq; in vrna deportari. Exod. 16. Arca item septies circumiuit urbem Hiericho delata à Sacerdotibus, clangentibus buccinis, & tota populi frequentia arcem subsequente. Iosue. 6. Et Dauid eandem in iubilo, & in clangore buccinae, totis viribus ante eam saltans, in urbem Ierosolymam introduxit, 2. Reg. 6. Si tantam, inquit Faber, licuit figura deferre venerationem, nec id Deo displicuit: cui tandem possit esse offenculo actio Catholica, in Dei honorem destinata, qua Sacramentum hoc longè dignissimum, solenni processione, in aurea vel argentea hierotheca deferimus, hymnos modulamur, ferta gestamus, ardetesq; cereos, plateas graminibus aspergimus? &c.

Tædet profectò me, quòd subinde ad puerilia & ridicula Fabri deliria respondere cogor. Semper enim ex exemplis & nudis factis veterum communes & generales regulas fingit: Quod in rebus ciuilibus

uilibus imprudenter, in diuinis verò etiam intolerabiliter fit. Vt enim non licet nobis, exemplo Abrahami immolari filium, nostros etiam liberos sacrificare: ita non licet exemplo Israëlitarum, Sacerdotum & Davidis, urnam auream & arcam fœderis gestantium & circumducentium, nostrum quoq; Sacramentum circumducere & circumgestare. Abraham, Israël & Daniel habuerunt expressum mandatum Domini, vt in locis paulò antè annotatis cernere licet. Nam quod Faber ait, Deum Dauidi, vt ita faceret, nullà præscripsisse legem, impudens est temeritatis, ne dicam mendacij. Dixit enim Dauid ad omnem cœtum Israël: Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor, reducamus arcam Dei nostri ad nos. 1. Chron. 13. Et cap. 16. Illicitum est, inquit, vt à quocūq; portetur arca Dei nisi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & administrandum sibi vsq; in æternum. Ad hæc, Zion erat locus, quem elegerat Dominus pro arca testamenti, iuxta illud psalmi. 132. Quoniam elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et ibidem. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tue. Iam & tota historia Davidis testatur, quòd in omnibus suis operibus Dominum consuluerit, ac nihil inconsulto ipso temerè incepit. Quæ sanè omnia Davidis factum ab omni suspitione *idologetricas*, & à calumniis Fabri vindicant.

Sed quid si dicam, Festum corporis Christi similitudinem quandam habere cum arca Domini, non vt à Dauide domum deducta est, sed vt ab Israëlitis tempore Eli in pugnam contra Philistinos allata est? Nam Dauid omnia iuxta præscriptum mandati diuini egit: Illi verò *uiciorum* quadam Patrum, qui ex mandato Domini arcam in deserto, & circa muros Hiericho circumtulerant, temerè absq; ullo mandato vel promissione Dei arcam secum in pugnam detulerunt: sperantes se hoc pacto gratiam & auxilium à

R r      Domino

QUINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Domino consecuturos. Vnde ita offensus fuit Dominus, ut & ipsi & Sacerdotes arcam gestantes occiderentur, & arca ipsa ab hostibus capta abduceretur. Sic & Sacramentum in processione corporis Christi, sola peruersa imitatione veteris illius arca, contra mandatum Domini circumgestatur. Vnde Dominus non tantum non placatur, sed ad maiorem etiã iram prouocatur & accenditur.

Sed audiamus etiam insignes & grauisimas, si Deo placeat, rationes institutionis huius festi, quas Faber prætexit. Christiani, inquit, in hebdomada passionis Domini mestitia dediti, satisq; occupati sunt erga Christi crucem, acerbamq; mortẽ, & in eam inueniendo curam, ut per pœnitentię Sacramentũ, & dignam Eucharistię perceptionem, sacratissimę passionis Christi participes se reddant: ijs nimirum rationibus permota Ecclesia, peculiarem instituit celebritatem, debita cum reuerentia, ac solenni iubilo, interna quoq; & externa cum lætitia peragendam, in qua ingenti gratitudine huic Sacramento honorem habemus deponendo, visendum exhibendo, spirituales modulando cantiunculas, arduentes ferendo cereos, spargendo flores, gramina, frondes, adhibendis cymbalis, tubis ductilibus, organis, multisq; alijs ceremonijs. Flaccus Faber.

Vide obsecro, quàm pueriliter & ineptè balbutit Faber de commemoratione & annüciatione passionis Dominicę? Facit enim triplicem commemorationem illius. Prima est ~~comparatio~~ & compassio seu commiseratio acerbissimę passionis Dominicę, quali affectione homines non profus immanes & barbari omnes miseris & calamitosos persequuntur, etiam sceleratos & maleficos, cum torqueri & cruciari illos vident audiuntq;. Sic mulieres desolebant, Christum, cum ad crucem abriperetur. Luc. 23. Atq; hoc modo vetule anus passionem Christi, & compassionem Marię deplorant, Monachis passionem deuotè & lamentabiliter prædicantibus. Quę pathetica consideratione passionis Dominicę, Faber Christianos ita occupari dicit, ut reliquarum obliuiscantur: cum tamẽ Christus

Germ. fol. 141.  
Latin. fol. 245.

CANONIS MISSÆ. CENT. VI. 66

Plus hanc reiiciat: Filia, inquit, Ierusalem, nolite flere super me, sed super vobis ipsis flete.

Altera consideratio, quam Christus ipse instituit, est, cum homo ex vera penitentiâ, id est, agnitione peccatorum, & fide in Christum, sacram cœnam accipit, in qua se passionis Dominicæ participem reddit. Hanc Faber adeo vili pendit, ut in Festo corporis Christi huic nouæ & solenni reuerentiæ cogatur cedere: cum tamen ea sit vnica & legitima commemoratio, propter quam Christus hoc Sacramentum instituit.

Tercia est, ista plusquàm Catholica solennitas & celebritas festi corporis Christi, qua Sacramentum longè alia & præstantiori ratione colunt atq; venerantur, quàm Christus ipse instituit: quæ ratio Apostolis & vetustis Patribus, imò toti Ecclesiæ Catholicæ mille & ducentis annis, ac amplius ignota fuit. Quæ ergo illa est? Sacramentum, inquit Faber, laudibus vehimus, illi honorem habemus deportando, visendum exhibendo, spirituales modulando cantuunculas, ardentes ferendo cereos, spargendo flores, gramina, frondes arborum disponendo, fertas gestando coronas, adhibendis cimbalis, tubis ductilibus, organis, multisq; alijs ceremonijs. O cœlestes reuelationes.

Ethnici mutâ suâ idola circumgestarunt, certis carminibus & ceremonijs prosequentes, quibus coli & placari ipsos opinabantur. Sapientiores tamen inter eos, docuerunt, Deum utpotè spiritum, vel (ut ipsi loquebantur) animum, præcipuè pura mente colendum esse.

Faber autè & omnes Papiſtæ colunt Deum suum Mausim, auro, argento graminibus, floribus, frondibus, fertis, tubis, fistulis, omnibusq; instrumentis Muscis, quibus amasij suas amasias demereri student. Quis amâbo festum istud validius concutere & prosternere posset, et antiquam nō Christiani sed plusquàm Ethnici, ac ipse Faber hoc loco facit? Quantum enim in ipso est, delet veram commemorationem mortis Dominicæ, substituitq; prorsus puerile & Ethnicâ.



## QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

Iam & hinc patet, Festum istud non esse ex Deo, quod Urbanus quartus illud: anquam opus meritorium remissionis peccatorum instituit. Sic enim habet Bulla, quæ Dominica proxima ante Festum corporis Christi populo prælegi solet: Omnes per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia deuotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod huius preciosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die: possintq; ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum & celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio Festi eiusdem in Ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: qui verò Missæ, totidem. Qui autem in primis ipsius Festi vesperis interfuerint, similiter centum: qui verò in secundis, totidem: illis verò qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completorij officijs inter uerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta. Illis autem, qui per octauas illius festi matutinalibus vesperinis Missæ ac prædictarum horarum officijs interfuerint, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli auctoritate confisi, de iniunctis sibi pœnitentijs relaxamus. Hactenus Bulla Urbani.

Has indulgentias, proximus ab illo Pontifex, Clemens 5. auxit, & duplicauit. Hinc octaua corporis Christi dicta est Septimana Indulgentiarum: & à plarisq; creditum fuit, hoc opere & cultu gratiam Dei & remissionem peccatorum impetrari posse.

Latissimus hic sese offerret campus daclamandi contra Indulgentias Romanenses: atq; ostendendi, veram indulgentiam & remissionem peccatorum sola fide in Christum impetrari. Huic enim testimonium perhibent omnes Prophetæ & Apostoli, quod remissionem peccatorum duntaxat in nomine eius accipiat, quisquis cre-

diderit

diderit in eum. Sed quia à Præceptoribus nostris, per gratiã Dei, impostura Indulgentiarum toti orbi patefacta sunt, & articulus de iustitia fidei clarissimè illustratus, ego, ne Soli lumen addere velle videar, omisissis his, tantum demonstrabo, hanc Constitutionem è diametro cum institutione & usu Sacramenti pugnare, ac proinde Festum istud nequaquam ex Deo esse. Cuperet quidem Faber, quem sua vr̄it & torquet conscientia, hanc Bullam perpetuo silentio obrutam: sed ingerendus est factor abominationis istius, crassis & pituita obstructis naribus, Fabri istius nasutuli.

Apertè explicat Paulus mandatum Christi, Hoc facite, hisce verbis: Quotiescunq̄ comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit, 1. Corinth. 11. Quomodo enim credent in eum, de quo non audierint? Quomodo autem audient absq̄ prædicante? Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Sed Urbanus 4. in hac Bulla non adhortatur populum, ad audiendum verbum Dei, sed ad officium Missæ, ad horas Canonicas, matutinam, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, & Completorium. Atq̄ his nugis ita occupatur misera plebs, vt interea ne cogitet quidem de prædicatione Verbi Dei.

Porro, quemadmodum Christi meritum, cum omnibus celestibus bonis, per prædicationem Euangelij offertur: ita sola fide in unicum seruatorem & mediatorem Christum, ac nulla alia via, medio, opere & merito, accipitur remissio peccatorum, spiritus sanctus, adoptio, & hæreditas vitæ aternæ: attestante tota S. Scriptura, & præsertim D. Pauli ad Romanos & Galatas epistolis. Quid autem Urbanus in Bulla sua? Meritum remissionis peccatorum tribuit non tantum operibus à Deo præscriptis, vt orationibus, ieiunijs, eleemosynis, verum etiam operibus traditionũ humanarum, vt, Missæ, Indulgentijs, horis Canonicis. Quis horribilem istam Idolatriam satis deplorare potest? qua meritum solius

**QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE**  
preciosi sanguinis Christi tribuitur celebrationi festi istius. Quid  
est sacrilegium, quid est blasphemia, quid impietas, si hoc non  
est? Nonne hæc sola satis magna & iusta causa est, quare festum  
istud fugiendum & toto pectore detestandum sit.

Præterea, Christus hoc Sacramentum ideo instituit, ut illud e-  
deremus atq; biberemus, quo tanquam cœlesti signaculo certiores  
redderemur de remissione peccatorum & vita æterna. Papa verò  
Urbanus palmam nobis interuertens, monstrat tantummodo Sa-  
cramentum, nemini interim communicans: & ablegat nos ad me-  
rita nostrorum operum, & ad indulgentias Romanas. Promittit  
enim verè penitentibus & confessis, ac dignè se præparantibus,  
Missasq; audientibus, centum & quadraginta dierum indulgentias.  
Ecquis autem peccata sua sufficièter agnoscat, & pœnitebit? Quis  
satis magna & ardenti deuotione preces recitabit? Quis sufficien-  
tes elemosynas, aliâq; opera charitatis præstabit? Fieri quidem  
hæc debebant: sed impedit carnis infirmitas, quæ legi Dei non sub-  
ditur, siquidem ne potest quidem. Rom. 8.

Itaq; cum promissio harum indulgentiarum Papalium condi-  
tionaliter fiat, & verò conditiones sint impossibiles, manet semper  
incerta. Sed vera remissio peccatorum nititur merè gratuita pro-  
missione misericordiæ, quæ firma est & immutabilis, & confir-  
matur non intuitu huius Sacramenti in Monstrantia seu Hero-  
theca, sed esu & potu ipsius, in memoriam mortis Domini.

Sunt & aliæ plures rationes, quæ hoc festum non ex Deo esse ce-  
stantur. Vt, quodd dimidiatū Sacramentū, sola videlicet species pan-  
nis, circumfertur: & quodd reuera non est corpus Christi, sed purus  
putus panis. Sed quia de his supra dictū est, transeamus nūc ad alia.

Adiicit Faber superioribus, tertiam quoq; huius Sacramenti  
reuerentiam, videlicet adorationem: quam licet non expressè no-  
minet, tamen hæc est eius sententia: cum substantia panis & vini  
post consecrationem transeat in substantiam corporis & sanguinis  
Christi.

Christi, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, hostiam consecratam merito, quoties in Missa eleuatur, includitur, ad egrotos defertur, in hierotheca monstratur, adorandam esse. Multi etiam iurauerunt per hoc Sacramentum, tanquam per Deum suum: affirmantes, id quod dicebant tam verum esse, quam verè Deum in Sacramento vidissent. De quo nunc, quid sentiendum sit, breuiter exponemus.

Verbum **ADORANDI** late patet. Interdum enim fit spiritus, in veritate, cum homo ex toto corde confusus mera gratia misericordia Dei, ex vera fide in Iesum Christum in omnibus necessitatibus Deum inuocat, certissima spe concepta, quod Dominus & velit & possit exaudire. Hoc modo sola diuina Maiestas Patris, Filij, & spiritus Sancti adoratur. Solus enim Deus est *ὁ ἀληθινός*, seruus corda & renes Dominus. Hinc Christus Matt. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Et Iob. 4. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

Interdum verò adorare significat externam reuerentiam & venerationem exhibere corporeis gestibus & sermonibus. Vt cum fleantur genua, incuruatur corpus, aperitur caput, tolluntur manus, & supplices tenduntur ad sidera palmarum. Estque commune tam Deo quam hominibus, omnibusque rebus, quas suspicimus, & ob præstantiam vel sanctitatem aliquam veneramus. Vbi enim Dominus in spiritu & veritate adoratur, concedit libertas Christiana, vt has ceremonias vel usurpemus vel omittamus. Sic Abraham adorauit filios Heth, vendentes sibi agrum pro sepultura hereditaria. Sic Abigail & Bersaba Dauidem, sic Magi & complures alij Christum, quem nondum agnoscebant esse Deum.

Hinc quivis Christianus facile iudicare poterit, quomodo Christus, & quomodo Sacramentum corporis & sanguinis sui adorari debeat, vel minus. Nam quantum attinet ad adorationem, ingens est discrimen inter personam Christi, & Sacramentum corporis & sanguinis eius.

QVINTÆ CLASSIS, DE V. ERRORE

eius. Christus enim in persona sua totus tam internè quàm externè adorandus est, omni tempore, omni loco, omni modo, siue veniat ad nos in spiritu, siue in carne, in verbo vel in Sacramento, in asino vel in gloria & maiestate sua, sub figura vel sine figura.

Quamquam enim Christus est verus homo, & creatura à Spiritu sancto condita, in vtero intemeratæ Virginis Mariæ, tamen is homo ita vnitus est Deo in vna indiuisa & inseparabili persona, vt opera vtriusq; nature sibi inuicem sint communia. Nam que de diuina natura dicuntur, eadem de humanitate dici possunt: vt creare omnia, viuificare, conseruare, adorari &c. Et vice versa, quæcunq; de humana natura Christi dicuntur, eadem diuine nature tribui possunt: vt, nasci, pati, sanguinem effundere, mori. Deus enim & homo in Christo sunt vna persona, sicut Ioannes inquit: Verbum caro factum est. Quare Christum totum internè & externè adorare debemus, id quod scriptura vbiq; præcipit: quia non est datum aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri, quàm nomen Iesu Christi. Psalmus 96. de Christo variatur: Adorent eum omnes angeli Dei. Et Psal. 71. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Itaq; Christianus in legitima actione cænæ Dominicæ, salua & integra conscientia, Christum internè & externè adorare potest, imò etiã debet. Nam sine vera fide & adoratione Sacramentum non dignè poterit accipere, nec particeps fieri corporis & sanguinis Christi.

Sacramentum verò corporis & sanguinis eius semper quidem externè adorandum, hoc est, omni cum reuerentia tractandum est, pro cuiusq; Ecclesiæ consuetudine, honesto habitu, moderatis gestibus, sobriè, aperto capite, flexis genibus, sublatis manibus, & si quæ sunt similes liberae ceremoniæ. Monet enim Paulus, omnia decenter & secundum ordinem fieri debere 1. Cor. 14. Et rursum: Omnia ad adificationem fiant. Si enim in civili conuiuio, sua

suā est seruanda disciplina & urbanitas, cum in hospitiis tum in aliorum conuiuarum honorem: quanto magis cum timore & tremore decet accedere ad hoc cœleste epulū, in quo Christus non solum hospes est nos inuitans, sed etiam cibus ipse, qui nobis proponitur: & in quo tot sunt sancti conuiuæ, tot ministri & dapiferi, Angeli.

Vnde elucet, si Christianus in legitima actione cœnæ Dominicæ Christum internè adoret, vt Dominum & redemptorem suum, & ex fide Sacramentum corporis & sanguinis eius reuerenter accipiat, nullo modo id reiiciendum & idolatriæ damnandum esse, sed esse cultum debitum et Deo acceptum. Nam vt Israëlita coram arca propiciatorij Dominū ex vera fide inuocantes, nequaquam fuerunt idolatræ, neq; arcam adorarunt, sed Deum ipsum, qui se exauditurū preces eo loco factas promiserat: ita non iudicandi sunt idolatræ, qui in venerabili Sacramento, non elementum panis, sed Dominum Iesum Christum, qui est verè thronus gratiæ, tam spiritaliter quàm externis gestibus deuotè adorant.

Hinc tamen non consequitur, quod Faber absurde infert, Sacramentum corporis & sanguinis Christi internè quoq; adorandum esse. Etsi enim in cœna, si legitime celebretur, panis & corpus Christi sint vnum Sacramentum, tamen non sunt vna persona, sicut Deus & homo in Christo vnā personam constituunt. Filius enim Dei non assumpsit angelos, multò minus aliam quandam creaturam, sed solum hominem, in vnitatem personæ. Vtitur quidem creaturis aquæ, panis, vini, tanquàm organis Spiritus sancti ad excitandam & confirmandam fidem: sed extra vsū sunt nuda elementa. Proinde tantum est sacramentalis vnio Christi cum his signis, non durans perpetuò, sed ad tempus. Duæ verò naturæ in Christo æterna & inseparabili vnione coniunctæ sunt. Itaq; tota persona Christi internè, Sacramentum verò non nisi externè adoratur. Qui enim panem consecratum vnā cum persona Christi internè adorant, mutant gloriā immortalis Dei in similitudinem corruptibilis creaturæ

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

ture panis, & creaturam magis colunt quàm creatorem. Neq. enim in panis et vinum sunt Dij, vt apud Ethnicos Ceres et Bacchus. Quare vt nemo adorat aquam Baptismi, eò quòd in vsu est laudum regenerationis, ita panis & vinum in cœna non sunt internè adoranda, eò quòd corpus & sanguis Christi præsentè nobis vnà cum his signis exhibentur.

Quòd si Sacramentum non internè adorandum est, etiãsi cœna legitime celebretur, & corpus ac sanguis Christi verè adsint, quanto minus internè adorandum est, cum extra verum & legitimum vsu consecratur, reseruetur, includitur & circumgestatur: cum enim non adest verum corpus & sanguis Christi, sed sunt nuda & inania elementa panis & vini, quæ non sine nefando sacrilegio, rudi popello adoranda proponuntur. Et hæc quidem de quinto errore Canonis, in tres Conclusiones distributo, dicta sufficientiant.

## Sextus error

### Canonis.

**Q**uòd inuocadi sint sancti: quòdq. ipsorum meritis & intercessionibus gratiam Dei, et regnum cœlorum consequi possimus.

Hic error præ cæteris in Canone disertis & expressis verbis ponitur. Communicantes, inquit Canon, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi: sed & beatorum Apostolorum N. N. ac martyrum tuorum N. N. & omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusq. concedas, vt in omnibus protectionis tuæ auxiliò, &c. Quem errorem conatur Faber tanquàm singularem articulum fidei defendere: & consueto suo artificio

venens  
magnis

magnis laudibus vehit communionem & charitatem sanctorum, que extra controuersiam posita sunt, & à nemine reiiciuntur. pingens interim hisce fucatis coloribus horribilem idolatriam, inuocationem scilicet sanctorum, que aperte pugnat cum officio Christi, & vero vsu cœnæ Dominicæ, tanquam pyssimum ac Deo acceptissimum cultum. Excerptit enim ex hac precatone Canonis quatuor vocabula: communionem, memoriam, meritum & intercessionem sanctorum. Hec minificè exornat, & in diuinis ac Patrum scriptis fundata esse asserit. Suam autem infert opinionem, que & sacris literis & Patrum scriptis ignota, imò verò planè est contraria.

De communionem sanctorum loquens, ait, sanctos esse fratres nostros, & vnâ nobiscum membra spiritalis corporis eius, cuius caput Christus est: ac connexos nobis esse per charitatem, que in illis nec deficit, nec excidit vnquam.

Germ. fol. 121.  
Lat. fol. 206.

De commemoratione sanctorum, dicit Patres testari, quòd in Missa Diuorum commemoratio fieri consueuerit.

Germ. fol. 119.  
Lat. fol. 204.

De meritis sanctorum inquit: Dominus promisit sanctis suis copiosam mercedem. Si quidem ergò merces est, adsit & meritum oportet. Merces enim, meriti est merces.

Germ. fol. 120.  
Lat. fol. 205.

De intercessione sanctorum: Orant, inquit, apud Deum pro nobis, ob eam, qua tum Deum, tum nos miseros prosequuntur, charitatè.

Germ. fol. 121.  
Latin. fol. 206.

Quis autem hæc nescit? aut quis contradicit? Fitemur ingenuè, hæc omnia Scripturis & Patrum Scriptis esse consentanea, vel certè non repugnancia: ac proinde venerationem sanctorum non dicimus idolatriam (sicut nos calumniatur Faber) sed maiore veneratione eos prosequimur, quàm vel ipse, vel totum eius sodalitiu.

Germ. fol. 119.  
Lat. fol. 203.

Veneramur enim illos eo honore, qui & Deo & ipsis placet, quiq; in veteri Ecclesia vsuatus fuit. Pontificij autem venerantur eos, si dijs placet, fictijs fabulis & Legendis, templis, altaribus, Missis, ieiunijs, ferijs, imaginibus, reliquijs, ceteris peregrinationibus, inuocatione, & fiducia in merita ac intercessionem ipsorum.



## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

Cum ergo Faber ex quatuor supra dictis vocabulis, quæ per se vera sunt, mendacij fulcimentum quarat, ipsam quoque veritatem in mendacij conuertit, iuxta illud Psalmi: Cum peruerso peruerteris. Itaque breuiter ostendam, quis fucus sub his vocabulis, à Fabro ad calumniam nostrorum detortis, delitescat.

Quanquam (ut hinc exordiamur) communio quædam sit sanctorum, tam eorum qui adhuc in terris degunt, quam qui cum Christo in cælis versantur: tamen cæna Dominica, ut ex verbis primæ institutionis apparet, est communio viuientium duntaxat, quibus corpus Christi in pane edendum, & sanguis in calice bibendus datur. Mortui enim neque edunt neque bibunt.

Sed vide quæso, quanta sit Fabri & Canonis peruersitas. Communionem celebrant in Missa cum sanctis mortuis. Frangentes enim hostiam in tres particulas, offerunt & comedunt vnam pro sanctis in cælo agentibus. Interim autem viuos sanctos excommunicant. S. Vitus in olla, Georgius sublimi equo insidens, Laurentius in craticula, alijque sancti, quorum imagines in altari ob oculos Sacerdotum collocantur, communionem cum sacrificiis celebrant: Vocati autem sancti, viuientes, qui Missa auscultant, à cæna excluduntur & excommunicantur.

Certè hæc peruersa ratio est. Nam sancti defuncti, cum adhuc in terris degerent, communionem corporis & sanguinis Christi in cæna acceperunt. Nunc verò apud Deum viuientes, corporali & visibili communionem non amplius indigent, quemadmodum nos. Itaque hac in parte communionem cum ipsis celebrare non possumus, nec vice versa ipsi nobiscum celebrare possunt.

Insuper communicare nos ait Faber cum sanctis, tanquam fratribus nostris, & membris eiusdem spiritalis corporis Christi, per virtutem fidei, quæ in illis nec deficit, nec excidit unquam. Hinc nobis merita sanctorum bono & saluti esse asserit, &c. Vult igitur hoc dicere: sanctos tot habere opera & merita superflua & supererogata

pererogatoria, ut nos miseri peccatores in his terris de plenitudine & superabundantia ipsorum ingentes fructus accipere queamus, quemadmodum membrum aliud ab alio conseruatur & nutritur in corpore humano.

Age, quid de meritis sanctorum sentiendum sit, postea audiemus. Nunc tantum demonstrabo, communionem sanctorum non tam late diffundi, ut merita ipsorum nobis communicentur. Hic enim honor solius Christi meritorum proprius est. De plenitudine eius (Iohan. 1.) omnes accepimus, tam sancti quam nos. Et hæc est vera communio sanctorum, quod Christum habent communem seruatorem, communem remissionem peccatorum per meritum eius, unum Deum & Patrem, communionem Spiritus sancti, verbi, Sacramentorum, nouæ & cælestis vitæ, qua viuunt in Christo & Christus in ipsis.

Sed de bonis operibus sanctorum aliter nos sentire Paulus docuit Eph. 6. Illud scientes, quod unusquisque, quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. Et Rom. 2. Deus reddet unicuique secundum opera sua. Quare impijs & impænitentibus non prodest pietas maiorum suorum etiam sanctissimorum, Noë, Danielis, Iobis, quam diu pergunt impiè & peruersè agere. Ezech. 14. & 18. Et quid nobis magnopere prodesset, si maxime omnium sanctorum opera & merita, nostra essent, ut ipsorum sunt? Omnes enim sancti, imò vel sanctissimi, ut Daniel, Dauid, Iohannes & reliqui, fatentur, sua merita sibi ipsis ad salutem non sufficisse. Itaque ratione illorum operum essemus adhuc cum sanctis serui inutiles, & ratione malorum operum, qualia multa cum à nobis, cum ab omnibus sanctis perpetrata sunt, etiam peccatores, quicorum iudicio Dei nequaquam possemus consistere.

Idem est iudicium de commemoratione sanctorum. Quamquam enim Christiana & laudabilis consuetudo sit, (si modo legitime fiat) celebrandi memoriam sanctorum in actione cæne Dominicæ

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

tamen ingens est discrimen inter commemorationem mortis Christi in cœna, & commemorationem sanctorum. Etsi enim pleriq̃ cruci delibissimis supplicijs affecti sunt, licet coram mundo insones essent: tamen mors ipsorum non est vita nostra, imò ne ipsi quidem acerbissimis & exquisitissimis supplicijs vitam sibi promeruerunt: sed sola mors Christi tam illorum quàm nostra vita est. Caro mea, inquit, est, quam dabo pro mundi vita Ioan. 6. Itaq; commemoratio sanctorum in cœna tantùm exempli nobis in doctrinam propositi causa celebratur: sed commemoratio mortis Christi in cœna fit domo, ut communionem corporis & sanguinis eius accipientes, participes fiamus naturæ diuinæ.

Iam & ipsa primæ institutionis verba clarè ostendunt, cœnam non in commemorationem sanctorum, sed Christi institutam esse. Hoc facite, inquit, in MEI commemorationem, non sanctorum.

Pontificij autem tam Christi quàm sanctorum commemorationem Canone suo oblitterant. Vera enim commemoratio Christi non est, cum sacrificulus priuatim & secreto, passionem, mortem & resurrectionem eius memorat aut musit at: sed cum mors Domini publicè annunciat. Sic & sanctorum vera commemoratio est, non cum sacrificulus seorsim in angulo quodam nomina sanctorum recitat: sed cum tanquàm funebri quadam oratione vita ac mors ipsorum commendatur, agunturq; Deo gratiæ, quòd tot ac tantis donis ornatos Doctores Ecclesiæ suæ dederit: adiunctis simul precibus, & ardentibus votis, ut qui adhuc superstites sunt in his terris, vestigia fidei, vitæ & mortis illorum sequantur, & in æterna vita ad cõmunionem illorum perueniant. Qua de re, Centuria tertia in Constitutione Felicis Papæ prolixè egimus.

Sed & MERITI vocabuli Faber indignis modis tractat. Dat quidem Dominus sanctis, vocationem suam ex fide sequentibus, magnam cum in hac tũm in futura vita mercedem: nõ tamen inde sequitur, Deum pro meritis ipsorum vitam illis dedisse æternam,

nam, aliosq̄ insuper superfluis illorum meritis adiuuari. Merces enim non semper venit ex merito, sed interdum ex gratuita bonitate & clementia. Vt, qui vnā diūtaxat horam in vinea laborauerant, æqualem mercedem accipiunt, cum ijs, qui totius diei pondus & æstum portauerant: non ex merito, sed ex bonitate patrisfamilias. *Matth. 20.* Interdum verò merces datur ex pacto seu promisso. Omne enim promissum cadit in debitum. Vt cum Dominus diceret Abraham: Ego merces tua magna nimis, & semini tuo dabo terram hanc. *Gen. 15.* Et tamen alibi inquit Dominus, se terram illam dedisse Israëlitis, non propter iustitias suas, nec propter æquitatē cordis sui: sed vt Dominus compleret verbū suum, quid sub iuramento pollicitus est patribus, Abraham, Isaac & Iacob. *Gen. 15.* Nonnunquam datur merces ex merito operum. *Rom. 4.* Ei verò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Hoc est, vt alibi inquit Dominus: Dignus est operarius mercede sua. Quoties igitur Deus electis suis mercedem promittit aut exhibet, non intelligendum est iuxta tertiam, sed iuxta primam & secundam significationem, videlicet, quod fiat ex gratia & pacto promissionis, non ex merito, aut opere operato.

Esi enim necessario sunt facienda bona opera, quæ Deus præcepit: tamen nullus vnquam sanctus tantam bonorum operum perfectionem affecutus est, vt coram iudicio Dei operibus suis inniti potuerit. sed omnes ex gratia per meritum Christi saluati sunt, omnesq̄ cum Davide orant: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et quotidiana precatione indignerunt: Dimitte nobis debita nostra.

Quare cum sanctissimi quiq̄ præceptis diuinis propter infirmitatem carnis suæ non satisfecerint, sed adhuc plurimum debeant, quomodo in iudicio Dei de suis meritis gloriabuntur? & cum vix  
satis

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

satis olei in lampadibus suis habeant, quomodo alij etiam de suo oleo dabunt? hoc est, cum ipsi suis meritis non saluentur, quomodo alij meritis illorum iuuabuntur?

Ideoq; Spiritus sanctus ostensurus omnem salutem sanctorum non in meritis eorum sed in mera gratia Dei sitam esse, quories in scripturis de mercede loquitur, qua Deus bona opera sanctorum compensaturus sit, utitur vocabulis dandi, rependendi, iudicandi &c. nunquam verò, merendi aut meritorum, vllam mentionem facit.

Et quanquam Patres vocabulo, merendi, & meritorum, sepius vsi fuerint, tamen cum aliàs articulum fidei de remissione peccatorum diligenter tractarint, certum est, ipsos non sensisse eū Fabro & Sophistis, quòd sint aliqua merita de congruo & condigno, quibus homo gratiam Dei mereatur, sed generaliter pro bono opere & cultu diuino posuisse. Nam ingenuè fatentur, tam merita sanctorum, quàm premia eorundem esse dona Dei, atq; nulla merita sanctorum legi diuina satisfacere. Augustinus lib. 20. contra Faustum, cap. 21. Populus, inquit, Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atq; orationibus adiuuetur.

Porro de intercessione sanctorū valdè lubricus est Faber. Probat quidem satis prolixè ingenio charitatis, exemplis Angelorū, Prophetarum & viuentium sanctorum, ac dictis Patrum, sanctos in cælis pro nobis orare. Sed quid opus erat, cum nemo hoc neget? Etsi enim non certò scimus, quonam modo sancti pro nobis orent: tamen credere, quòd sancti pro nobis orent, sacris literis non adueratur. Neq; enim dubium est, quin Sancti propter charitatem perpetuam, quam etiam mortui erga viuos constantè retinent, nobis optima quæq; cupiant, & pro nobis orent, suo quodam celesti modo. Nam si omnis creatura nobiscum congemiscit, & sollicitè expectat,

expectat ut palàm fiant filij Dei. Rom. 8. quanto magis Sancti in cælis pro nobis solliciti erunt? Inde tamen nequaquam sequitur, sanctos inuocandos esse. Quanta enim hæc idolatria sit, iam iam aliquanto copiosius (est enim præcipuus error Canonis) demonstrabimus.

## DE INVOCATIONE sanctorum.

Statim ab initio huius loci videmus, candidè Lector, quàm incertus sit Faber & ipse adeò Canon, de Sacrificio Missæ, eiusq; merito. Si enim ex verbo Dei certum exploratumq; haberent, Missam tam acceptum tantiq; meriti opus coram Deo esse, ut per hanc peccata expientur, in eaq; omnes fideles vniuersam Euangelicam consolationem habeant (ut Faber alibi affirmat) certè sanctos non inuocarent, ut ipsorum meritis ac intercessione ad gratiam Dei peruenire liceat. Nos verò, diuino beneficio, sacris literis edocti, vnum esse solum mediatorem inter Deum & homines, Christum verum Deum & hominem, qui vnico sacrificio crucis perfectos reddidit sanctificandos in æternum, ac pro nobis apud patrem intercedit, nullo alio sacrificio aut intercessore ad salutem nostram indigemus.

Sed quæso te Faber, si tantæ efficacis est sacrificium Missæ, ut alibi declamitas, quid vltèrius meritis ac intercessione Sanctorum indiges? Sin sanctorum merita intercessioq; adhuc sunt necessaria, incertam esse imperfectamq; Missæ efficaciam oportebit. Quòd si incerta est, Deo grata non est. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est.

Certè cum inuocatio Sanctorum præcipua pars Canonis & cultus diuini censeatur, in tota Ecclesia Romana, meritò debebat certa sacrarum literarum testimonia habere. Sic enim Petrus mo-

QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

ner: Si quis loquitur (in Ecclesia) loquatur ut eloquia Dei. Pet. 4. Et Christus præcipit, Docentes eos seruare omnia, quæ præcepi vobis Matthæi. 28.

Nunc ergò vide mihi, quomodo Faber inuocationem sanctorum probet. Maguo hiatu iactitat sese de sacris scripturis: Sed en tibi pro thesauro (quod aiunt) carbones. Ex omnibus enim Bibliis non potest proferre vnum verbulum, præceptum, consilium, promissionem aut exemplum, de sanctorum inuocatione. Itaque Soriten quendam coaceruat, quo ex angelorum & viuientium sanctorum exemplis, inuocationem mortuorum sanctorum stabilit. Angeli, inquit, vident & audiunt gemitus ac preces nostras, & gaudent super peccatoribus resipiscenibus, ac pro illis orant. Luc. 16. Apoc. 8. Zach. 1. Sancti autem in cælis similes sunt angelis Matth. 22. Sequitur ergò, sanctos quoque in cælis exaudire gemitus ac preces nostras, amare nos, congaudere de salute nostra, orare pro nobis: ac proinde à nobis inuocandos esse. Quomodo autem hæc sequela cum sacris literis congruat, breuiter exponemus.

Ac primum, certum est, Angelos inter nos versari, facta nostra intueri, ad bona opera impellere, nos amare, pro nobis orare, gaudere super resipiscenibus, super impænitentibus verò perturbari & dolere: itemque per hos tanquam comites ac custodes validissimos, à Deo nos defendi ac in omnibus periculis conseruari. Hæc omnia, inquam, sunt verissima, & in sacris fundata literis. Nam de pueris inquit Christus, quòd angeli eorum in cælis semper videant faciem patris sui qui in cælis est. Matth. 18. Et Luc. 15. Gaudium erit coram angelis Dei, super vno peccatore resipiscenite. Heb. 1. Nonne omnes sunt ministratores spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis? Et psal. 91. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Idem testantur exempla Moysi, Elizei, Tobia &c.

Sed quòd Angeli omnes cogitationes cordium cognoscant, ac nostri apud Deum intercessores sint, ac proinde à nobis inuocari colligere debeant, hæc, hæc inquam, è diametro cum scriptura sacra & officio mediatoris nostri Iesu Christi pugnant. Præuim est, inquit Ieremias, cor hominis & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes. Hier. 17. Et Salomon 3. Reg. 8. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Sic & Apostoli in electione Matthiæ precantur: Tu Domine, qui corda nosti omnium. Et Rom. 8. Ille qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus.

Porrò, si maximè Angeli tanquàm intercessores pro nobis orarent, omnesq; nostras necessitates perspectas haberent, hinc tamen non conficitur, sanctos mortuos etiam pro nobis intercedere. Nam beati in cœlis non sunt angelis per omnia similes. Quântum ad substantiam & vitam attinet, sancti in cœlis habebunt corpus spirituale, quod absq; coniugio absq; omni cibo & potu, à solo Deo sustentabitur. Qua quidem ex parte angelis similes erunt, qui & ipsi sunt incorporei spiritus, viuunt sine cibo & potu, alijsq; corporalibus necessitatibus. Quantum verò ad negocia & officia attinet, Sancti mortui angelis nequaquàm similes sunt. Non enim habent talia mandata, qualia Angeli, de quibus supra dictum est. Nec vllum extat in Biblijs exemplum, quòd Deus animas defunctorum rursus in terras miserit, ad exequendum aliquod negocium. Absurda ergò est Fabri consequentia, qua ab angelorum mandatis & officijs ad intercessionem & inuocationem mortuorum Sanctorum argumentatur.

Imò retorquere nobis argumentum licebit. Si ipsi Angeli, inter nos conuersantes, & assiduè videntes faciem patris, qui & multa illis propter nos reuelat, non scrutantur corda nostra, nec intercessores nostri sunt apud Deum, multò minus sanctis defunctis illa tribuenda sunt.



QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

Germ. fol. 123.  
Lat. fol. 210.

Excipit Faber: Sancti, inquiens, cognoscunt illa in diuinæ claritudinis contemplatione, & in speculum sacratissimæ Trinitatis intuitione. Idem ipse, qui Helixæo indicauit, ministrum eius Giezi argentū & vestes à Naaman Syro accepisse, etiam sanctis in cælo preces ipsos implorantium notas facit. Et qui Petrum Apostolum de fraude & mendacio Ananiæ & Sapphyræ certiore reddidit, is etiam sanctis suis in cælis occulta precantium vota detegit & explicat. Haellenus Faber. En tibi speciosas imaginationes, & similitudinem de terrestri speculo, pro testimonijs scripturæ. Sed & pueris tritum est, nudas similitudines nullam ad probandum vim habere. Scriptura autem planè contrarium testatur, videlicet sanctos ignorare nos & nostra. Esa. 64. Attende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo, & solio gloriæ tuæ. Vbi est zelus tuus & fortitudo tua? multitudo viscerum tuorū & miserationū tuarum? Super me continuerunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit, & Israël ignorauit nos. Tu Domine pater noster, & redemptor noster: à seculo nomen tuum, &c. Quòd si Abraham, Isaac & Iacob ignorant nos, qui sanctissimi Patriarchæ clarissimis testimonijs in scriptura ornantur, quòd apud Deum viuant: quid de nobis scienti fidelij sancti, Georgius, Christophorus, Catharina, & complures alij, rubrica in Calendario inscripti? De quibus partim incerti sumus, an unquam in terris vixerint: partim, an in cælis apud Deum sint. Neq; enim est articulus fidei, ut credamus eos omnes beatos esse in cælis, quos Papa canonizauit, & in numerum Diuorum retulit.

Exempla verò Elizæi & Petri, quibus probare studet, Deum sanctis in cælo preces nostras notas facere, non modo nobis non refragantur, verum etiam pro nobis contra Fabrum militant. Si enim sancti nihil norunt, nisi quòd Christus ipsis reuelat, manet adhuc Christus noster vnicus mediator & intercessor, non tantum coram Patre suo cælesti, sed etiā coram sanctis suis. Certum est enim

enim preces nostras prius peruenire ad Christum quàm ad sanctos. Hac tandem ratione (humano more loquor) plus negocij Christo foret, donec preces nostras omnibus sanctis reuelaret, & admoneret, ut pro nobis intercederent, quàm si statim sine intercessione sanctorum rellâ ad Deum Patrem perferret. Quòd si tum Christus nos exaudire, & vota nostra sanctis reuelare nolle, nonne frustra sanctos inuocaremus? Si Christus nos exaudit, priusquàm sancti exaudiant, cur tam male nobis ipsi consulimus, ut relicto fonte aquæ viuæ, turbidas cisternas et putidas lacunas, quæ aquam continere non valent, curiosè quæramus?

Ad hæc, non necessaria est hæc consequentia: Deus Elizæo & Petro in his terris quadam reuelauit, Ergò & sanctis in cælo nostrarum rerum statum aperit. Nam ex ijs, quæ in terris fiunt, non necessariò sequitur, eadem in cælis fieri. Ingens enim est discrimen inter cælestem et terrestrem vitam sanctorum. Sed neq; hoc sequitur, cum nonnulla sanctis reuelata sint, ipsos omnia scire. Etsi enim Deus Elizæo patefecerit sacrilegium Gehazi seruuli, tamen eidem abscondit, quòd filius Sunamitidis hospitis suæ mortuus esset, 4. Reg. 4. Et licet Petro reuelauerit mendacium Anania & Sapphyræ, tamen eundem calauit, quis ipsum proditurus esset.

Itaq; si liceret ex rebus terrestribus ad cælestes argumentari, Fabri suo iugularem gladio. Sic enim arguerem: Qui Helizæum calauit mortem filij hospitis suæ, & Petrum calauit proditorem suum, idem calat sanctos in cælis, ne sciant, quid rerum in his terris agatur. Et ut semel dicam quod sentio: quemadmodum non est nostrum nosse tempora, & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate. Act. 1. ita nullus est, scire occultas cogitationes cordis, nisi solius Dei. Hunc honorem sibi soli reseruat, ut sit *καρδιορρύσος*, id est, scrutator cordium. Nihil ergò Fabri similitudo speculi, nihil exempla Angelorum, Elizæi &

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

Petri iuuant. Quòd cum ipsemet sentiat, ad exempla sanctorum adhuc in terris uiuentium confugit.

Germ. fol. 111.

Lain. fol. 107.

Sancti, inquit, in terris, non solum orant pro alijs. Iac. 5. sed etiam alios implorant, vt precibus suis apud Deum pro ipsis intercedant. Rom. 15. Coloss. 4. Item sancti in cælis tam fruuntur vita, & verius, quàm nos, amant etiam ardentius, quàm sancti in terris. Ergò sancti non solum ex charitate orant pro nobis, sed inuocandi etiam sunt à nobis.

Hic rursus fateor, sanctos uiuentes non pro se ipsis tantum, sed etiam pro alijs orare. Hanc enim orationis formam Christus nobis præscripsit: Da NOBIS, Remitte NOBIS, Libera NOS. Et Iacobus cap. 5. Orate, inquit, pro inuicem, vt saluemini. Paulus quoq; Rom. 15. obsecrat fratres, vt adiuuent se in orationibus suis ad Deum, vt liberetur ab incredulis in Iudæa. Et Coloss. 4. Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, vt loquamur mysterium Christi, sicut oportet loqui. Nam vera inuocatio, & præsertim publicarum & communium precum, secundum verbum fidei, est præcipua pars communionis sanctorum, & fortissimum propugnaculum aduersus quasilibet huius mundi tempestates & pericula.

Quòd verò hæc eodem modo in cælis gerantur, id scriptura nusquam testatur: nec sequitur, quæ uiuentibus mandata sunt, quæq; ab ipsis peraguntur, eadem mortuis quoq; mandata esse, & ab ipsis peragi. Nam terrestria nõ sunt transferenda ad spiritalia & cælestia, maxime ad animas defunctorum. Vt, sancti ex vera charitate fleuerunt & luxerunt pro peccatoribus, vt Samuel pro Saule: nec tamen in cælis idem facient. Absterget enim Dominus omnes lachrymas ab oculis eorũ. Deniq; si omnia tribuerentur sanctis in cælis, quæ tribuuntur sanctis in terra, & quæ ipsis faciendæ mandantur, fieret ex triumphante ecclesia, militans ecclesia.

Iam cum Faber ait, sanctos in cælis multo verius viuere, quàm nos in

nos in terris, friuolum est cauillum. Verbum enim viuendi iam accipitur pro naturali seu animali vita, iam pro spiritali. Itaq; Syllogismus, quia quatuor terminis constat, est *cauillōis*. Et promissio de exa uditione precum pertinet ad illos duntaxat, qui adhuc in terris & hac lachrymarum valle, animali vita viuunt, non ad eos qui in cælo sunt, aut in purgatorio. Amen, amen, dico vobis, inquit Christus, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est. En super **TERRAM**, inquit, non in cælo, aut purgatorio.

Sic & charitas sanctorum maior & perfectior est in cælis, quàm in terris, optant enim nobis & precantur omnia felicissima, in omnem æternitatem. Nec tamen inde conficitur, quod fungantur in cælis officio mediatoris & intercessoris. Hoc enim officium non consistit in voluntate hominis, & fauore erga nos, sed in mandato & ordinatione Dei: & competit soli Christo, iuxta dictum Psalmi: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Cui angelorum aut hominum vnquam hæc dixit Deus?

Quid? quod viuentes sanctos longè alia ratione imploramus pro suis orationibus, quàm Faber & Pontificij mortuos sanctos colunt atq; inuocant? Nam quis vnquam viuenti Sancto, in honorem eius, templa extruxit, Monasteria condidit, sacella excitauit, altaria erexit? quis Missas, Præbendas, & collegia canonicorum instituit? Quis ad viuentem sanctum peregrinationes suscepit? quis meritis eius confusus est? quis gratiam & indulgentias apud eum quaesuit? quis tanquam opitulatorem adorauit, aut Sacrificijs coluit? Quis ossa eius, capillos, vestimenta, calceos, &c. reliquiarum loco habuit, & in ecclesia ad uenerationē ac cultum prostituit? Quibus omnibus nugis Papista suos fictitios sanctos non tam honorant quàm onerant & fatigant.

Responder

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

Gerin-fol. 111  
Latin-fol. 207

*Respondet Faber: Neq; verò, inquit, hac eos ratione inuocamus, tanquam illi gratiam nobis conferant, sed qui suis precibus Dei gratiam nobis concilient: neq; ceu redemptionis sequestros vel mediatores, sed qui precibus intercedant pro nobis apud Deum. Hæc ille.*

*Sanè Faber quantumuis ore fateatur, Sanctos duntaxat tanquam mediatores intercessionis inuocari, tamen corde sentit, ipsos etiã redemptionis & expiationis seu propiciationis mediatores esse. Acriter. n. dimicat, quòd corã Deo MERITIS sanctorũ inuenimur: vt supra audiuimus. Et Canon ipse non tantum precum, sed etiam meritum mentionem facit. Quorum meritũ, inquit, precibusq; concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxiliũ. Quid hoc aliud est, quàm sanctos facere mediatores propiciationis & redemptionis? Hoc enim est iktu xou uaru officium, merita sua prætere, quibus satisfaciat pro alijs, propter quæ, tanquam sua propria merita, iustificentur. Vt si amicus pro amico debitum persoluat, debitor aliena solutione non minus redimitur, quàm si de suo persoluisset. Talem redemptorem & expiatorem proponit & commendat nobis scriptura vnum & solum Christum. Nugacissima ergò nugæ sunt, quæcumq; Faber de discrimine redemptionis & intercessionis deblaterat: atq; huc tendunt omnia, vt elegantiori quodam fuce crassa ista idolomania pingatur & ornetur.*

*Sunt & alia quàm plurima testimonia, quibus Faber aperte conuinci & redargui potest, quòd sancti non tantum vt intercessores, sed etiam vt auxiliores & opitulatores inuocari consueuerint.*

*Extant libri istis idolomanijs referti, vt Hortulus animæ, Proptuariũ discipuli, liber exemplorũ, Mariale. Extant plurima cartilena in Ecclesijs, Antiphona, Responsoria, Sequentiæ. Adde, quòd singuli morbi, pericula & necessitates, singula pecora, singula officia*

epificia, singula fraternitates, singula loca, suos habent peculia-  
res Diuos, qui tanquam opitulatores inuocantur, coluntur tem-  
plis, altaribus, votis, sacrificijs, peregrinationibus, reliquijs. Præ-  
sertim verò quatuordecim illi opitulatores præ reliquis eminent.  
Quia verò hæc omnia luce meridiana clariora sunt, omisis illis,  
vnum et alterũ testimonium proferam, ex quo vel cæcus videat,  
Papistas suos Sanctos non habere tantum pro mediatoribus inter-  
cessionis, sed etiam redemptionis.

Olim si peccator pro indulgentijs Romanis consequendis pecca-  
ta sua confitebatur, pœnitentiarius albo bacillo solebat eum se-  
cretò hæc vtitata formula absoluerè: Passio domini nostri Iesu  
Christi, nec nox & meritum beatissimæ virginis Mariae, Petri,  
Pauli, & omnium Sanctorum, præterea quicquid boni feceritis, aut  
mali sustinueritis, sint vobis in remissionem peccatorum. Audis  
pœnitentiarium non contentum solius Christi merito, adiungere  
etiam aliorum Sanctorum merita, quibus peccator Deo reconcilie-  
tur & iustificetur.

Gabriel Biel in epitoma Canonis, super verba: Quorum meritis  
precibusq; &c. sic scribit: Fiducialiter ad Sanctos recurrimus,  
eorum memoriam venerantes, vt nos fragiles & mortales merea-  
mur eorum meritis & precibus ad eorum immortalitatis gloriam  
peruenire, atq; eorum suffragijs deside perducì ad visionem, de spe  
ad rem, de stadio ad brabium, de via ad patriam. Multa siquidem  
disposuit Dominus dare viatoribus in tempore & æternitate,  
propter Sanctorum suorum merita, &c.

Non possum hic teneri, quin arcanũ mihi in confessione concre-  
ditum pandam. Cum aliquando essem minister Ecclesie in oppido  
quodam, in quo erat Monasterium ordinis Predicatorum, egro-  
tus quidam, cui eram à confessionibus, iam iam supremum diem  
clausurus, multis profusus lacrymis, Bullam fraternitatis, quam  
magno precio à Monachis Dominicanis emerat, mihi tradidit,

QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

quæ ad verbum ita habet: N. & N. Prouincialis Predicatorum, N. N. salutem in Domino sempiternâ, per multiplicia bona opera feliciter promerendi regnû cœlorû, perficiendi singularem vestrâ deuotionem, quam erga sanctû nostrû ordinē habetis, ad gloriâ Dei, & honorē virginis Mariæ, in redemptionē & consolationē animæ vestræ, & antecessorû vestrorû animarû, qui us cupitis participes fieri, laudabilis nostræ fraternitatis, deuotionis, & orationis, quem admodû fideliter de vobis intelleximus. Quod quidē salutare desiderî, hominibus in terra adiumento, ad remissionem peccatorû, & meritorîû vitæ æternæ, laudamus nos in Domino Iesu: & propeffisumus, quantû nobis est possibile, spiritualē remunerationē referre. Quare auctoritate nostri officij, & mandato Reuerendiss. Domini ac Patris Generalis, recipimus vos in fraternitatē sancti Ordinis nostri, facientes vos participes et capaces, tã in vita quàm in morte, omnîû MISSARVM, Orationû, Predicationû, Ieiuniorû, Contemplationû, Vigilantiû, Abstinentiariû, Claustraliû disciplinarû, Deuotionû, Cationû, Lectionû, Laborû & c. aliorumq; benefactorû, quæ omnipotens Deus per nos & omnes alios fratres, in tota prouincia, per gratiam suam operatur. Concedimus etiã vobis singulari gratia, si quando depositionis vestræ in nostro capitulo commemoratio fuerit facta, vt pro vobis omnia fiant, quæcunq; fratrilus fieri consuetum est.

Quis iam credit, Fabrû sanctos in cœlis habere tantum pro mediato ribus intercessionis, nō etiã redemptionis seu propiciationis? Si enim fratres sanctissimi Ordinis ipsius, qui difficilimè in regnum cœlorum intrabunt, putida sua opera & merita tãti faciunt, vt ea viuus ac mortuis applicent, tanquàm adiumenta ad remissionem peccatorû, & meritoria vitæ æternæ: quanto magis sentiet hoc de sanctis, qui tanquàm amici & domestici Dei iã dudû in cœlis sunt?

Notum est toti orbi, quanti Frater Ioannes Tecelins, qui & ipse Dominicaster fuit, merita sanctorum cum Romanensibus Indulgentijs

Indulgentijs in Germania vèdiderit. Quòd si sanctos fecisset tantum mediatores intercessionis, sicut Faber: crede mihi, non tanti potuisset vendere suas Indulgentias: nam obuius quisq; Rusticus pro alio orare potest, idq; gratis & sine precio.

Vnum adhuc commemorabo, Fabro fortassis non ingratum. Virgo Maria est præcipua patrona Ordinis Prædicatorum. Nam sicut Iacobo de Voragine & Bergomati, Monachis Dominicanis, creditum est, in vita sancti Dominici, impetrauit illa à dilecto filio suo in cælis, ut ordo Prædicatorum institueretur, pro salute totius humani generis. Eadem cælitus reuelauit, quales cucullas Fratres istius Ordinis gestare debeant. Præterea, sanctus Pater Dominicus assidue Ordinem suam commendauit custodiæ & protectioni diuæ virginis Mariæ: adeò, ut meo quidem iudicio, Prædicatores seu Dominicani, multo iustius cognominandi essent fratres Mariæ, quàm ipsi Carmelita. Quomodo autem tot & tanta beneficia remunerantur Dominicanis? aut quàm gratos se Mariæ virgini exhibet? Nihil iam dicam de Rosarijs, hac nostra demùm tempestate confectis, & quotidie per multas myriades in honorè illius oblati: sed dicuntur etiam de Cantilena, quæ incipit, salue Regina: qua virginem Mariam quotidie salutant, in cursu B. virginis, & in Completorio. At planè iudico, Fabrum ipsum hora Completorii hanc salutationem non intermittere: nisi fortè hac in parte factus sit Lutheranus, quod de charitate & deuotione ipsius non facile suspicari possum. Verùm siue oret, siue omittat Faber, certum est, Ecclesiã Catholicam, quæ errare nequit, & cum primis sanctissimum Ordinem Fabri, plurimi facere hanc orationem, eamq; quotidie cantillare vel submissa voce demurmurare. Hæc, inquam, siue cantio siue oratio (salue Regina) per se sola, locupletissimi testimonij loco sufficit, quòd sancti mortui non modò ut intercessores, verùm etiam ut propiciatores & redemptores inuocentur.



QVINTE CLASSIS DE VI. ERRORE  
SALVE REGINA.

**S**alue Regina misericordiae, vita, dulcedo, & spes nostra, salve.  
Ad te clamamus exules filij Euae, ad te suspiramus gementes  
& flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra,  
illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum benedi-  
ctum fructum ventris tui nobis posse hoc exilium ostende. O cle-  
mens, o pia, o dulcis virgo Maria.

Versiculus.

In omni tribulatione & angustia nostra  
Succurre nobis beatissima virgo & mater Maria.

Collecta.

Beata & gloriose semperq; virginis Mariae Dei genitricis, qua  
sumus omnipotens Deus, vt intercessio gloriosa nos protegat, &  
ad vitam aeternam perducatur. Per eundem Christum dominum  
nostrum. Amen.

Priusquam errores huius cantilena ostendā & confutem, te-  
stor coram Deo, me de benedictae virginis Mariae honoribus & glo-  
ria nihil detractum velle. Iudico enim illam omni honore dignam,  
benedictam inter mulieres, beatam quia credidit, sicut Gabriel &  
Elizabet eam commendant. Hinc merito beatam eam dicunt &  
pradicant omnes generationes terrae, quia fecit ei magna qui po-  
tens est, & sanctum nomen eius. Nec dubium est quin in caelis  
etiam exaltat a sit supra omnes Sanctos & Angelos, iuxta dictum  
Christi: Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Sed dum oppugno  
Salve Regina, Fabrum & complices eius oppugno, vt conuincam  
eos Mariam & alios Sanctos facere mediatores propiciationis &  
quasi Deos.

Nam

Nam in hac cantilena tribuunt virgini Mariæ sex epitheta, quæ soli diuinæ maiestati Domini nostri Iesu Christi verè tribui possunt. Deinde precantur & petunt ab ea quinq; beneficia, quæ à nemine quàm à solo Deo exhiberi & præstari possunt.

### I. Regina misericordiæ.

Hoc epitheton commodè in meliorem partem interpretari posset, videlicet quòd ideo diceretur Regina misericordiæ, quia peperit Regem misericordiæ, Christum, nisi sub finem hanc appendicem adderent: Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et in Hymno de Assumptione Mariæ, cuius initium est: Quem terra, pontus, &c. ita canunt: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Quibus verbis ipsi suam sententiam declarant, quòd iudicent Mariam tanquàm potentissimam Reginam in manu sua habere misericordiam, quæ misereatur quorumcunq; ipsa velit.

Sacra autem Scriptura testatur, solum Deum esse qui misericordiam faciat in terra. Hier. 9. & Maria ipsa commendat misericordiam Dei, præ reliquis suis operibus. Misericordia eius, inquit, à progenie in progenies, timentibus eum. Luc. 1.

Et de filio Dei inquit Apostolus Heb. 2. Debit per omnia fratribus similis reddi, vt misericors esset & fidelis Pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda ad expiandum peccata populi. Et Heb. 4. Accedamus igitur cum fiducia, ad thronum gratiæ (Christum videlicet non Mariam) vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad oportunitate auxilium. Cum ergo Papiſtæ orent, vt Maria illos suos misericordes oculos ad nos conuertat, plus misericordiæ illi tribuunt, quàm ipsi Deo patri, & dilecto filio eius Iesu Christo. Si enim plus fiderent Deo quàm Mariæ, prius certè ad illum gement & clamarent. Faciunt igitur Mariam non tantum mediatricem intercessionis, sed etiam propitiacionis, & opitulatricem in necessitatibus constituunt.

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

### II. Vita nostra.

*His verbis fatentur Saluistæ siue Saluiani ( sic enim idolatras istos cantores appellare libet ) Mariam non tantum viuere apud Deum, sicut Abraham, Isaac, Iacob, & cæteri fideles apud illum viuunt: sed esse etiam vitam NOSTRAM, hoc est, nos habere vitam ab ipsa. Hæc est horribilis blasphemia contra officium Christi. Facimus enim docendi causa quadruplicem vitam hominis: naturalem, spiritualem, rediuiuam in resurrectione à mortuis, & æternam in sempiterna beatitudine, Quamcumq; intelligas, docent sacra litera, nobis illam dari à solo filio Dei, nõ à matre eius. De primo genere vitæ dicitur Iohan. 1. Omnia ( etiã vitæ hominis ) per ipsum facta sunt: & omnia verbo potentia sue sustentantur. Heb. 1. Et Act. 17: In ipso viuimus, mouemur, & sumus. De secundo dicitur: In ipso vitæ erat, & vitæ erat lux hominum. Vitæ vestra abscondita est cum Christo in Deo. Col. 3. Et Iohan. 14. Ego sum via, veritas & vitæ. De tertio loquitur Christus Iohan. 11. Ego sum resurrectio & vitæ. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et Iohan. 6. Omnis qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. De quarto inquit Christus Iohan. 17. Hæc est vitæ æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Itaq; Pontificij tribuentes Mariæ hoc epitheton, quod sit vitæ nostra, iudicant eam non tantum esse mediatricem intercessionis, sed etiam redemptionis. Quid enim aliud est vitæ, quàm redemptio à spirituali, corporali, & æterna morte?*

### III. Dulcedo nostra.

*Hac similitudine Spiritus sanctus in scripturis exprimit ingenis*

gens desiderium, gaudium & lætitiã fidelium, quam sentiunt credentes in Christo & verbo illius. Dulcis & rectus Dominus. Psalm. 24. Et Psalm. 34. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus (non Maria.) Et rursus Psalm. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine? quã abscondisti timentibus te. Saluistæ ergò Mariam dulcedinem nostram appellantes, nonne mediatricem redemptionis & quasi Deam quandam faciunt?

### III. Spes nostra.

Quid Saluistæ figurato nomine dulcedinis velint, hoc quarto epitheto clarius significant, vocantes eam spem nostram, hoc est, vnicum solatium & refugium nostrum. Sperare enim est, confideret aliquid expectare, & in fiducia perseverare vsq; ad finem. Nam qui sperant, nihil se impedire aut remorari patiuntur, sed certissimi sunt de optato & felici euentu. Hæc spes non confundit. Sic ergò rursus Christum honore suo spoliant, & Mariam Deam constituunt. Solus enim Christus spes nostra est, coram Deo parere. Et David Psalm. 7. Domine spes mea es TV. Non Maria.

### V. Aduocata nostra.

Hic denudò Saluistæ officium Christi sacrilegè diripiunt. Nam sicut Christus solus est noster mediator redemptionis, ita etiam solus est mediator intercessionis coram Deo. Subtilis quidem & arguta est distinctio, de duobus mediatoribus: sed destituitur testimonijs scripturæ, imò verò planè destruitur. Si quis peccat, inquit Ioannes, aduocatum habemus apud patrem. Num Mariam? Minimè: Sed Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum

QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

tantum, sed etiam pro totius mundi. Et Paulus 1. Tim. 2. *Vnus enim Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Et Rom. 8. Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Ac ne Faber excipiat, Christum quidem esse mediatorem coram Deo, sed Mariam & ceteros Sanctos esse mediatores mediatoris, id est, submediatores seu commediatores Christi, respondet ipse Christus: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioan. 14. Quibus verbis excludit omnes mediatores & mediatrices tam in cælo quàm in terra: ac sibi soli officium intercessionis vendicat, quemadmodum & redemptionis.*

Neq; enim ita in cælis fieri solet, vt in aulis mundanorum Regum & Principum, vbi nõ facile quis admittitur, nisi habeat Patronos quosdam nobiles & benè meritos, per quos ad principem introducatur. Nam quòd absq; Patronis non facile peruenitur ad Principes, non vna est ratio. Interdum Princeps est superbus & tyrannus, aut negligens in suo officio. Interdum ij qui circa Principem sunt, viam & aditum alijs præcludunt. Adhuc Principes ipsi homines sunt, qui non omnia vident, audiunt & cognoscunt, quantumvis magnam diligentiam adhibeant. Apud Deum verò nihil istorum est. Nulla superbia, nulla tyrannis, nulli qui aditum nobis intercludant. Videt, auditq; omnia, cognoscit omnes cogitationes & corda hominum, nihil ipsi obscurum, nihil tenebrosum, ne ipse quidem tenebræ, sicut docet Psal. 139. Est clemens, misericors, humanus, præcipit vt inuocemus ipsum, promittit ex auditionem & auxilium. Habemus liberum, securum & intrepidum accessum ad ipsum, non aliter quàm liberi ad patrem, teste Paulo Rom. 8.

Iam & ipsa Mediatoris conditio seu proprietates non fert, vt Maria vel vllus hominum aut Angelorum sint nostri apud Deum  
media

mediatores. Mediator enim nihil aliud est, quàm arbiter & sequester inter duas partes, qui utriq; parti acceptabilis & tolerabilis est. Si enim uni parti magis faueat & propensior erga illam sit, quàm erga alteram, iam non est verus mediator, sed partialis. Christus ergò tanquàm verus mediator, simul & Deus & homo est. Ut Deus, annunciat nobis hominibus benignam voluntatem Patris cœlestis. Ut homo, compatitur & condolet nobis, ac pro nobis Deum patrem assidue deprecatur. Maria autem, & alij sancti, homines sunt, non Dij: ideoq; inter Deum & homines mediatores esse non possunt. Nec vllam de ipsorum intercessione promissionem in scripturis habemus. Faber itaq; & Saluistæ Mariam aduocatam inuocantes, Christum horribiliter blasphemant, atq; omnibus scripturis reluctantur.

VI. Ad te suspiramus gementes & flentes,  
ex hac miseriarum valle.

Quanquàm Saluistæ Mariam non expressis verbis <sup>exp. d. 107. v. 15. tu</sup> nuncupent, quemadmodum antea vitam, dulcedinem, spem, & aduocatam nostram vocarunt: tamen cum ex hac miseriarum valle ad ipsam suspirent gementes & flentes, cerè iudicât & credunt, ipsam esse <sup>exp. d. 107. v. 15. tu</sup>. Gemitus enim ex corde proficiscuntur. Demonstrauimus autem suprâ, nullum neq; angelum neq; hominem corda scrutari, sed id solius Dei opus esse. Itaq; non obscurum est, quin Mariam habeant pro Dea & mediatrice redemptionis.

VII. Ad te clamamus exules filij Euæ.

Hic demùm manifestissimè virginem Mariam diuinis honoribus quasi Deam quandam afficiunt, contra secundum præceptû. Nam inuocatio rei inuisibilis, est talis cultus seu tale opus, quod ei rei tribuit omnipotentiam: quòd motus & gemitus humanorû

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

cordium audire, & ex presentibus ac futuris, corporalibus & spiritalibus, temporalibus ac æternis malis, seruare & liberare possit. Qui honor soli Deo debetur, exaudienti & iuuanti nos propter Christum. Inuoca, inquit, ME in die tribulationis. Non, Mariam, aut alios Sanctos, Et alibi. Quicquid petieritis Patrem in nomine ME O, ego faciam.

Quod deinde conqueruntur & fatentur Saluista, se esse exules filios Eue, per se non perperam loquuntur. Nimis enim, pro dolor, verum est, Eua matrem nostram sua transgressione nos in omnes miseras & calamitates coniecisse. Caterum in alio quodam hymno, Annunciationis Mariæ, cuius initium est: Ave maris stella, salutationem Angelicam, Ave Maria, eo detorqueunt, quod Maria tum nomen tum lapsum Eue reparauit atque instaurauerit. Vox enim Ave, si inuerso ordine legas, sonat Eua. Sic ergo canunt: Sumens illud Ave Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans nomen Eue. Solent etiam primam promissionem Euangelij Gen. 3. non ad semen mulieris, sed ad ipsam mulierem referre: Ipsa conteret caput tuum. Quanta quæso hæc impietas est, quanta in Christum blasphemia? Non enim mulier, sed mulieris semen, Christus, caput serpentis contriuit, & hac serpentis capitis contritione lapsum Adami & Eue reparauit.

## VIII. Ostende nobis Iesum benedictum fructum ventris tui.

Hiscæ verbis extollunt Saluista Mariam, non tantum supra Christum, sed etiam supra ipsum Deum Patrem, & supra Spiritum sanctum. Intelligenda enim sunt hæc verba: Ostende nobis Iesum, aut de agnitione Iesu Christi, qua in hac vita nobis reuelatur per prædicationem Euangelij, aut de ea reuelatione, qua se toti mundo conspiciendum exhibebit in gloria, cum veniet ad iudicium.

dicium. Verò iis modo Christus nobis ostendatur vel reueletur, certum est, id semper fieri per solum Deum Patrem, & Spiritum sanctum, non per Mariam, aut quemuis alium sanctum: sicut ipse Christus testatur: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Iohan. 6. Et rursus: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Iohan. 14. Ac iterum: Cum autem venerit ille, qui est Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Ille glorificabit me, &c. Adde quòd ipse Deus pater filium suum in nouissimo die reuelabit. Sic enim Paulus Act. 17. concionatur: Statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, per eum virum, per quem decreuerat. Cur ergò Saluista Mariæ tãquam Deæ aut Idolo cupiam illud tribuunt, quòd scriptura soli Deo Patri, filio, & Spiritui sancto tribuit?

Tandem Epilogi vice addunt Versiculum & Collectam, qua ceu coronide omnes errores supra enumeratos confirmant atq; obsignat, & luculenter contra Fabrum testantur, quòd Mariam nõ inuocent vt mediatricem intercessionis, sed vt Deã & opiculatricem. Nam in omni tribulatione & angustia succurrere, soli Diuinæ Maiestati competit. Vnde & Christus nos ad se inuitans, venite, inquit, ad ME (non ad Mariã) omnes qui laboratis & onerati estis. EGO refocillabo vos. Matt. 11. & Esa. 43. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absq; me saluator. Fiducia ergò nostra non collocanda est in protectione vllius creaturæ, sed iuxta Psal. 91. in adiutorio altissimi, & sub protectione seu vmbra omnipotentis: & ex vera fide dicendum est Domino: Susceptor meus es tu (TV, non Maria) & refugium meum Deus meus, sperabo in eum.

Hec omnia, candidè Lector, prolixius aliquantò ad publicum illud carmen, Salue Regina, annotare volui. Primum, vt Fabrum suo quæsi iugularem gladio: atq; conuincerem, ipsum inuocare Mariam aliosq; sanctos Dei homines, non tantum vt mediatores intercessionis, sed etiam redemptionis: non tantum vt aduocatos, sed



## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

etiam ut Opitulatores. Deinde, ut hac occasione, locum de inuocatione sanctorum generali quadam refutatione perstringerem: siquidem ferè omnia, quæ in inuocatione sanctorum culpanda ac reprehendenda sunt, in hac cantilena, tanquam vno fasciculo colligata reperiuntur: videlicet, quòd inuocatio sanctorum pugnet cum verbo Dei, cum præceptis & promissionibus, cum officio deniq; diuinæ Maiestatis, patris, filij & spiritus sancti. Quid multis? inuocatio Sanctorum est aliud Euangelion, quàm quod Paulus cæteriq; Apostoli prædicarunt: ideoq; anathemate deuouendum ac damnandum est. Gal. 1.

Posteaquàm verò expressum mandatum & promissionem scripturæ sibi deesse videt Faber, exemplis quibusdam stabilire errorem suum conatur. Hieremias (inquit) Propbeta orat pro populo Israël, 2. Mach. 15. Ergò sancti à nobis inuocari debent.

Germ. fol. 111.

Lat. fol. 206.

Faber autem sophistica versutia ad palliandum mendacium utens, locum illum de oratione Hieremiæ mutilum & truncatum adducit. Si enim circumstantias eius loci recenseret, nequaquàm posset inde sanctorum inuocationem euincere.

Primum enim hoc exemplum non est desumptum ex indubitato verbo Dei, ceu Canonico libro sacræ scripturæ, sed ex historia Machabæorum, quam Faber ipse scit non esse in Canone, sed apochrypham. Scultum est autem, ex incerto scripto, certum articulum fidei velle condere, qui reliquis certis scriptis repugnet.

Secundò. Testantur omnes eius loci circumstantiæ, orationem Hieremiæ non fuisse verum & historicum factum, neq; etiam verum somniū, sed figmentum duntaxat Iudæ Machabæi, quo exiguam turbam Iudæorum, contra validissimum instructissimumq; exercitiū Nicanoris consolari & animare voluit. Sic enim est in textu: Singulos autem illorū armavit non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis & exhortationibus, exposito fide digno somnio, per quod vniuersos latificauit. Et mox: Exhortati itaq; Iudæ

Iudæ sermonibus bonis valdè, de quibus exrolli posset impetus, & animi iuuenum cõfortari, statuerunt dimicare, &c. En audis somnium fuisse FIDE DIGNVM, non certum. Num verò cultus Dei figmento inniti debet?

Tertiò. Si maximè Iudas Machabæus verè ita somniasset, non tamè sequitur, in cælo id gestũ esse, quod Machabæus somniauerit.

Quartò. Quòd si etiam verè in cælo id accidisset, quod Machabæus somniasset, videlicet Oniam, & Hieremiam pro populo orare: tamen Onias & Hieremias, alijsq; sancti non sunt idcirco inuocandi. Nuda enim & simplicia facta non constituunt generalem vitæ regulam.

Quintò. Neq; Machabæus, neq; milites ipsius, post recitatũ illud somnium, sanctos, Hieremiam & Oniam inuocarũt, vt ipsis opem ferrent, aut saltem pro ipsis apud Deum intercederent: quem admodum Equites nostri Georgium, Nautæ Nicolaum inuocarunt. Sed Machabæus Deum solũ inuocat, ita orans: Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Exechia Rege Iuda, & interfecisti de castris Senacherib centum octoginta quinq; millia, & nunc dominator cælorum, mitte angelum tuum bonum ante nos, &c. De militibus autem Iudæ ibidem dicitur: inuocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed & dominũ cordib; orantes.

Sextò & postremò. Etiam si Machabæus ac milites eius Oniam & Hieremiam inuocassent, ac liber Machabæorum hanc inuocationem tanquàm rem benè gestam laudaret, tamen non propterea pium & iustum esset hoc factum. Commendat enim idem liber Machabæorum salinus Razia, qui sibi ipsi manus intulit, ne veniret in manus impiorum. 2. Mach. 14. Quod quidem Augustinus iure vicuperat & libros Machabæorum sobrie & cum iudicio legendos esse monet. Lib. 2. contra Epistolam Gaudentij. Non planè sapientiæ ( inquit ) sed insipientiæ dedit exemplum Razias: non Christi martyribus sed donati circumcellionibus imitandum. Et rursum:

QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE  
scriptura Machabeorum ab Ecclesia non inutiliter recepta est,  
si SOBRIE legatur vel audiat.

Ego autem Fabio aliud exemplum de inuocatione sanctorum  
ob oculos ponam, non figmentum aut somnium ex apocrypho & in-  
certæ fidei libro, sed certam historiam ex indubitato libro scriptu-  
ræ. Act. 14. Cum Paulus & Barnabas claudū sanassent in nomine  
Iesu Christi, Lycaones accurrebāt cum tauris & coronis, volentes  
ipsis sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli, conscisus vestibus  
suis insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: viri curista faci-  
tis? Nos quoq; iisdem quibus vos, obnoxij malis sumus homines,  
annunciantes, vt ab istis vanis conuertamini ad Deum viuū, &c.

Duo commemorat in hoc exemplo Lucas, de sanctis Apostolis,  
quæ ambo inuocationi sanctorū ex aduerso opposita sunt. Primum,  
quod & ipsi miseri ac mortales homines sint, sicut & ceteri. Alter-  
rum, quod prædicatione Euangelij homines à creaturis abducunt  
ad Deum viuum. Nam si Apostoli sanctorum omnium præstantis-  
simi iisdem malis obnoxij sunt, quibus ceteri homines, videlicet  
non corporalibus tantum, sed & spiritualibus, nec se ipsos ex his  
liberare queunt, quomodo illos, à quibus inuocantur, iuuabit? Quæ-  
ritum verò ad officium eorum attinet, hic finis & scopus ipsis propo-  
situs est, ut conuertantur homines ad fidem in Deum viuum,  
eumq; solum inuocent in nomine Iesu Christi. Omnes enim alia cre-  
atura sunt vana, nec possunt nos ab ira Dei seruare & eripere.  
Itaq; non dubium est, quin sicut Paulus & Barnabas indignabun-  
di ad Listranos clamauerunt: viri quid facitis? ita hodieq; omnes  
sancti in cælis, suo modo ad omnes, qui ipsos inuocant, exclament:  
viri quid facitis? Nos quoq; peccatores & mortales fuimus, sicut  
& vos: sed ex gratia per Iesum Christum saluari sumus. Inuocate  
ergo illum, qui & nos & vos creauit, tūm vos quoq; redimet & sal-  
uabit, quemadmodum & nos. Quicumq; enim inuocauerit nomen  
DOMINI (non sanctorum) saluus erit.

Tandem

Tandem ubi Fabrum diuina testimonia deficiunt, humana vnde-  
 cunq̄ emendicat ex vetustis Patribus. Prisci illi, inquit, suspi-  
 ciantiq̄ Patres de Diuorum imploranda fide & patrocinio summa  
 consensione scripserunt. Ac confuse illos citat, absq̄ omni delectu,  
 ubi vel obiter tantum meminere, Sanctos pro nobis orare, ibi  
 Fabro volentes nolentes ad stabiliendam inuocationem sanctorum  
 suffragari coguntur.

Germ. fol. 123.

Lat. fol. 210.

Etsi autem inuocatio sanctorum mox cum alijs vetustis errori-  
 bus irrepserit, tamen principium fuit tolerabile. Postea subinde cras-  
 sus erratum est, donec tandem planè in Ethnicam idol. maniam  
 degenerauit. Sequenda ergò nobis hìc est vulgata illa regula: Di-  
 stingue tempora, & concordabis scripturam & scriptores.

Nam à temporibus Apostolorum vsq̄ ad Basilium Magnum,  
 hoc est, annis 380. circiter, post natum Christum, prorsus Eccle-  
 sia & sanctis Patribus ignota fuit sanctorum inuocatio. Celebra-  
 runt quidem memorias sanctorum in actione cœna, & senserunt  
 sanctos in cœlis pro nobis orare (quod nec nos negamus) sed nequa-  
 quàm docuerunt ipsos inuocandos esse: verum iusserunt inuocare  
 solum Deum per vnicum mediatorem Iesum Christum: vt supra  
 Cent. 3. in constitutione Felicis Papæ audiuius. Quare Faber in-  
 iuriam facit Anacleto, Cornelio, Cypriano, & alijs Patribus, ve-  
 rustioribus Basilio. Hæc fuerunt sincera & aurea tempora, qui-  
 bus vera sanctorum veneratio sine omni superstitione & idolatria  
 in usu fuit.

Sed post tempora Basilij Magni, Nazianzeni, Prudentij, &c.  
 vsq̄ ad Gregorium Magnum, commemoratio sancto-  
 rum indies magis magisq̄ in inuocationem degenerauit. Nec  
 tamen ita crassa & palpabilis fuit idolatria, qualis post Gre-  
 gorium vsq̄ ad hæc nostra tempora in Ecclesia Romana exerceri  
 consuevit.

Quanquam enim Prudentius in Hymnis de Martyribus, &  
 Nazianze-

## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

Nazianzenus, Basilii, Chrysoſtomus, &c. in ſine Concionum quarundam funebrium ſanctos defunctos nominati inuocant: tamen cum in alijs ſuis ſcriptis inuocationem ſanctorum expreſſis verbis reprehendant, doceantq̄ ſolum Deum per Chriſtum inuocandum eſſe (vt poſt̄ audiemus) uſi ſunt tali forma loquendi, non vt cultu Theologico, ſed vt figura Grammatica, quam Apoſtrophem uocant: qua interdum oratio ad abſentes, imò etiam ad res inanimitas conuerſitur. Vel certè uſi ſunt Proſopopeia, qua mortuis tribuitur oratio. Voluerunt quippè homines pij & diſerti ſignificare & exprimere inenarrabilem illum gemitum ſanctorum, & omnium creaturarum pro noſtra ſalute: & ſignificauit pias preces, quas ſancti in hoc ſeculo è Spiritu ſancto coram Deo effuderunt, adhuc in auribus Dei ſonare, ſicut & ſanguis Abel poſt̄ mortem eius coram Deo adhuc uociferatur: & quòd Dominus etiam poſt̄ mortem ipſorum memor ſit precum, quas, dum adhuc in hac terra uiuerent, pro ſua & totius Eccleſie liberatione effuderunt. Itaq̄ Patres, qui 600. annis Chriſtum ſecuti ſunt, uſq̄ ad Gregorium, Fabro ad probandam ſanctorum inuocationem non patrocinantur.

Iuxta tamen non negamus, populum ijs etiam temporibus paulatim incepiſſe mortuos ſanctos inuocare, tanquàm opitulatores. Qui error vulgi hinc ortus eſt. In tribus primis ſeculis ſeu ſeculis poſt̄ Chriſti aſcenſionem, Eccleſia decem crudeliſſimas perſecutiones ſuſtinuit: in quibus paſſim per totum orbem terrarum quotidie plurimi Chriſtiani ob confeſſionem fidei exquisitiſſimis ſupplicijs & martyrijs afficiebantur. Hunc ergò morem reliqui Chriſtiani obſeruabant. Cum cœna Dominica agenda eſſet, ex ſcheda recitabantur Martyrum nomina: commemorabantur ipſorum agones & triſtia certamina, & conſtantia in confeſſione doctrinæ Chriſti: & addebantur illuſtres exhortationes, quibus populus ad ſimilia certamina ſubeunda accendebatur. Atq̄ hæc commemoratio ſanctorum plerumq̄ fiebat in diebus anniuersarijs.

sarijs, quibus Martyrio coronati fuerant, & in ijs locis, ubi corpora eorum sepulta quiescebant.

Quia vero illis temporibus prædicatio Euangelij adhuc erat recens, & multò maxima parti orbis ingrata & inuisa, ideo Deus ad sepulchra Martyrum magna & stupenda miracula ædidiit. Quò-  
admodum scribit Ambrosius lib. 10. Epist. 65. cæcum apud sepulchrum Geruasij & Prothasij visum recepisse, & multos à demonijs purgatos esse. Quibus tanquàm cælestibus testimonijs veritatem Euangelij sui comprobare voluit Dominus, & inuitare alios quoq; ad recipiendam & confitendam hanc doctrinam, quam Martyres etiam sanguine suo obsignare non dubitauerint. Quem-  
admodum in veteri Testamento, resurrectione mortui ex tactu ossium Elizei. 4. Reg. 13. Deus doctrinam Elizei confirmauit, simulq; ostendit, preciosam esse coram se mortem sanctorum suorum, eosq; verè apud Deum viuere.

Posteaquàm verò prædicatio Euangelij in toto orbe diuulgata, ac ingentibus miraculis obsignata confirmataq; fuit, desierunt fieri miracula apud Martyrum sepulchra. Nihilominus tamen rude vulgus, magis respiciens miracula, quàm doctrinam, cuius confirmanda causa facta fuerant, in hunc errorem incidit, vt crederet, non Deum, sed ipsos sanctos illa miracula ædidiisse, accepiſſeq; à Deo potestatem sanandi omnes morbos, & auertēdi omnia mala. Hinc sancti tanquàm opitulatores inuocari cœperunt. Et quanquàm nascenti errori multi ex Patribus acriter restiterint (vt mox dicemus) tamē aliqui, vt Prudentius, Basilius, Nazianzenus &c. opinioni populari nimium indulserunt: ac præter expectationem suam (neq; enim futura incommoda prospexerunt) Sathana fenestram aperuerunt, ad inuehendam inuocationem sanctorum, qua tandem vera inuocatio Dei miserè obscurata & extincta est.

Sathan enim vt errorem vulgi foueret atq; confirmaret, permissiōe Dei cœpit & ipse apud martyrum sepulchra Miracula æ-

QVINTÆ CLSSIS, DE VII. ERRORE.

dere, ( vt solet iuxta templum Dei suum etiam sacellum exci-  
 rare ) id quod à Christo & Paulo iam olim prædictum fuerat. Sur-  
 gent, inquit Christus, Pseudopropheta, & dabunt signa magna  
 & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam  
 electi. Ecce prædixi vobis. Et de Antichristo varicinat<sup>r</sup> Paul-  
 lus: Cuius est aduentus secundum operationem Sathanae, cum  
 omnipotentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni de-  
 ceptione iniustitiæ in ijs, qui percunt, pro eo quod dilectionem ve-  
 ritatis non receperunt, in hoc vt salui fierent. Et propterea mit-  
 tet illis Deus efficaciam illusionis, vt credant mendatio, vt iu-  
 dicentur omnes, qui non crediderunt veritati: sed approbauerunt  
 iniustitiam.

Quibus ex testimonijs manifestum fit, Sathanam per Pseudo-  
 prophetas æquè miracula adere, ac Deus per sanctos suos adit.  
 Nota autem, qua discerni & dijudicari possunt, an ex Deo an  
 ex Sathana sint, hæc est. Ea quæ gloriam Dei promouent, si-  
 dem in Deum confirmant, & ad solum Deum ducunt atq; impel-  
 lunt, vera & diuina sunt miracula. Contrà, quæ à Deo abdu-  
 cunt, docentq; creaturis fidere & opem ab ipsis petere, non sunt  
 ex Deo.

Sic miracula Apostolorum & Christianorum in primæua eccle-  
 sia, quæ vel in vita, vel post mortem ad sepulchra eorum facta  
 sunt, eò tendebant, vt doctrina Euāgelij confirmaretur: vñ om-  
 nes à fiducia creaturarum ad solius Dei agnitionem & fiduciam  
 conuerterentur, gloriaq; nominis diuini subinde redderetur illu-  
 strior. Sicut Christus inquit Marci 16. Porro signa eos, qui cre-  
 diderint, hæc subsequenter. Per nomen meum demonia eijci-  
 ent, &c. Furunt itaq; diuina, vrpote ab ipso Deo profecta, &  
 ad gloriam eius directa. Ex aduerso, miracula in Papatu facta  
 apud idola, ad quæ peregrinationes suscepta sunt, vt ad S. Ma-  
 riam de Laureto, Aquisgrani, in Eremito Heluetiorum, Ratis-  
 bone,

bonæ, & alijs locis, eo spectarūt, vt peregrinationes subinde celebriores fierent, hominesq̄ à Deo ad creaturas abducerentur, vt auxilia à statuis sperarent, votis sese impijs obstringerent, omnem deniq̄ fiduciam à Deo in creaturas transferrent. Quæ omnia certissima iudicia sunt, quòd ista miracula, permissiōe Dei, ab ipso Sathana adornata perfectaq̄ fuerint.

Hac nota diuinorum & diabolicorum miraculorum neglecta, stolidi homines post Basilij tempora citra delectum omnia miracula pro diuinis suspexerunt. Ipsi quoq̄ Episcopi non satis vigilanter scripturæ intendentes, & aduersus Sathana astutias non satis instructi, locum idolatriæ dederunt. Sic paulatim tam summi quàm infimi, amissa vera inuocatione Dei per Christum, delapsi sunt ad idolatricam inuocationem sanctorum: ac tandem plus fiducia in sanctos quàm in ipsum Christum collocarunt. En hæc est Fabri Ecclesia Cacolyca, quæ à spiritu sancto gubernatur, & errare non potest, scilicet, si dijs placet.

Quanquàm verò ijs temporibus, tam Episcopi quàm discipuli, incipiebant commemorationem sanctorum in inuocationem transfmutare: tamen præcipui Doctores Ecclesiæ illorum temporum vehementer sese opposuerunt, ac in defendenda conseruandaq̄ vera ac pia inuocatione plurimum operæ studijq̄ posuerunt. Impudens ergo mendacium est, quòd Faber affirmat, priscos illos Patres de diuorum imploranda fide & patrociniō summa consensione scripsisse. Quæcūq̄ enim à Dionysio Cypriano, Eusebio & Augustino de sanctorum commemoratione traduntur, apertissimè sanctorum inuocationi refragantur, vt Centuria prima sub Felice. 1. Pontifice dictum fuit.

Et licet Faber citata ex Augustino testimonia alijs contrarijs dictis (ex libris meditationum) opprimere conetur, tamen nihil agit. Nam & ipsemet non ignorat, Libros Meditationum non esse conscriptos ab Aurelio Augustino Hipponensi Episcopo, sed à



## QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

Superstitioso forsan Monacho, qui suas meditationes sub nomine Augustini venditare voluit: ut apparet omnibus studiosis Augustini lectoribus. Cur ergo incertas meditationes certissimis Augustini scriptis præferremus? Sed audiamus iam, quid & reliqui illorum temporum Doctores de inuocatione sanctorum scripserint.

Epiphanius Episcopus Cypri, qui tempore Basilij Magni floruit, acerrimè pugnat contra superstitiosos quosdam Christianos, qui imagini Mariæ sacrificia offerebant, & propemodum Deam ex Mariâ faciebant. Tomo 2. lib. 3. Heresi. 79. aduersus Collyridianos sic scribit. Maria virgo reuera virgo erat, & honorata: sed nõ ad adorationē nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsâ carne genitus est, de cælis verò ex sinibus paternis accessit. Et propterea Euangelion munit nos, dicens, quod ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est mulier? nondum venit hominea. Quod non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellauit, velut prophetans, que futura essent in terra, sectarum ac hereseon gratia. Ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc heresin eiusq̃ delyramenta dilabantur.

Et mōx. Quæ verò scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem?

Item. Sed neq̃ Helias adorandus est, neq̃ Iohannes, neq̃ Tecla, nec quisquàm sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus viuentem, & adoremus ea, que ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorauerunt creaturam præter creatorem: & stulti facti sunt.

Et rursus. Sit in honore Maria. Pater & filius & Spiritus sanctus adoretur, Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neq̃ virum. Deo debetur hoc mysterium. Neq̃ angeli capiunt talem glorificationem.

Eadem

Eadem ferè scribit Epiphanius lib. 3. Tomo 2. cap. 78. contra Antidicomarianitas: Vide ibidem.

Hieronymus aduersus Vigilantium, ad  
Riparium Presbyterum.

Nos autem non dico Martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & OMNĒ nomen quod nominatur & in presenti seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum cuius sunt Martyres, adoremus.

Ambrosius in Epistolam ad Romanos,  
Cap. 1.

Ad Deum autem, quem vtiq; nihil latet (omnium enim merita nouit) ad promerendum suffragatore opus non est, sed mente deuota. Vbiq; enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi, &c. Ibidem prolixè refutat similitudinem de tribunis & comitibus, per quos itur ad Regem, vel principem: vocatq; illos demones, qui relicto Deo viuo, mortuos inuocent.

D. Chrysostomus, ex varijs in Matthæum  
locis, Homel. 16. de Muliere  
Chananæa.

Dic mihi mulier, quomodo ausa es, cum sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudentiam mulieris. Non rogat Iacobum, non obsecrat Iohannem, neq; pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum chorum, non

## QVINTÆ CLASSIS DE VI. ERRORE

quæfuit mediatorem, sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocari locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit. Propterea, inquit, descendit, propterea carnem assumpsit, & homo factus est, ut ego ei audeam loqui.

Et mox in conclusionis. Ad Deum autem nihil horum opus est, sed vbicunq; fueris aut inuocaueris, audit te. Non ostiario, non mediatore, non ministro opus est, sed dicito, Miserere mei, & Deus illico aderit: adhuc loquente te, dicet, adsum.

### Idem in Homelia de profectu Euangelij.

Vis dicere, quòd etiam per nos ipsos orantes, apud Deum plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orant?

### Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 21.

Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti Dei. At illo cultu, qui Græcè *κτῆμα* dicitur, Latine vno verbo dici non potest, cum sit quedam proprie diuinitati debita seruitus: nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vnde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quisquis in hunc errorem dilabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue ut corrigatur, siue ut caueatur. Ipsi enim sancti, vel homines, vel angeli, exhiberi sibi nolunt, quòd vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba. Act. 14.

Cyrillus

Cyrillus in Thesauro, lib. 4. cap. 2.

Sancti ergò per gratiam atq; participationem ipsi quidem donum consecuti sunt. sed alijs pro voluntate sua dare illud non possunt: filius verò non sic, sed vt sanctitatis fons, ex propria potestate discipulos sanctificat, dicens: Accipite spiritum sanctum.

Idem contra Iulianum, lib. 6.

Sanctos Martyres neq; Deos esse dicimus, neq; adorare conuenimus, laudamus autem eos potius summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certarunt, & fidei sinceritatem seruauerunt, ita vt & suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes prauauerint.

Theophylactus in Matthæum, Cap. 15. de muliere Chananæa.

Fiat tibi sicut vis. Ostendit quòd nisi fidem habuisset Chananæa, nihil fuisset assecuta. Atq; ita si voluerimus & nos, nihil veritatis & nos assequi quæ voluerimus. Obserua autem, quòd licet Sancti orent pro nobis, sicut pro illa Apostoli, attamen nos pro nobis ipsis petentes magis audimur.

Hic autem Faber respondet: Nos, inquit, à Sanctis, neq; gratiam, neq; gloriam, neq; iustitiam petimus, sed eorum preces ambimus, vt nobiscum Christum adire velint: quò scilicet suis orationibus animarum nostrarum refectionem vel recreationem obtineant.

Bone Deus, quanto eleboro cerebrum Fabri indiget, cui duo vnum sunt, & vnum duo? Audiuius enim supra ingens discrimen esse inter orationem Sanctorum pro nobis, & inuocationem ipsorum, qua à nobis implorantur. Fabro autem hæc sunt vnum & idem. Vbiunq; enim inuenit Sanctos pro nobis orare, statim infert, illos

Germ. fol. 118.  
Lat. fol. 214.

## QVINTÆ CLASSIS DE VI. ERRORE

illos à nobis inuocandos esse. Contra audiuimus etiam, inuocare & adorare vnum & idem esse. Qui enim rem inuisibilem inuocat, necesse est vt credat, eam rem cognoscere & exaudire gemitus suos, ac posse & velle prestare ea quæ petuntur. Quomodo inuocabunt, inquit Paulus, in quem non crediderint? Quid autem hoc aliud est quàm adorare? Sed Faber inficta pertinacia, sicut antea ex duobus vnum, ita nunc ex vno duo facit. Non accedimus, inquit, ad Sanctos, ea ratione, quæ ad Christum accedimus, hoc est, non adoramus eos vt Deos, sed inuocamus tantum vt intercessores, ac per ipsorum intercessionem Dei gratiam & amicitiam ambimus & aucupamur, &c. Sed quia nihilominus per inuocationem illis tribuit, quæ soli Deo debentur, manent adhuc inuocatio & adoratio vnum & idem. Ac proinde vetusti Patres in citatis dictis non minus aduersantur inuocationi Sanctorum, quàm adorationi: quicquid tandem Faber obganniat.

Hæc ergo fuit secunda ætas à Basilio vsq; ad Gregorium Magnum, veluti argentea. In qua paulatim quidem inuocatio Sanctorum irrepsit, sed tamen à multis grauitè taxata & confutata fuit. Vana proinde est Fabri iactantia, qua gloriatur, omnes priores Patres vnanimiter de Sanctorum inuocatione scripsisse.

Sed à Gregorio Magno incipit tertia & quasi ferrea ætas, de inuocatione Sanctorum. Is enim primus fuit, qui eam in Romana ecclesia Canone suo confirmauit, Litaniæ item, & Processiones, & Circumgestationes crucis primus instituit, vt testantur omnes Chronici. Hunc secuti Scriptorum vsq; ad nostra tempora ferè omnes quasi ad eundem modulum formati, vno ore inuocationem Sanctorum stabiliunt: nisi quòd quò quisq; est recentior & à Gregorij temporibus remorior, eò absurdiora & sensu & docuit. Vt videre licet in Speculo Vincentij, Promptuario Discipuli, Bergomate, Iacobo de Voragine, libro exemplorum, Mariali, & similibus Lugendis, in quibus sæpenumerò sub Sanctorum nominibus plusquam

quàm pœtice fabula narrantur. Taceo crassos errores imperiti  
vulgi, de imaginibus, Reliquijs, Sacellis, Peregrinationibus,  
Oblationibus, Votis. Taceo quòd singuli morbi, pericula & neces-  
sitates, singula pecora, opificia, fraternitates, loca, suos peculia-  
res sanctos ceu Tutelares Deos habuerunt: ac singuli homines suos  
certos & peculiare inuocarunt Apostolos: adeò vt verè cum He-  
remia conqueri possimus: Secundum numerum ciuitatum tuarum  
erant Dij tui Iuda, Hieremie 2. Nullum enim est discrimen in-  
ter Iudaica, Ethnica & Papiistica idola, quàm in solis nomini-  
bus.

Quanquàm verò nonnullos etiam post Gregorij tempora pro-  
ducere possemus, qui inuocationem sanctorum oppugnarunt, ta-  
mem sufficiunt iam nobis antiquioris puriorisq; Ecclesie testimo-  
nia, ex quibus clarè perspicitur, inuocationem sanctorum post  
sexcentos demùm à Christo nato annos, per Gregorium approba-  
tam confirmatamq; esse. Nam verò cultus aliquis idè iustus &  
pius sit, quòd à tot & tantis & tam diu obseruatus sit, suprà in  
capite de Ecclesia & Patribus prolixè differuimus.

Quandoquidem ergò Faber, nullum verbum, præceptum, pro-  
missionem, exemplum, neq; ex sacris scripturis, neq; ex Patrum  
libris, neq; ex purioris Ecclesie testimonijs, pro defendenda san-  
ctorum inuocatione producere potest, imò ista illis omnibus ma-  
nifestè aduersatur: non iuuabunt illum ascititij fuci & procul ac-  
cessita verborum lenocinia, quò minus agnoscat habeaturq;  
pro horribili & execranda idolatria, atq; impia in officium  
Christi blasphemia. Et sanè si in toto Canone & sacrificio  
Missæ, nullum aliud viciu deprehenderetur, quàm sola sanctorum  
inuocatio, meritò eam omnes pij tanquàm abominationem coram  
Deo tererrimam fugere & execrari debent: iuxta præceptum  
Apostoli: Fugite idola. Et: Idolatra regnum Dei non heredita-  
bunt. Atq; hæc de sexto errore Canonis dixisse satis sit.

# Septimus error

Canonis.

**Q**uod sacrificio Missæ misellæ animule ex Purgatorio liberentur.

Hactenus, amice Lector, multos execrandos errores recensuimus, qui aut expressis verbis in Canone ponuntur, aut à Missarijs coactè violenteq; ingeruntur, ita, ut qui quod legit intelligit, facile iudicare queat, sacrificium Missæ esse abominationem illam desolationis, de qua Daniel cap. 9. vaticinatus est. Sed vix ymbra instar sunt, si conferantur cum Missis exequialibus, hoc est, ijs, quæ pro defunctis peraguntur, de quibus in hoc septimo errore agendum est. Est enim sacrificiū Missæ pro viuis magna est coram Deo abominatio, tamen tolerabile aliqua ratione est, eò quod viuis, pro quibus Missa celebratur, adhuc sint in tempore gratiæ, possuntq; adhuc cum Deo reconciliari: defunctorum autem nulla amplius reconciliatio expectanda est. Deinde, sanctorum quoq; inuocatio, horribilis est idolatria: attamen cum fiat ab ijs qui adhuc versantur in tempore gratiæ, ad eos qui in perfecta degunt beatitudine, tolerabilior est Missis exequialibus, quæ plerunq; ab impijs & leuissimis sacrificulis lætitantur pro ijs, qui iam pridem iudicium in altera vita acceperunt. Adhuc, Missæ istæ pro defunctis multos alios errores pariunt, quos Faber callide occultat, & fucatis verbis excusare conatur. Sunt autem hi:

1. Quòd in futura vita sit medius quidam status inter saluatos & condemnatos.
2. Quòd memoria defunctorum in Missa necessariò celebranda, & pro defunctis necessariò orandum sit.

3. Quòd

3. Quòd defunctis subsequèntia opera ab alijs facta subuenire queant.

4. Quòd cum primis sacrificio Missæ animæ defunctorum ex Purgatorio liberentur.

Hæc ordine ad normam sacræ scripturæ, ad veterum Patrum testimonia, & ad usum totius Ecclesiæ exigemus atq; pensulatè examinabimus.

## DE INTERMEDIO

statu inter beatos &

damnatos.

Hic loco Faber non tantum animi, nec tantum ingenuitatis habet, ut statum inter beatos & damnatos medium expressè nominet, quis & qualis & ubi sit, & quo nomine appelletur. Sic enim loquitur: Sacerdos in missa precatur patrem caelestem, ut fidelium animabus in illo futuro seculo pœnis adhuc quibusdam obnoxijis, propitiùm ac misericordem se præbeat. Et rursus: Precamur pro animabus in Christo quiescentium, diuina castigationi in illo futuro seculo etiam num obnoxijis. Hæc ille. Sed ut omnes circumstantiæ, & præsertim dicta Augustini & Origenis ab ipso citata testantur, vetus illud purgatorium intelligit. Quod cum nostris temporibus prædicatione Euangelij ita extinctum sit, ut vel ipsis Papistis vix fumus aliquis appareat, veretur Faber, ne in fouendo hoc igne, si nominatè exprimat, oleum & operam perdat. Itaq; sibi post principia cauens, non disertè, quid velit, significat: ut si Purgatorium merum figmentum esse conuincatur, facilè tergiversari queat, si dicat, se non intellexisse per medium statum ignem purgatorium, sed atrium & vestibulum inferni, seu campum Elysium, de quo Poëta fabulantur. Num autem boni viri sit in negocijs religionis ita ludere & sophisticari,

Germ. fol. 126.  
Lat. fol. 216.

Germ. fol. 127.  
Lat. fol. 218.



QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

sophisticari, alijs iudicandum relinquo. Certè quilibet Christianus, imò quivis vir bonus liberè profitetur quid credat, nec aliud corde tegit, quàm ore proloquitur. Sic enim Christus præcipit: Sic sermo vester: Est, est. Et Psalm. 116. Credidi, propter quod locutus sum.

Quia autem Purgatorium vnicum fundamentum est, super quod Missæ exequiales cum coniunctis abominationibus extructæ sunt: meritiò Faber tanquàm calefactor ignem istum Purgatorium fodere & fouere debebat, ne culina sua frigeret. Sed audi quæso, quomodo foueat.

Primum, ne vnum quidem verbum citat ex sacris literis, ad probandum suum istum intermedium statum inter beatos & damnatos. Quia ergò prorsus tacet, fateri videtur, quod in corde suo sentiat non esse Purgatorium: alioquin omnes literulas vel apices excussisset, quibus Purgatorium stabiliri posse putasset. Quanta autem sit abominatio, cultum necessarium in Ecclesia institueret, absq; verbo, præcepto, promissione & exemplo Sacræ scripturæ, supra satis ostensum est.

Sacræ literæ profectò, non tantùm non ad stipulantur opinioni de Purgatorio, sed prorsus è diametro repugnant, testantes præsentunt axat seculum esse tempus gratiæ, & diem salutis. Ecclesiastes cap. 9. Quodcumq; facere potest manus tua, instantè opere: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Et Paulus commendans salutiferum illud tempus, in quo prædicabatur Euangelion, sic inter cetera inquit: Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Quia verò nostra scientia, prophetiæ, linguæ, quæ ex parte tantùm sunt, in futuro seculo cessabunt, omniq; perfecta erunt, sequitur, in futuro seculo non fore tempus acceptum, nec intermedium aliquem statum, in quo peccator ad gratiam & penitentiam peruenire queat. Sed vnusquisq; suam mercedem accipiet, iuxta suum laborem.

1. Cor. 3.

Clarif

Clarissime autem Christus ipse testatur, post hanc vitam duas duntaxat fore conditiones, seu duo loca: Qui crediderit, inquit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Marc. 16.

Idem testatur exemplum Lazari & diuitis Epulonis. Luc. 16. quorum hic in infernum, alter in sinum Abrahæ portabatur. Et congruit similitudo de quinq; virginibus fatuis, quæ adueniente sponso imparata, clausis ianuis audiunt: Non noui vos.

Secundò. Faber in probando suo intermedio statu sacris testimonijs destitutus, Patres in medium protrahit. Duos autem duntaxat inuenit, qui ignis purgatorij meminerunt. Origenes lib. 8. in Rom. cap. 11. inquit: Purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus quanti sùe seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille, cui pater omne iudicium tradidit. Augustinus lib. 2. de Genesi, contra Manichæos, cap. 20. Qui forte agrum suum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel vitam eternam. Idem in Psal. 37. Ignis purgatorius vel emendatorius, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt, grauior erit quam quicquid potest homo pati in hac vita.

Gerin. fol. 132.  
Lat. fol. 228.

Ger fol. 129.  
Lat. fol. 222.

Constat autem hos Patres in illis de igne purgatorio dictis respicere ad locum Pauli 1. Cor. 3. vbi inquit: Si cuius opus exustum fuerit, damnum patietur, ipse verò saluus fiet, sed sic tãquam per ignem. Age igitur circumstantias loci Paulini excutiamus. Vbi si deprehenderimus Paulum de Papistico igni purgatorio loqui, sine omni tergiuersatione, interpretationem Patrum, tanquàm ipsius Pauli sententiam accipiemus. Sin minus, excusabimus Patrum imprudentiam, qui minus circumspicte super fundamentum superstruxerunt ligna, fœnum, stipulam. Si verò Faber praefractè perrexit, Patrum expositione nos obtundere,

QVINTÆ CLASSIS, DE VI. ERRORE

cogemur Paulinum illud fulmen in ipsum contorquere : Si quis vobis predicauerit Euangelion, præter id quod accepistis, anathema sit.

Vt autem verum sensum verborum Pauli assequamur, obseruandus est status totius epistolæ ad Corinthios, præsertim verò quatuor primorum capitum, quæ pulchro ordine inter se coherent. Loquitur ergo ibi non de statu & conditione eorum, qui in altero seculo sunt, sed de statu Ecclesiæ in hoc præsentī seculo. Nec loquitur de omnibus & singulis credentibus, sed de solis doctoribus & concionatoribus : quos adhortatur, vt sint concordēs in præcipuis capitibus Christianæ religionis : nec serant discordias & schismata. Ac concludit, in Ecclesia nullum aliud fundamentum poni posse, præter id quod iam pridem apud ipsos positum sit, quod est Iesus Christus: sed architectos esse dissimiles: alios enim superstruere aurum, argentum, lapides preciosos, quæ in igni illæsa permanent: alios ligna, fœnum, stipulam, quæ ignem sustinere nequeunt. Et seipsum pulchrè explicat, quid hac similitudine velit.

Fundamentum est Christus Iesus, vel doctrina Prophetarum & Apostolorum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Esa. 28. Eph. 2. Architecti seu edificatores sunt Apostoli & doctores Ecclesiæ. Ego, inquit, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem super illud edificat. Porro quisq; videat, quomodo superstruat. Alij aurum, argentum, lapides preciosos, hoc est, vtilem & necessariam explicationem, & veros ac spirituales cultus, pœnitentiam, fidem, inuocationem, &c. supra fundamentum extruunt. Alij autem ligna, fœnum, stipulam, id est, humanas eruditiones, & opiniones tales, quæ multum erroris secum trahunt, & puram doctrinam obscurant, vt sunt Monachatus, doctrina de satisfactionibus, de sacrificio Misse, indulgentijs, & tales plurimæ alie. Hec verò opera qualiã sint, dies qui in igne reuelatur declarat, an scilicet sint opera firma, perpetua, solida, an duræ aut  
euariidæ

euanda sit ipsorum doctrina. Si cuius opus manserit, mercedem accipiet. Sin exustum fuerit, damnum patietur.

Vicitur autem Apostolus similitudine, sumpta ab auro & argento, quod in igne probatur, sicuti Psal. 12. dicitur: Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum, in vase testaceo purgatum septies. Vult igitur dicere: Quemadmodum aurum, argentum, & gemma examen ignis sustinent & purgantur: ita etiam pura doctrina Euangelij, tanquam igni probata, contra inferorum portas, contra totius mundi potentiam, inconcussa & firma permanet.

Contra, quemadmodum ligna, fœnum, stipulae, examen ignis non sustinent, sed consumuntur: ita traditiones humanae probatae per ignem afflictionis colliquescent & exuruntur: neque possunt consistere, cum ex eis conscientiae firmam consolationem habere nequeant: ipsi tamen aedificatores, quia fundamentum Christum retinent, & fiducia huius mediatoris contra peccatum & mortem se sustentant, saluantur: sed sic tanquam per ignem, hoc est, quod tandem penitentiam agunt, agnoscunt stipulas & errores suos, & in solo fundamento consistunt.

Exempli loco sit tibi Augustinus ipse. Is fuit superstructus super fundamentum Christum, fuit enim in nomine eius baptizatus, nihilominus tamen super hoc fundamentum extruxit interdum ligna, fœnum, stipulas. Nam ut ceteras opiniones præteream, quae in iudicio Dei consistere nequeunt, hunc locum Pauli de igne purgatorio in futuro seculo intelligit, contra ipsius Pauli sententiam. Et alibi inquit, in Enchiridio cap. 110. Non negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesia sunt, &c. contra officium Christi, & legitimum usum caritative dominicae. Et rursus Sermone 32. de verbis Apostoli: Orationibus sanctae ecclesiae, et sacrificio saluari, et eleemosynis, quae pro eorum.

## INTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hæc ille. Quia autem impossibile est, ut electi seducantur, non passus est Dominus ipsum semper in hoc errore hæere: sed accendit ignem per Pelagianos, quo tantum negocij Augustino facescit, ut opinionem de meritis operum, non tantum pro mortuis, sed etiam pro se ipso & pro uiuentibus, abiecerit, & tanquam lignum, fœnum & stipulam igni consumendam tradiderit. Ipse uero unicum fundamentum Iesum Christum constanter retinens, docuit & confessus est, hominem absq; operibus suis, gratuita misericordia, per solam fidem iustificari: ac per hæc certamina, tanquam per ignem saluatus est. Errare enim neminem condemnat, sed in errore perseuerare, hoc demum iudicium & condemnationem adfert.

Hic est simplex & genuinus sensus uerborum Pauli: uidelicet, quòd non loquatur de igni purgatorio futuri seculi, sed de igni afflictionis & persecutionis in hoc seculo, qui manifestè reuelat, quale opus unusquisq; super fundamentum superstruxerit.

Si enim ignis ille, de quo Paulus loquitur, intelligendus esset de igni purgatorio futuri seculi, necesse foret, omnes sanctos Dei homines post mortem in illud descendere, etiam Paulum ipsum. Ignis enim ille, de quo Paulus agit, æquè probat & purgat illos qui aurum, argentum & lapides preciosos super fundamentum extruunt, ac illos, qui ligna, fœnum, stipulas superstruunt. Vbi ergo illa Pauli gloriatio esset, quam habet in Christo Iesu, quòd cupit dissolui, & esse cum Christo?

Sed & alibi expressè & ex professo agens de statu defunctorum Christianorum, nullam Purgatorij mentionem facit 1. Thess. 4. Nolo, inquit, vos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & ceteri, non habentes spem: nam sciedimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt

obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Et mox: Proinde con-  
solemini vos mutuo sermonibus his.

Profectò fieri non potest, ut hæc verba Pauli Purgatorium  
admittant. Primum enim, Paulus is est, qui nouit, quis sit de-  
functorum status: didicit enim, non tantum per reuelationem Chri-  
sti, sed etiam propria experientia, cum raptus fuit in tertium  
cælum. Sanè si esset ignis purgatorius, nequaquam nos cælasset,  
maximè cum profiteatur: **NOLO VOS IGNORARE**, &c.

Deinde exitum credentium vocat suauem somnum, nõ penam,  
non cruciatum, non supplicium.

Adhæc dicit, Deum eos, qui obdormierunt per Iesum, adductu-  
rum **CUM ILLO**, non in purgatorium. Et Christus ipse Ioh.  
14. inquit: Iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum, ut vbi  
sum ego, & vos sitis. Vbi ergò est Christus? Num in Purgatorio?  
Hoc auditu horrendum est. Ascendit ad cælos, sed et ad dextram  
Dei. Quo autem medio aut qua via credentes illuc perueniunt?  
Num per cruciatus & tormenta Purgatorij? Absit, sed quemad-  
modum Paulus ait, si crediderimus quòd Iesus mortuus est & re-  
surrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, abducet  
cum illo.

Deniq; in epilogo hortatur Paulus Thessalonicenses, ut sese mu-  
tuo his sermonibus consolentur. Quæ autem esset ista consolatio, si  
anima hominis piè defuncti, quæ pro peccatis suis in hac vita non  
satisfecisset, illic demùm in purgatorio pro peccatis suis satisfacere  
neceffe haberet?

Extant & alia in Epistolis Paulinis testimonia, in quibus de  
statu defunctorum loquens, nusquam Purgatorij meminit, imò eius-  
modi verbis utitur, quæ Purgatorium iuxta se ferre nequeunt.  
Vt 2. Cor. 4. Rom. 8. 1. Cor. 15. &c. Quòd si ijs in locis, vbi ex pro-  
fesso de statu mortuorum scribit, purgatorium ignorat, quomodo  
fieri potest, ut 1. Cor. 3. vbi obiter tantum, in longè diuerso negotio,  
A a a ignis

## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

ignis duntaxat mentionem facit, Papisticum istud Purgatorium stabiliat?

Nunc & Patrum, qui post Apostolorum tempora vsq; ad Gregorium Magnum vixerunt, testimonia de Purgatorio colligemus.

### Cyprianus contra Demetrianum, lib. 1.

Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus penitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur: hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur.

### Hieronymus in Galat. cap. 6.

Tempus semētis, tempus est præsens, & vita quã currimus. In hac licet nobis quod volumus, seminare. Cum ista vita transierit operandi tempus aufertur. Vnde & Saluator Iohan. 9. ait: Operemini dum dies est, veniet nox, quando iam nullus poterit operari.

### Idem super Ecclesiasten, cap. 9.

Donec viuunt homines, possunt fieri iusti, post mortem verò nulla bona operis datur occasio. Viuentes possunt metu mortis bona opera perpetrare, mortui verò nihil valent ad id adijcere, quod semel secum tulere de vita, nec iuste quippè possunt agere, nec peccare, nec virtutes adijcere. Licet quidam huic expositioni contradicant, asserentes etiam post interitum excrefcere nos posse, & decrefcere.

### Idem Hieronimus. Et repetitur 13. quæst. 2. Ca. In præsentī.

In præsentī seculo scimus, siue orationibus, siue consilijs, inuicem nos posse adiuuari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquàm, sed vnumquemq; portare onus suum.

August.

Augustinus de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 26.

Augustinus prolixè disputat de loco Pauli 1. Cor. 3. Saluus fiet quasi per ignem, & interpretatur de tribulatione piorum in hoc mundo, iuxta dictum: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.

Et post. Fieri potest, ut à morte corporis vsq; ad extremum iudicium igne purgentur in venialibus mortui. Alij verò sentiunt, quod qui peccata superædificant, hi siue ibi tantum, siue & hîc & ibi, siue ideò hîc, ut non ibi secularia quamuis à damnatione venialia concremâtem igne transitoria tribulationis inueniât. Non redarguo, **QVIA FORSITAN VERVM EST.**

Porro quod hîc in dubio ponit Augustin<sup>o</sup>, alibi expressis verbis negat, Ad Macedonium epistola 54. Morum porro corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus: nam post hanc quisq; id habebit, quod in hac sibimet conquiserit.

Idem Sermone 66. de Tempore.

In hoc seculo pœnitentiam facientib<sup>o</sup> Dei misericordia subuenit: in futuro autem pœnitentia non proficit: sed rationem nostrorum operum reddituri sumus.

Idem in Enchiridio ad Laurentium. cap. 67.

Creduntur autem à quibusdam etiam ij, qui nomen Christi nō relinquunt, & eius lauacro in ecclesia baptizantur, nec ab ea vltio schismate vel hæresi præciduntur, in quantilibet sceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec elemosynis redimant, sed in eis vsq; ad huius vitæ vltimum diem pertinacissimè perseuerent, salui futuri per ignem: licet pro magnitudine facinorum flagitiorumq; diuturno, non tamen æterno igne puniti. Sed qui hoc credunt, et tamen Catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur.



QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

Idem contra Pelagianos Hypognost. lib. 5.

Primum fides Catholicorum diuina autoritate regnum credit  
esset cœlorū, vnde non baptizatus excipitur. Secundum gehennā,  
vbi omnis apostata, vel à Christi fide alienus supplicia experitur.  
Tertiū penitus ignoramus, imò nec esse in S. scripturis reperimus.

Idem Epistola 80. ad Hefychium.

In quo enim quenq̄ inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum  
comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto  
quisq̄ moritur, talis in die illo iudicabitur.

Ex his testimonijs, pie Lector, vides, quòd quàmuis Augusti-  
nus aliquando senserit esse ignem purgatorium, tamen in disputa-  
tione cum Pelagianis ea opinio tanquàm lignum, fœnum & stipu-  
la inter manus conflagrârit. Itaq̄, referenda est inter ea, quæ in  
libris Retractionum ipsemet recantauit.

Ambrosius in lib. de bono mortis. Cap. 2.

Deniq̄ festinabat etiam sanctus Dauid de hoc loco peregrina-  
tionis exire, dicens: Aduena ego sum apud te in terra, & peregrini-  
nus, sicut omnes Patres mei. Et ideo tanquàm peregrinus ad illā  
sanctorum communem omnium patriam festinabat, petens pro hu-  
ius commorationis inquinamento remitti sibi peccata, prius quàm  
discederet de vita. Qui enim hîc non acceperit remissionem pecca-  
torum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non  
poterit peruenire, quia vita æterna remissio peccatorum est.  
Ideoq̄ dicit: Remitte mihi, vt refrigerer, priusquàm eam & am-  
plius non ero.

Chrystostomus de Lazaro Concione. 2.

Omnia hîc dissolue, vt circa molestiam illud videas tribunal.  
Donec hîc fuerimus, spes habemus præclaras: simul atq̄, verò dis-  
cesserimus illuc, non est postea in nobis sicut pœnitere, neq̄, com-  
missa diluere.

Idem

Idem Chrysoſtomus.

Nec putemus nobis, cum illuc venerimus, misericordiam esse tribuendam: qui non agimus, ut veniam mereamur accipere, et si Abraham pro nobis roget, et si Noë, et si Iob, et si Daniel. Dum igitur est tempus in manibus, plurimam nobis apud Deum fiduciam præparemus.

Idem.

Neg enim, qui in præſenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inuenturus est. In inferno enim, ait, quis confitebitur tibi: & meritò. Hoc enim est tempus cauearum, & confilium, & certaminum: illud verò coronarum, retributionum, & præmiorum.

Theophylactus in Matth. cap. 25. de fatuis virginibus.

Post vitam illam, non est tempus pœnitendi & operandi: proinde Dominus dicit illis: Nescio vos.

Hæc & complura alia, quæ adducere, si opus esset, possem, præstantissimorum Patrum testimonia, ignem purgatorij ita extingunt, ut ante Gregorij Magni tempora, qui primus illum vehementi flatu accendit, vix pauca quædam scintillule emicuerint, quas tamen doctissimi quique scriptis suis extinctas oppresserunt. Pudeat ergò Fabrum, qui se Patrum testimonijs hunc ignem redaccensurum sperat.

Sed dicat aliquis: Vnde ergò Purgatorium, tantopere cum diuinis, & Patrum scriptis pugnans, exortum est? aut quis Diabolorum primus hunc ignem sufflauit & accendit?

Sciat igitur studiosus Lector, semper fuisse ignem aliquem purgatorium, sed non eandem omnium de hoc fuisse sententiam. Itaque ut in inuocatione sanctorum tempora accurratè distinguenda sunt, quemadmodum supra audiimus, ita in controuersia de Pur-

## QVINTA CLASSIS, DE VII. ERRORE

gatorio temporum subducenda est ratio. Ecclesia enim trecentis primis annis post Christi ad caelos ascensionem recte de purgatorio sensit & docuit. Alijs trecentis annis paulatim vera sententia adulterari cepit, nec tamen prorsus corrupta fuit. Post sexcentos autem annos purgatoriu mirabili Metamorphosi transmutatum, & ex hoc presenti seculo, in futurum seculum traslatum est.

De purgatorio primorum trecentorum annorum, scribit Petrus primo cap. prioris epistola. Nunc, inquit, ad breue tempus afflicti in varijs experimentis, si opus sit, quod exploratio fidei vestra multo preciosior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem & gloriam & honorem, tum cum reuelabitur Iesus Christus. Et cap. 4. Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, quae res ad experimentum vestri fit, perinde quasi nouum aliquid vobis obtingat: imò in hoc quod confortes estis afflictionum Christi gaudere, vt in reuelatione quoque gloriae eiusdem gaudeatis exultantes. De eodem purgatorio igni Christus vaticinatur Mar. 9. Omnis homo igne salietur.

Quaquam autem omnes, qui pie vixerunt, inde à primo mundi exordio, in hoc igne multa perpessi sint, qui & durabit, vsq; ad finem mundi, iuxta illud Sapientiae 3. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi hostiam holocausti accepit illos. Et 2. Tim. 3. Omnes qui pie volunt viuerè in Christo Iesu, persecutionem patientur. Tamen ignis ille nunquam vehemètiù arsit, quam primis illis post ascensionem Christi trecentis annis. Aestuauerunt enim & flagrarunt in ecclesia decem crudelissimae persecutiones, quibus ultra decies centena millia hominum absumpta sunt, qui omnes sanguinem suum propter confessionem Christi profuderunt, et salui facti sunt, sed sic tanq; per ignem.

Quotiescunq; igitur Prophetae Psalmi, Apostoli & Patres, de igni & examine ignis loquuntur, intelligunt ignem tribulationis

in hac

in hac terra, non fictitium illum ignem purgatorium sub terra.

Posteaquàm verò ignis ille, diuino beneficio, per Constantinum Magnum piissimum Imperatorem, aliquatùm restinctus erat, & ecclesia pace ac tranquillitate fruebatur. Episcopi paulatim fiebant securiores, et cum lectione Bibhiorum coniungebāt etiam Ethnicorum scripta, & cum primis philosophicā Platonicā, quod apparet cuius legēti opa Origenis, Hieronymi, August. Chrysof. et aliorū.

Iis temporibus vixit Eusebius, qui de præparatione Euangelicæ veritatis lib. 12. cap. 3. testatur, Platonem in Gorgia de Purgatorio quodā scribere. Purgatur, inquit quicumq; curabiliter peccarūt, doloribus, & hīc viuū, & apud inferos mortui. Hæc fuit prima sententia purgatorij, quam Episcopi maturè opprimere et extinguerē debuisset. Verum ipsi (licet aliq; ex ignorantia) hunc igniculū foruerūt, donec eādē in flammā longē lateq; omnia depascētē erupit.

Primum enim persuasum ipsis erat, Platonem suam philosophiam ab Aegyptijs & Hebræis accepisse, ac proinde non omnino à vero alienam esse. Quemadmodum Hieronymus in prologo Galeato, & Eusebius in lib. 11. de demonst. Euang. cap. 20. vbi Platonis librum de anima citat, non obscure fatentur.

Deinde, opinio de Purgatorio rationi humanæ valde plausible erat. Cum .n. Platonici agnoscerent animam hominis esse immortalē, & viderent tamen quotidie animas à corporibus separari, & in aliud seculum migrare, atq; ignorarent resurrectionem corporum, non poterant ex iudicio rationis suæ aliter colligere, quàm quod eadem futura esset defunctorum conditio, in altero illo seculo, quæ in hoc præsentī cernitur: videlicet quæadmodum in hoc mūdo tria sunt hominum genera: alij honesti et inculpabiles: alij pessimi, qui gladio & capitibus supplicij cohercentur: alij mediocres, qui tolerabiliter peccāt, & civilib; pœnis castigantur ad emēdationem: ita putabāt animas hominum bonorū et piorū migrare in cōtuberniū Deorū, malorū verò et improborū animas detrudi in Orcū ad

Plutonem.

## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

Plutonem. Qui autem tolerabiliter vel ( ut ipsi loquebantur ) curabiliter peccassent, eos ut in vita doloribus corporis, ita post mortem doloribus animæ cruciari & purgari. Hinc ille Ethnicorum tam Græcorum quàm Romanorum mos, offerendi anniuersaria sacrificia pro mortuis, de quibus apud Virgilium 6. *Aeneid.* & Ouidium 2. *Fastorum* inuenies.

Tertiò. Quia Ecclesia Christi ex gentibus & Iudæis collecta in unum populum coaluerat, & utriq; peculiare quosdam ritus & vetustas consuetudines secum adferebant, quas non extemplo poterant relinquere & abijcere ( inter quas erat commemoratio defunctorum, & sacrificia pro mortuis, apud Ethnicos usitata ) Episcopi ex bona intentione multa illis concedebant, ac multas etiam adiphoras ( ut ipsi quidem putabant ) ceremonias ad Christianissimum transferebant. Nam & Apostoli, omnibus tam Ethnicis quàm Iudæis facti erant omnia, ut omninò aliquos saluarent. 1. *Cor.* 9. Et Eutychianus Rom. Pontifex, Iudæorum ac Ethnicorum consuetas sacrificia, primitiasq; frugum, in pium & Christianissimum, sua quidem opinione, cultum conuertit, videlicet in Offeritorium Missæ, ut author est Platina,

Cumq; iam antea, Dionysio, Tertulliano & Cypriano testibus, commemoratio defunctorum in actione cœnæ celebrari cõsueuisset, Episcopi tantò facilius Christianis concesserunt, ut anniuersarias commemoraciones & sacrificia pro defunctis facerent: non prospicientes secuturos errores & idolatriam teterrimã: alioquin multò egissent cautius & circumspectius. Veruntamen illis temporibus nunquàm publicè determinatum decretumq; fuit, esse aliquem in futuro seculo ignem purgatorium, usq; ad Gregorij ætatem: sed disputatiuè tantum de Purgatorio incõperunt Patres sententias inter se conferre, & vtro citroq; disserere: Alij Purgatorium esse certò statuebant, contradicebant alij. Alij in medio relinquebant,

bant, suspendentes suam de hac controuersia sententiam. Id quod testimonij supra citatis perspeximus.

Ceterum quod sacrificia pro mortuis ab Ethnicis originē traxisse diximus, id Augustinus suo calculo comprobatur. Sermone 15. de Sanctis. Miror, inquit, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit, ut super tumulos defunctorum cibos & uia conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulas enim & refectioes caro tantum requirit, spiritus autem & anima his non indigent. Parare aliquis suis charis dicit, quod ipse deuorat, quod prestat ventri, imputat pietati. Cessate ergo, fratres, ab hoc gentili infidelitatis errore. Animæ enim sanctæ, quæ in hoc seculo aut per vitæ innocentia pure sunt, aut penitentiæ satisfactione purgantur, à Saluatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendæ sunt, secundum Apostoli dictum: Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Postquam uero Doctores Ecclesiæ incipiebant, neglecto certissimo uerbo Dei, quod clarè docet, duos tantum in altero seculo status esse, beatorum scilicet & damnatorum: & in hac duntaxat uita esse tempus gratiæ, postquam ergo incipiebant, de incerto Purgatorio disputare, satis ampla fenestra Diabolo aperta erat, mox ex incerto certum extruendi purgatorium. Est enim mille artifex, & omnem mouet lapidem, ut aut uerbum Dei clam corrumperat, aut prorsus ex corde eripiat. Sic initio matrem nostram Euam decepit, primò certum mandatum Dei in dubium uocans (ne forte moriamur) postea planè persuadens, non modò non morituros ipsos, uerum etiam Dijs similes futuros. Ita ex dubitatione Augustini & aliorum (forsan uerum est) certissimam fecit affirmationem (certè uerum est.) Nam, ut Faber ipse iactat, quorundam animas defunctorum Missæ sacrificio ex pœnis ereptas esse luculenter affirmat Gregorius Magnus, Dialogorum lib. 4. cap. 39. & 55. Age ergo, quia Fabrum non pudet, aniles fabulas Grego-

Gerin. fol. 151.  
Lann. fol. 225.

QUINTAE CLASSIS, DE VII. ERRORE

rij allegare, nec nos pigeat unam & alteram hūc adscribere, vt omnes vanissimum pigmentum Purgatorij intelligant, & toto pectore abominentur.

Gregorius Magnus Dialog. lib. 4. cap. 38. Paschasius huius Apostolicae sedis Diaconus, mirae sanctitatis vir fuit, eleemosynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum & contemptor sui. Sed hic in ea contentione, quae inardescente zelo fidelium inter Symmachum atq; Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium post vnanimitate superatus, in suam tamen sententia vsq; ad diem sui exitus persistit, illum amando atq; preferendo, quem Episcoporum iudicio praesse sibi ecclesia refutauit. Hic itaq; cum temporibus Symmachi Apostolicae sedis Praefectus esset defunctus, eius dalmaticam se retro superpositam demoniacis tetigit, statimq; sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo, Medici pro salute corporis distauerant, vt in Angulanis thermis lauari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, praedictum Paschasium Diaconum stantem & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid illi catus vir faceret, inquisiuit. Cui ille respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi. Sed queso te, pro me Dominum deprecare. Atq; in hoc cognosces quod ex auditus sis, si hūc rediens non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies redijt, Sed iam dictum Paschasium in loco eodem minimè inuenit. Quia enim non malitia sed ignorantia errore peccauerat, purgari post mortem à peccato potuit.

Idem lib. 4. Dialogorum cap. 53. Felix Episcopus à quodam vica venerabilis Presbytero, qui vsq; ante biennium vixit, & in Diocesi Centumcellensis vrbe habitabat, atq; Ecclesiae Beati Iohannis, quae in loco, qui dicitur Tauriana sita est, praerat: cognouisse se asserit, quod idem Presbyter in eodem loco, in quo aqua ca-

lida

lide vapores nimios faciunt, quoties corporis necessitas exigebat,  
 lauari consueuerat. Vbi dum die quadam fuisset ingressus, inuenit  
 quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui  
 sibi de pedibus calciamenti abstraheret, vestimenta susciperet, &  
 exeuinci de caloribus sabana præberet; atq; omnium ministerium  
 cum magno famulatu perageret. Cumq; hoc sæpius fieret, idem  
 Presbyter die quadam ad balnea iturus intra semetipsum cogi-  
 tans dixit: Viro illi, qui mihi solet tam deuotissime ad lauandum  
 obsequi, ingratus apparere non debeo: sed aliquid necesse est ei  
 pro munere portare. Tunc duas secum oblationū coronas detulit.  
 Qui mox ut peruenit ad locum, hominem inuenit, atq; ex more eius  
 obsequio in omnibus usus est. Lauit itaq; & cum iam vestitus  
 voluisset egredi, hoc quod secum detulerat obsequenti sibi viro pro  
 benedictione obtulit, petens ut benignè susciperet, quod ei gratia  
 charitatis offerret. Cui ille moriens afflictusq; respondit: Mibi ista  
 quare das Pater? Ille panis sanctus est, ego hunc manducare non  
 possum. Ego etenim quem vides, huius loci Dominus aliquando fui,  
 sed pro culpis meis hūc post mortem deputatus sum. Si autem mi-  
 hi prestare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro  
 peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cum  
 huc ad lauandum veneris, & me minimè repereris. In quibus ver-  
 bis disparuit, & is qui homo esse videbatur euanescendo innotuit,  
 quia spiritus fuit. Idem vero Presbyter hebdomada continua se  
 pro eo in lachrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit,  
 & reuersus post ad balneum, eum iam minimè inuenit. Qua  
 ex re, quantum pro se animabus immolatio sacræ oblationis,  
 ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuenti-  
 bus petunt, & signa indicant, quibus per eam absolui videan-  
 tur.

Idem lib. 4. Dialogorū. cap. 54. Neq; hoc silentū puto, quod actū  
 in meo ministerio ante hoc trienniū reminiscor. Quidā namq; Mo-



QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE.

chus Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodē Monasterio constituto sedule obsequi, atq; in astitans aegritudinibus meis excubare consueverat. Hic itaq; languore corporis præuentus ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus seruebat, qui ipse quoq; nunc in hac vrbe per eandem medicinae artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Iustus, cum iam se ad extremum peruenisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultos tres aureos haberet, innocuit. Quod nimirum fratribus non potuit calari, sed subtiliter indagantes, atq; illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt abscondos in medicamine. Quod mox, vt mihi nunciatum est, tantum malum de fratre qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui, quippè quia eiusdem mei Monasterij semper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus cogitare cepi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Precioso igitur eiusdem Monasterij Præposito ad me accersito dixi: Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat, sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus carnalis frater dicat: quia propter aureos quos occultatos habuit, à cunctis fratribus abominatus su, vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet, atq; à peccato quod perpetravit purget. Cum verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus eius proiecite. Ibiq; super eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione, & sic eum terra operite. In quibus verisq; rebus, vnâ morienti, alterâ vero volui prodesse fratribus viuentibus, vt & illi amaritudo mortis à culpa solubilem

solubilem faceret, et istos auaritiæ tanta damnatio terreret, atq; à culpa prohiberet. Quòd ita factum est. Nam cum idem Monachus peruenisset ad mortem, atq; anxie se quereret commendari fratribus, & nullus è fratribus ei applicari & loqui dignaretur, ei carnalis frater, cur ab omnibus fratribus esset abominatus, indicauit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atq; in ipsa sua tristitia è corpore exiuit, qui ita est sepultus vt dixeram. Sed fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati, cœperunt singuli extrema quæq; & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerq; formidare, ne quid apud eos esset vnde reprehendi potuissent. Cum verò post mortem eius iam essent 30. dies euoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, eiusq; cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium, querere. Tunc euocato ad me eodem Precioso Monasterij mei Præposito tristis dixi: Diu est, quòd frater ille qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus igitur ei aliquid charitatis impendere, & eum in quantum possumus, vt eripatur adiuuare. Vade itaq; ab hodierna die diebus triginta continuis, offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscēdit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus atq; dies euolutos non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisiuit dicens: Quid est frater, quomodo es? Cui respondit: Nunc vsq; male fui, sed iam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. Quòd idem Copiosus pergens protinus indicauit fratribus in Monasterio. Fratres verò sollicitè computauerunt dies: & ipse dies extiterat, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cumq; & Copiosus nesciret, quid pro eo fratres agerent, & fratres ignorassent, quid de illo Copiosus vidisset, vno eodemq; tempore, dum

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE.

cognoscit illi quid isti egerant, atq; isti cognoscunt, quid ille viderat, concordante simul visione & sacrificio, res aperte claruit, quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam euasit supplicium. Hæc Gregorius.

Sed cum semel ingressus sim in narrationem cœlestium, si dijs placet, reuelationum de Purgatorio: age proferamus adhuc vñ exemplum, planè Achilleū telum pro defendendo purgatorio: ex sermone 160. Discipuli, inter Romanensis Ecclesie Doctores non infimi. Subuenitur, inquit, animabus cum celebratione Missarum. Et hoc est maximum & principalissimum suffragium animarum. Vnde legitur exemplum in vitis Patrum Ordinis Predicatorum. Quod quidam Pater quondam Prior provincialis in terra sancta, humilis, graciosus & deuotus, semel post martirium erat orans in Ecclesia fratrum. Cumq; eleuasset oculos versus lampadem chori, vidit vmbra quasi vnius fratris stantis in habitu sordido & nigro. Cumq; quæreret ab eo quis esset, respondit: Ego sum frater talis qui nuper obij, & viuens speciali tibi sui dilectione astrictus. Et quærente ab eo fratre, quomodo sibi esset, respondit: Male & durè, quia in durissima pœna debeo esse per quindecim annos. Cumq; ab eo quæreret, quare tam diu & tam durè deberet puniri, qui tam religiosè, deuotè & feruenter vixisset, respondit: Non queras hoc, quia secundum iudicium altissimi, quod acquisitum est, benè promerui tantam pœnam: sed rogo te vt mihi subuenias. Qui hoc pro viribus suis facturum se respondit. Cumq; dies illuxisset, cepit dictus frater pro dicto defuncto offerre Deo hostiam salutarem. Cumq; iam consecratam hostiam post eleuationem in manibus haberet, cepit rogare Deum quasi sub his verbis dicens: Domine Iesu Christe, si Soldanus, qui est Rex Paganorum, teneret vnum captiuum in vinculis, & camerarius eius, qui ei viginti annis seruisset, pro seruitio suo dictum captiuum peteret sibi dari, Soldanus ei de facili non negaret. Domine non esto durior Saraceno-  
rum Soldano. Camerarius tuus sum, & seruiui tibi per multos an-  
nos.

nos. Tenes istum fratrem meum dilectū in vinculis captiuum, pro seruitio meo peto eum mihi dari à clemētia tua. Cum diu ista verba cū lachrymis non tantum semel vel bis, sed pluries dixisset, post multas lachrymas Missam finiuit. Sequenti verò nocte stans in oratione post matutinas, prædictum fratrem vidit stantem ante se in habitu candido & præclaro. Et quæsuit ab eo quis esset, respondit: Ego sum ille frater qui apparui tibi heri. Cumq̄ quæreret quomodo ei esset, respondit: Bene per gratiam Dei. Petisti. n. me à Domino, & dedit me tibi: & iam liberatus à purgatorio vado ad societatem sanctorum, & statim disparuit. Et sic patet, quòd maximum & principalissimum suffragium, quo subuenitur animabus, est celebratio Missarum. Hæc Discipulus.

Esti autem multi dubitent, an hæc verè ita vt narrantur gesta sint (sunt enim mendacijs & nugis non absimilia) tamen ego nullatenus dubito, quin omninò hæc euenerint. Prædixit enim Christus, surrecturos Pseudopphetas, qui daturi sint signa magna & prodigia. Matth. 24. Et Paulus vaticinatur, aduentum Antichristi futurum secundum operationem Sathane, cum omnipotentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ in ijs qui pereunt. 2. Thess. 2.

Hic accedit, quòd non solum Faber iudicat has esse diuinas reuelationes, quibus opinionem suam valide confirmari arbitratur: verum etiam Ioannes Damascenus similiter nugatur in sermone, Quòd qui in fide hinc migrarunt, sacris operationibus & viuorum beneficijs multum inuentur. Idemq̄ faciunt complures alij. Nec dubium est, ante hæc tempora etiam olim Christianis spiritus quosdam apparuisse, ac similia à viuentibus petiisse, vt mox ex Chrysostomo audiemus. Testantur & Ethnici scriptores, vt Cicero lib. 1. Tusculanarū questionū, & Plinius secundus in epistola ad Surā, spectra viuentibus apparuisse, quæ strepitu & tumultuationibus suis, præclaras & frequentes ades, desertas fecerint. Itaq̄ non in dubio

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

dubio pono, an hæc apparitiones acciderint, nec ne: sed hoc quero, & de hoc differo, an Gregorius rectè fecerit, credens hisce spiritibus, & super his reuelationibus nouos cultus extruens atq; instituens. Errasse ipsum toto cælo, & impiè egisse, liberè dico atq; profiteor.

Non refutabo autem nunc singula, quæ in his exemplis reprehensionem merentur, de vita Monastica, de Proprietarijs, hoc est, qui aliquid proprii possident, de inhumanitate Gregorij & Conuentualium suorum, quæ fratrem suum omni consolatione destitutum, mærore & tristitia contabescere suerunt, atq; mortuum cum pecunia sua condemnationi adiudicarunt. Sed duntaxat demonstrabo, quàm putrido & ruinoso fundamento Purgatorium & Missas pro defunctis superimponat.

Nam si Gregorius has apparitiones historica tantùm narratione exponeret, tolerabile aliqua ratione esset. Cum verò generalem regulam diceret, eos qui non ex malitia peccant sed ignorantia labuntur, post mortem à delictis suis purgari posse: affirmetq; hinc patere, quantum profit animabus immolatio sacræ oblationis, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petant, & signa indicent, quibus per eam absolui videantur &c. hoc demùm à verbo Dei absonum & impium est. Expressum enim est mandatum Domini: Non inueniatur in te, qui quærat veritatem à mortuis. Deut. 18. Et Esa. 8. Numquid non populus à Deo suo requiret visionem? Num à mortuis potius quàm à viuis? Ad legem magis & ad testimonium. Et Luc. 16. Habent Moysen ac Prophetas, audiant illos. Si illos non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

En audis voluntatem Dei ab ipso Deo, & verbo eius, quo se nobis patefecit, non à mortuis exquirendam & cognoscendam esse. Etsi enim spiritus sæpenumerò magnos strepitus ciere audiuntur, interdum etiam in humana forma conspiciuntur, fatenturq;

turq̄, se hominum spiritus esse, & ingentes cruciatus in purgatorio perpeti (alioquin Deus nō prohibuisset illos consuli: Bonæ, aiunt, leges ex malis moribus natæ sunt) tamen certissimum est, illos spiritus nō esse animas hominum, sed spectra diabolica & mera sathanæ ludibria. Hominis enim piè in Christo obdormiscentis anima cum Christo viuit in cœlis, nec amplius in his terris obambulat: Eorum verò, qui in incredulitate finem vitæ claudunt, animæ, unà cum sathana catenis tenebrarum vinctæ, inq̄ tartarum præcipitata, in iudicium seruantur. Nonne igitur iustus est, vt populus à Deo suo requirat veritatem iuxta legem & testimonium, quàm à mortuis, hoc est, ab ipso sathana, qui vipotè mendax se animam hominis esse simulat?

Et quid tandem est, quod nos spiritus isti tumultuosi (quos Lemures vocare liceat) docere possint, si maximè essent, vt falso creduntur, hominum animæ? Aut enim nobis idem Euangelion prædicabunt, quod iam antea à Prophetis & Apostolis prædicatum est: tum sanè nihil opus erat mortuis, cum satis multos viuentes habeamus, ex quibus Euangelion audire licet. Aut prædicabunt aliud quoddam Euangelion: tum anathema sint. Nam qui Mosè & Prophetas, hoc est, legitimos ministros Euangelij non audit, neq̄, si quis ex mortuis resurrexerit, credit. Ac si credit mortuis, non veritati, sed mendacio, non Deo, sed Diabolo seductori credit.

Hæ ergò sunt causæ, quare veritatem à mortuis exquirere non debeamus. Primum, quòd dudum omnis veritas, de ijs, quæ ad salutem sunt necessaria, in scripturis dilucidè & perspicuè reuelata est, qua nihil melius certiusuè mortui adferent. Deindè, quòd incerta sunt omnia, quæ à mortuis dicuntur, imò verò sunt pura pura mendacia: cum sathanas & mendax & homicida sit. Itaq̄, non cuius spiritui credamus, vt Ioannes monet, sed probandi sunt spiritus, an ex Deo sint, 1. Ioan. 4.

## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

Porro istos spiritus, de quibus Gregorius in exemplis supra commemoratis scribit, non fuisse animas hominum, nec fuisse bonos spiritus, sed malos & mendaces, ac ipsissimos diabolos, quibus pius ex subscriptis notis & indicijs deprehendet.

Primum. Fingunt & simulant, in altero seculo etiam post hanc vitam esse tempus gratiæ, in quo defuncti pœnitentiam agere queant. Unde homines securi, multo securiores redduntur, ita ut pœnitentiam suam in futurum vsq; seculum differant.

Secundo. Auxilium & liberationem animarum non tribuunt vnico nostro Pontifici Iesu Christo, qui solus pro peccatis totius mundi passione sua satisfecit: sed adscribunt partim pœnis & supplicijs eorum, qui in Purgatorio cruciantur, partim superstitiosis operibus & beneficijs viuentium, quibus mortuos prosequuntur. Quæ omnia caput fidei nostræ, de remissione peccatorum subuertunt.

Tertio. Testamentum Christi, in quo nobis corpus & sanguinem suum legauit edendum & bibendum, transformant in sacrificium propiciatorium etiam pro mortuis, qui nec edere, nec bibere, nec mortem Christi cõmemorare, nec credere, nec gratias agere possunt. Quæ quàm absurda, quàm à Christi institutione & vsu purioris Ecclesiæ aliena sint, nemo est qui non videat.

Quarto. Crudelissimæ iniustissimæq; cædes ex doctrina eiusmodi spirituum secute sunt. Quicumq; enim Purgatorio, Missis pro defunctis, alijsq; doctrinis dæmoniorum contradicunt, instinctu impulsuq; Sathane ab aduersarijs immani odio, calumnijs, persecutionibus, exilijs, tormentis, omnibusq; pœnarum generibus vexantur & affliguntur, sæpè etiam, si tantum hostibus permittat Dominus, morte ignominiosissima acerbissimæq; plectuntur, ut quotidiana experientia testatur. Taceo reliquas superstitiones, quas vnò inuehunt & confirmant, de vita Monastica, de non possidendo proprium, de Peregrinationibus ad sanctorum statuas, de Indulgentijs Romanensibus, de consecratis templis, & alijs prope infinitis

in finitibus traditionibus humanis, verbo diuino repugnantibus, quæ quia non propriè ad tractationem de Missa pertinent, ad id vnde digressi sumus reuertamur.

Quomodo, obsecro, spiritus isti ex Deo sunt, qui tot modis Deum ipsiusq; verbum cõumelijs afficiunt, obscurant, adulterant, peruertunt? Omnis spiritus (inquit Iohannes) qui non conficitur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, sed est spiritus Antichristi. Iohan. 4. Esti autem spiritus isti non aperitis verbis negent, Christum in carnem venisse, tamen factis ipsis pernegant virtutem & efficaciam incarnationis eius. Nam quicumq; docent nostris meritis aut passionibus vel hinc vel illic peccata expiari, & salutem æternam acquiri, (quod sanè spiritus isti docent) idem faciunt quod ij, qui Christum in carnem venisse negant. Siquidem Christus idèò in carnem venit, vt sine nostris operibus, solo sanguine suo, nos saluaret.

Porro quòd cumultuosi isti Spiritus (Germani vocant Rumpelgeister, vel Poltergeister) non sint animæ defunctorum, sed mendaces & maligni spiritus, qui nil nisi mendacium doceant, testatur nobiscum Chrysostomus, qui ducentis annis Gregorium Magnum præcessit, multisq; pijs & doctis lucubrationibus benè de Ecclesia meritus est. Is in 8. cap. Matthæi, Homelia 29. ita scribit: An quia ipsos Dæmoniaco clamare nonnunquam audisti: anima talis ego sum, credes? Verùm hæc oratio à fraude atq; deceptione diabolica est. Non enim anima defuncti est, quæ ista dicit, sed Dæmon, qui hæc, vt audientes decipiat, fingit. Nec enim potest anima à corpore separata in his regionibus errare. Iustorum animæ enim in manu Dei sunt: peccatorum verò post hunc exitum continuò abducuntur, quod à Lazaro & diuite planum efficitur.

Idem de Lazaro & Diuite. Hom. 4. Vt verò & aliunde cognoscas, quòd grauior sit scripturarũ ac Prophetarum doctrina, quàm si



## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

quid à mortuis resuscitati renuncient, illud considera, quod quisquis mortuus est, seruus est: quæ verò scripturæ loquuntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reuiuiscat, etiamsi angelus è caelo descendat, maxime omnium credendum est scripturis. Nam angelorum herus mortuorum pariter ac viuentium Dominus, ipse eas condidit.

Et mox. Ne igitur quæramus hæc audire à mortuis, quæ multò clarius quotidie nos docent sacræ literæ.

En hoc modo Gregorius inquietos istos spiritus probare debuisset iuxta Lydium lapidem scripturæ, & exemplum veterum Doctorum ecclesie. Nunc cum magis dogmata Platonica, exempla Ethnicorum, & imperitæ multitudinis errorem, præsertim verò apparitiones spirituum spectarit, quàm verbum Dei & purioris ecclesie exemplum, necesse fuit tales errores sequi, quibus cum ipse tum alij seducti & decepti sunt,

Sacræ autem scripturæ nō modò docet cauendum esse, ne mortuis credamus: sed clarè etiam ostendit, quare Dominus Diabolo tantum permittat. Etsi enim Sathanas ea est et versutia et potètia, vt prestigijs quibusdam spectrorum possit nobis eludere, quasi animæ defunctorum in terris ambulare: tamen id non semper pro suo libitu et arbitratu potest: aliàs indefinèter omnibus in locis horrenda & terrificæ spectra, pro suo in humanum genus aterbissimo odio, nobis obiecturus esset. Sed Deus tantam pro nobis curâ gerit, vt non liberam, sed certis limitibus circumscriptâ potestatē ei permittat, vt in exemplo Iobis apparet. Et 2. Pet. 2. dicitur. Deus angelis qui peccauerāt nō pepercit, sed catenis noctis in tartarū præcipitatos, tradidit seruos in iudiciū. Ligatus itaq; à domino est Sathā, ita vt spectrū nullū, nisi permittente Domino, queat obijcere. Scripturæ autem causas duas ostendit, propter quas Dominus Sathā interdum hoc permittat.

Prima est, vt tententur probenturq; pij, ac discant fideliter constāterq; verbo domini adherere, nec vlllo prætextu quatumuis specioso

specioso se ab illo dimoueri patiantur. Sic enim Dominus Deut. 13. dicit: Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audias verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timeate, mandata illius custodite, & audite vocem eius, ipsi seruietis, & ipsi adharebitis.

Nec dubium est, quin per ignem huius tentationis Dominus sibi septem millia, hoc est, ingentem numerum reseruarit (Impossibile enim est electos seduci) qui spiritibus istis non crediderunt, sed in puro & simplici verbo Dei perstiterunt, nostris præferim temporibus, quibus Euangelion diuino beneficio rursus in lucem prodijt. Atq; hi sunt vera Ecclesia Catholica, quæ est abscondita, nec potest errare, aut certè non finaliter in errore perseuerat: ut supra de Ecclesia dictum est.

Alterca causa est, ut puniantur increduli. Nam qui verbum & mandatum Domini non curant, nec dilectionem veritatis recipiunt, dignissimi sunt qui omnibus mendacijs & ludibrijs Sathane exagitentur atq; decipiantur. Hanc causam Paulus 2. Thess. 2. ponit: Cuius (Antichristi) aduentus est secundum operationem Sathane, cum omni potentia, & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ in ijs qui pereunt, pro eo, quòd dilectionem veritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam.

Sic Achab merebatur, ut à Prophetis Baal deciperetur, quia Michea pio & vero Prophetæ nolebat credere. Sic enim Sathan ipse ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

phetarum eius 2. Para. 18. Et Ezech. 14. Hæc dicit Dominus : Homo de domo Israël, qui posuerit immundicias in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me : ego Dominus respondebo ei in multitudine immundiciarũ suarum, ut capiat domus Israël in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis idolis suis.

Atq; hi sunt titulo tenus Ecclesia. Veniunt enim ad Prophetas, interrogant & respondent inuicem : sed quia dilectionem veritatis non recipiunt, tam Prophetæ quàm qui eos consulunt, permittente Domino, à Sathana decipiuntur, & cæci cæcos ducentes, tandem vnâ in foueam cadunt.

Ita temporibus Gregorij, Dominus ingratitude mundi efficacibus erroribus puniuit. Orientales propter Arrianã hæresin, Mahomerismo : Occidentales propter Pelagianorum hæreses, tum multuosis istis spiritibus, & sigmento Purgatorij, alijsq; errorib; vexari atq; puniri sunt. Nonne enim crassus & efficax error fuit, quo totus penè orbis dementatus, credidit post hanc vitam esse purgatorij ignem, in quo demùm diuine iustitiæ satisfaciendũ sit, vel per miserarum animarum cruciatus, vel per viuentium subsequenta opera, cum primis per sacrificium Missæ, quæ satisfactio à sacrificiis multo precio redimenda sit ? Vnde rursum liquet, quàm vana puvidaq; sit Fabri iactantia, gloriantis, Romanam Ecclesiam, & omnes Cathedralam Petri ordinaria successione tenentes errare non posse. Nam quid est errare, si hoc non est ?

Hæc iam de Purgatorio dixisse sufficiat. Nam quæ præterea dicenda essent, de impia Papistarum nundinatione, quam per dogmata Purgatorij exercent, & de errore vulgi multò plus impendentis insumentisq; in liberationem animarũ ex ficticio isto igne, quàm in esurientes, sicientes, exules, captiuos, agrotos, (vnde & infinitæ animæ seducuntur, & veri pauperes inhumaniter negliguntur) ea nullius hominis lingua satis effari potest : & tam manifestè patent omnibus, ut deploranda potius quàm refutanda videantur.

DE COMMEMORATIONE  
pię defunctorum in Missa.

Quamquam ex ijs quę hactenus de figmento Purgatorij à nobis dicta sunt, pius lector facile colligere possit, nullū esse in futuro seculo mediū statū, ex quo defunctorū animę liberari queant, ac proinde aut superuacaneum, aut frustraneū esse, quicquid à uiuentib⁹ pro redemptione seu liberatione illorum suscipiatur, cum beatorum animę in cœlis his non indigeant, damnatorum uerò in inferno his non iuuentur: tamen cum Faber nugas super Purgatorium extructas, magis quàm ipsum fundamentū Purgatorij defendat, non possum non ad ineptias ipsius aliquid pro re nata respondere.

Primum Faber de Missis pro defunctis dicturus, hæc uerba tituli seu inscriptionis loco ponit: De Commemoratione omnium in Christo pię defunctorum in Missa. Sed mox propositi sui & institui oblitus, de Oratione pro defunctis, de Missis pro iisdem, de subueniendo animabus defunctorum disputat, perinde ac si eadem essent cum commemoratione defunctorum, quę tamen plurimum discrepant. Etsi enim Christus & Apostoli non instituerint, ut in cœna fiat commemoratio defunctorum, tamen si ritè iuxta morem veterum celebretur, non modò institutioni cœnæ non contraria, uerum etiam utilis atq; laudabilis esse animaduertitur.

Fatemur & nos, priscos illos Patres & Doctores Ecclesię, cōmemorationem defunctorum in cœna fecisse, neq; opus est, ut Faber iam primum nos id doceat: sed eadem forma, & in eundem finem, in quem Canon, fecisse, negamus. Imò contrariū demonstrabo, quòd non minus à se inuicem dissideant, quàm album & nigrum, quàm lux & tenebrę. Quare Titulus quidem: De commemoratione pię defunctorum, per se tolerabilis est: errores autē sub hoc inuolucro latentes, quos vnā Faber obrudit, prorsus sunt intolerabiles.

Principiò

Germ. fol. 129.  
Lat. fol. 215.

QVINTÆ CLASSIS DE VII. ERRORE

Germ. fol. 128  
Lat. fol. 220-

Principiò gloriatur quidem Faber, ab ipsis adeò Apostolis decretum atq; constitutum esse, ut in Missis memoria & preces fiant pro fidelibus defunctis. Cuius ergò Apostoli testimonijs illud comprobatur? Num Petri, Pauli, Iohannis, aut alterius? Minime quidem, sed Chrysostronus ipsi sufficit. Chrysostronus, inquit, testatur Homelia 69. ad populum Antiochenum. Quid audio? Num Chrysostronus est Apostolus? Absit. Sed heus tu, Chrysostronus etiam ignorat quid Apostoli (præter ipsorum scripta) decreuerint, constituerintq;, quàm ipse Faber. Nam quadringentis annis post Apostolos vixit. Probanda est Apostolorum constitutio, proprijs ipsorum scriptis: aliàs semper incerta manet. Itaq; cùm Apostoli omnia, quæ ad salutem sunt necessaria scripta reliquerint, nullum verò apicem de commemoratione defunctorum in cæna scripserint, certè necessaria non est, vel saltem est media seu indifferens.

Germ. fol. 129-  
Latin. fol. 220-

Deindè Faber citat Dionysium, quem discipulum Pauli appellat. Dionysius, inquit, lib. Ecclesiast. Hierarchiæ, cap. 7. ritum eum describit, quo sacerdos pro mortuo sacrificare & deprecari solitus fuerit.

Quia autem Faber Dionysij verba mutilata, non bona fide, per omnes circumstantias recenset, age nos candida integrãq; fide describemus, ex quibus apparebit, commemorationem defunctorum, qualis Dionysij ætate in usu fuit, sacrificio Missæ prorsus aduersari. Atq; utinam illa in usu permansisset, meliorem certè statum Ecclesiæ videremus, quàm nunc aliquot seculis, Romanensium culpa, vidimus. Verba Dionysij cap. 7. hæc sunt.

1. Coacto sancto cœtu venerandus Antistes, eum qui obdormiuit ante sanctum altare inclinans, orationem sacram peragit, gratias agens, venerandamq; diuinitatem laudibus celebrat, qua destructum est iniquum & violentum contra nos omnes imperium, nosq; ad sua iustissima iudicia translati sumus.

2. Deinceps

2. Deinceps ministri diuinis inserta eloquijs verissima de nostra resurrectione promissa recitantes, consentanea tantundem valentia canunt psalmodum cantica. Et mox: Porro diuinarum promissionum cantica & lectiones, explicant quidem beatissimam requiem, ad quam subuehantur sempiternæ, qui sanctè consummati sunt, suscipiunt verò, & amplectuntur vita functum, viuentesq; præterea ad consummationem similem prouocant.

3. Deinde ministrorum primus sanctos iam defunctos concelebrat, cum quibus & nuper vita functū pari laudatione prosequitur, hortaturq; omnes, vt sibi ipsis identidem postulent beatam in Christo consummationem. Ex his enim fortè proficiunt, cernentes eum qui sanctè obiit, ministrorum prædicatione celebrari, vt verè consortem sanctorū omnium. Fortasseq; & ipsi ad simile desiderium venient, ministrorum officium edocti, quàm sit beata & verè felix in Christo consummatio.

4. Postea accedens venerabilis Præsul precem super eo sacratissimam peragit, & post orationem ipse quoq; Pontifex defunctum salutat, & suo deinceps ordine qui adstant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanā admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuatur & regione viuorum, vt in finibus Abrahamæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, & tristitia & gemitus.

5. Postremò super defuncto fundit oleum Pontifex, & oratione pro omnibus facta, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus sanctis.

Hifuerunt ritus totius actionis, quam super defunctis eo tempore peregerunt. Nec aliquid amplius ex toto ecclesiastica Hierarchiæ libro Faber proferre poterit.

Consideremus ergò has sepulturae ceremonias, & conferamus cum Missis Fabri pro defunctis. Vnde patebit quanta sit inter illa duo diuersitas, imò & contrarietas.

## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

Primum enim Faber neq; hic, ubi de sepultura agit, neq; superius cap. 3. ubi ordinem cœnæ describit, ullam mentionem facit Purgatorij, Missarum, aliorumv̄e suffragiorum pro mortuis. Quæ sanè non silentio præterisset, si tum temporis ecclesiæ nota fuissent.

Secundò. Et si Dionysij ætate facta fuit commemoratio defunctorum: tamen longe alia ratione aliòq; sine facta fuit, quàm in Papiſtico Canone fieri solet. Tunc enim commemoratio defunctorum fuit publica cõcio ex sacris literis, de miseria huius vitæ in hac lachrymarum valle, de morte, de resurrectione, adiunctis Psalmorum canticis huic materiæ congruentibus. Deinde vita defuncti, virtutesq; eius recitatae ac commõdatæ sunt: actaq; Deo gratiæ, quod per fidem superatis omnibus malis, victaq; demùm ipsa morte, pie in Christo obdormisset. Vnde viuentes ad imitationem, & desiderium beatæ in Christo consummationis ac futuræ gloriæ accensi sunt.

Postremò Antistes super funere orationem seu sacratam preceperunt, deinde mortuum salutauit, hoc est, valedixit ei, commendans ipsum misericordiæ Domini: & corpus tandem fragranti oleo (quod & Iudeis solenne fuit) perfusum, terræ mandari curauit. Quæ omnia ex verbis Dionysij liquidò cognoscuntur.

## DE ORATIONE PRO defunctis.

Miretur aliquis, quare apud Dionysium Sacerdos pro defunctis oret, cum vnusquisq; statim post mortem dignum vitæ suæ iudicium accipiat. Ne quis igitur hoc in peruersum sensum rapiat, Dionysius ipse cum copiosè tum eleganter sententiam suam explicat. Summa hæc est: Cum Deus bonis præmia promiserit, malis verò pœnas & damnationem minatus sit: ad quam vel saluationis vel condemnationis sententiam pronuntiandam ministris ecclesiæ clauis à domino commissæ sint: ideò præsulem orationem dicere super defuncto, non quòd ista oratio (sicut Papiſtæ sentiunt) sit

fit compensatio & satisfactio pro peccatis & pœnis defuncti, sed ut tanquam interpres iudiciorum diuinorum, & quasi Cancellarius Dei, iudicium Dei de defuncto pronunciet & promulget, & iuxta dictum Christi Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. defunctum propter pietatem suam à pœna absoluat, & mittat in sinum Abrahæ, in quietem, pacem & salutem sempiternam. Itaq; hæc oratio Sacerdotis fuit quasi sententia absolutoria, qua testatus est, Dominum promissam beatitudinem credentibus verè præstare. Vnde & oratio illa non pro quouis defuncto, sed pro piè in Christo defunctis fieri consuevit: vocaturq; separatio, eo quod fideles in cælum, infideles in infernum, magno separati interuallo, mittantur.

Ceterum quod reliqui Christiani, qui funus comitati fuerant, post sacerdotem ordine singuli defunctum salutarunt, hoc est, extremum valedixerunt, ex ardenti charitate factum est. Et si coniuncti fuerunt gemitus quidam, vota & preces pro mortuis, non putarunt tamen hac ratione defuncto plenior remissionem peccatorum aut tolerabiliorem damnationem impetrari posse (etenim iam antea Deo pro ipsis gratias egerant, quod in beatam quietem æternæ beatitudinis ipsos suscepisset) sed voluerunt ex charitate illos sua oratione quasi in cælum deducere. Sicut frequenter mortuis, de quorum tamen salute minimè dubitamus, si quando mentio illorum incidit, precari solemus, ut feliciter ad vitam æternam resurgant.

Sic & veteres Patres interdum in funebribus concionibus, pro defunctis Deo gratias agunt, ac pro ijs orant. Ambrosius lib. 2. Epist. ad Faustinum, quem super obitu germanæ acerbo dolore mœrentè consolatur. Hæc inquit, ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigit. Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius domino commendandam arbitror.



QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE.

Idem in oratione funebri super morte Theodosij Imperatoris. Absolutus igitur dubio certamine, fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro ijs, quæ in hoc gessit corpore, munerationis diuinæ fructibus gratulatur.

Et tamen postea hæc verba subiicit: Sed tu solus Domine innocandus es, et rogandus, ut eum in filijs representes. Tu Domine custodiens etiam paruulos, in hac humilitate saluos facito sperantes in te. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiæ, quam præparasti sanctis tuis. Illò conuertatur anima eius vnde descendit, vbi mortis aculeum sentire non possit, vbi cognoscat mortem hanc non hominis finem esse, sed culpæ.

Et mox: Dilexi virum, & ideo prosequor eum vsq; ad regionem viuorum: nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quò sua merita vocant in montem Domini sanctum, vbi perennis vitæ est.

Audis Ambrosium perinde loquentem, ac si nunc primum suo fletu suisq; precibus Theodosium in requiem & vitam æternam inducere vellet, cum tamen paulò antè dixerit: Fruitur nunc luce perpetua, & tranquillitate diuturna &c. Vnde liquet, Ambrosium pro æterna salute Theodosij orantem, nõ dubitasse, imò verò totam ecclesiam consolatum esse, quòd in æternam beatitudinem receptus sit. Quomodo igitur Faber Papisticam commemorationem defunctorum, vt die primo, septimo, trigesimo & anniuersario celebratur, ex oratione Ambrosij de obitu Theodosij probare poterit?

Similia testimonia reperiuntur in orationibus funebribus & Epitaphijs Basilij, Nazianzeni & Hieronymi, quòd memoriam defunctorum non iudicarint esse cultum Dei & adiumentum defunctorum, sed laudem quandam & commendationem ipsorum, ac doctrinam & consolationem viuentium.

Quid autem Faber & Canon de memoria defunctorum sentiunt? Initio, Sacrificulus nullam publicam facit commemorationem aut orationem

orationem laudatoriam de mortuis, nec habet concionem vel correctoriã vel consolatoriam ad astantes: sed secretò tantum recordatur defunctorum. Neq; gratias agit pro salute illorum, nec orationibus suis prosequitur deducitq; illos ad vitam aternam, sed presumit tanquam mediator reconciliare ipsos cum Deo, & ex penis diuinis eripere. Hæc enim sunt verba Canonis: Memento Domine famulorum famularumq; tuarum (hic sacerdos nomina defunctorum N. & N. secum misit at) qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis: ipsis & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Hanc precatorem Faber amplificat, & quantum potest, exornat, duabus Collectis, tum pro viro, tum pro femina defuncta: ne forsã Sacrificulus marem pro femina, aut vice versa feminam pro mare ex igni purgatorio liberet: cum tamen in Christo Iesu neq; mas neq; femina sit: præsertim in altera illa vita, in qua erunt sicut Angeli Dei.

Ger fol. 125.  
Lat fol. 216.

Quæso autem te, quàm ridicula est ista precatio? Orat Sacerdos, vt Dominus locum refrigerij, lucis, & pacis indulgeat ijs, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Sed heus tu, si in fide decesserunt, si in pace dormiunt, si in Christo quiescunt, cur oras stulte, vt ipsis detur id, quod iam dudũ habent? Aut, num certò scis, eos pro quibus oras, omnes in signo fidei nos præcessisse? Si incertus sis, oratio ex fide nõ erit, sed ex dubitatione, proinde Deo placere non poterit. Atqui non mirum est sacrificulos pro piè in Christo defunctis orare, cum pro Christo ipso in Canone Missæ deprecantur: vt supra audiuimus. Nos verò cum Christo dicimus istis: Vos nescitis quid adoretis. Iohannis. 4.

Hic autem vociferatur Faber: Non possunt, inquit, Misolitur- gi testatum efficere, non recte agere Sacerdotem, dum in Missa pro defunctis omnibus precatur, &c. Sed quid hac vociferatione opus erat, cum orationem pro defunctis suo in precio relinquamus, rejici-

Ger fol. 126.  
Lat fol. 216.

## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

entes tantum idolatricum finem, in quem preces dirigunt. Verba orationis pro defunctis quæ Canonis inserta sunt, ferè eadem sunt cõ verbis Dionysij, Ambrosij & Chrysostomi. Sed finis longè diuersus est. Patres enim orarunt pro defunctis, loco absolutionis & gratiarum actionis, & in consolationem exhortationemq; fidelium adhuc superstitum. Missarij verò orant pro ipsis tanquam Mediatores, vt sua intercessione ex Purgatorio liberentur. Sic enim sub Offertorio, conuersa facie erga populũ, exhortari sunt spectatores Missæ pro miseris animabus: Oremus dilectissimi Dominum Deũ pro fidelibus defunctis, quorum depositionem, vel septimum, tricesimum, aut anniuersarium diem, hodie commemoramus, vt omnipotens Deus respiciat nostras intercessiones, & bona opera, & liberet eos ex ergastulo Purgatorij. Et Faber ipse docet orandum Deum, vt fidelium animabus in illo futuro seculo pænis adhuc quibusdã obnoxijis, propitium ac misericordem se præbeat, hoc est, pænas clementer remittat. Hoc, hoc nos tanquam sacris literis & vetustiarum ecclesiarum mori repugnans explodimus atq; damnamus: vt Ger. fol. 126. Lat. fol. 216. supra in fine tertij erroris Canonis prolixius dictum fuit. Et impudens mendacium est, quòd sancta Christi Ecclesia plus mille quingentis annis pro defunctis orauerit, hac quidem sententia, & hoc sine, quo Pontificij hodieq; pro illis orant.

## ANIMABVS DEFVNCTORUM subueniri non posse, subsequenti- bus operibus viuentium.

Ger. fol. 129. Lat. fol. 223. Triplicia potissimum opera Faber recenset, quibus defuncti adiuuari ac subleuari queant: preces, eleemosynas, et sacrificia. De precibus modo dictum est. de sacrificijs postea dicitur: nunc de Eleemosynis aliquid agamus. Non autem Fabro & Pontificijs ideo cura est Eleemosyna, vt pauperibus, ægrotis, viduis, pupillis & adue-

aduenis subueniatur: Sed hoc curant, ut Præsentia, Præbenda, Exequiæ, septimus, tricesimus, anniuersaria, tota deniq; Missarū exequialium nundinatio frequentior sit & locupletior. Sic enim Faber inquit: Rem Christiana pietate dignam faciunt, qui ex amore & commiseratione apud Sacramenti administratos (Missarios) id efficiunt, ut pro amicis ipsorum vel septimus, vel anniuersarius dies, aut eius modi quippiam agatur, præsertim cum id eorum necessitas (in purgatorio) & fraterna charitas flagitet. Et alibi Sacerdotibus hoc precium, tanquam stipendium sustentationis suæ, iure deberi asserit, iuxta dictum Christi: Dignus est operarius mercede sua: et illud Pauli: Si nos vobis spiritualia seminauimus, num magnum est, si vestra carnalia metamus?

Germ. fol. 132.

Lat. fol. 228.

Quaquam autem prima facie appareat, Fabrum paulò urbanis & tolerabilius loqui de bonis operibus, quæ fiunt pro mortuis, quam veteres Sophistas (vocat. n. tantummodo adiumentum et subuentionem, non satisfactionem) tamen alibi seipsum prodit, & non minus quam ceteri iudicet, ea esse satisfactionem & expiationem pro peccatis. Testantur, inquit, scripta diuina, per misericordiam & Eleemosynas, impetrari peccatorum veniam. Quia item contendit, Ecclesiam Romanam cum suis Prælati & Doctoribus errare non posse: hi autem docent Eleemosynis misellas animas non modo redimi, sed etiam sensibilibus refici & cibari: non dubium est quin Faber idē sentiat, ut cunq; fucatis & subtilib; uerbis utatur.

Germ. fol. 48.

Lat. fol. 81.

Iacobus de Voragine in Lombardica Historia, de commemoratione animarum, ostensurus Eleemosynas pro defunctis, qui in vita mediocriter boni fuerint, oblatas, esse in expiationem eorum (sic enim loquitur) hanc fabulam recitat: Quidam cum in quadã rupe argentum foderent, subito rupes cecidit, & funditus cunctos extinxit. Vnus autem eorum subtus in quodam sinu ipsius rupis mortem euasit, inde tamē exire non valuit. Vxor autē illius eum defunctū existimans, omni die, p ipso Missam celebrari faciebat, et panem

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

panem unum & uceum vini cum candela quotidie offerebat. Cui Diabolus inuidens, per tres dies continuos eidem in forma humana apparuit, & quod tenderet requisivit. Cui cum illa sui itineris causam exponeret, ille aiebat: Noli frustra vexari, quia iam Missa celebrata est: & sic illa tribus diebus Missam intermisit, nec ipsam celebrari fecit. Quidam autem post hoc in prædicta rupe argentum fodiens, quandam vocem audiuit de subius dicentem: Planè percutias, quia capiti meo imminet magnus lapis. Cum autem ille tremere, & ad hanc vocem audiendam plurimos conuocasset, iterum fodit, & similem vocem audiuit. Tunc omnes propius accedentes dixerunt: Quis enim es tu? Qui respondens dixit: Planè faciatis, quia magnus lapis quasi super me cadit. Qui à latere fodientes, & ad eum usq; peruenientes, eum sanum & incolumem extraxerunt. Et sciscitantes quomodo ibi tam diu vixisset, dixit, quòd qualibet die panis unus, & uceus vini, & candela accensa, nisi tantum tribus diebus, sibi oblati fuit. Quod uxor eius audiens & uehementer exultans, agnouit quòd de oblatione sua fuerit sustentatus, & quòd Diabolus eam deceperit, ne illis tribus diebus Missam cantari fecerit,

Hac fabella Monachi & Sacrificuli toti ferè orbi imposuerunt, quemadmodum Sacerdotes Belis Regi Babylonio. Tam enim non curarunt esurientes & sitientes animas, quam non curarunt uiuentes pauperes, sed suo tantum ventri & abdomini prospexerunt. Quotidianæ enim oblationes culinam ipsorum & concubinarum miracè fouerunt & auxerunt.

Non refutabo scripturis errorem palpabilem, quem ipsa potest ratio & communis sensus refutare. Dan. 14. Sed, quod caput est ostendam, fictitiã istam siue subuentione, siue satisfactionem pro defunctis, aduersari articulo fidei nostræ de remissione peccatorum, & officio Domini nostri Iesu Christi.

Constat enim peccatorum coram Deo iustificari, non meritis suorum

rum operum & passionum, sed ex mera gratia, per fidem in Christum, Rom. 3. 4. Ephe. 2. Nam si iustitia ex Lege esset, Christus frustra esset mortuus Gal. 2.

Ac etiamsi homo pro seipso aliquid mereri posset ( ut solet scriptura fidelibus mercedem promittere ) tamen certum est, eum non habere superflua merita pro alijs. Vi docet Christus in parabola de decem virginibus, Matthæi 25. Et 1. Pet. 4, Iustus vix saluabitur.

Et ut maxime possibile esset ( quod tamē nequaquam est ) aliquem mereri salutem, pro viuentibus, qui adhuc sunt in statu gratiæ: tamen hinc non sequitur, mortuis etiam promereri posse.

Aut si mortuis aliquid subuenire potest, cur non potius subueniet ipsis meritum Christi, quàm opinata ista bona opera hominum, quæ partim coram Deo imperfecta sunt, dicente Christo: Si feceritis omnia, quæ debetis, dicite: serui inutiles sumus. Luca. 17. Partim sunt vana & frustranea, eò quòd ab hominibus inuenta excogitataq; sunt. Matth. 15.

Excipit Faber: non ea ratione, inquit, mortuis subuenimus, quasi in illo futuro seculo quicquàm possint mereri: simul enim atq; anima excessit è corpore, vnà merendi status finem habet: sed, ut anima ex pœnis futuri seculi liberentur. Vult autē hoc dicere cū scholasticis: In peccato spectari duo, culpam & pœnam: culpam remitti per absolutionem Sacerdotis. pro pœna autem satisfaciendum per soluendumq; esse aut proprijs aut alienis operibus, aut hîc in terris, aut illîc in Purgatorio.

Cum verò supra in Classe de Apostolis, friuolam istam distinctionem de culpa & pena peccatorum satis refutauerim, nunc pluribus supersedeo, progressurus ad tertium opus, quo defunctis subueniendum esse Faber docet.

Missæ sacrificio singulariter animabus in Purgatorio succurrendum esse, Faber quinq; Sophisticis & fallacibus argumentis probare contendit.

Ecc Quòd

Ger. fol. 131.  
Lat. fol. 126.

## QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

1. Quòd Christus mortuus sit pro peccatis viuorum et mortuorū.
2. Quòd Iudas Machabeus duodecim millia drachmarum argēti pro occisis obtulerit.
3. Quòd defuncti adhuc membra sint spiritalis corporis, ac proximè de charitatis communionē nobis coniuncti atq; deuincti.
4. Quòd defunctorum quorundam animæ apparuerint, affirmauerintq; se Missæ sacrificio ex pœnis creptas esse.
5. Quòd prius Patres inde ab Apostolorum temporibus Missas celebrarint pro defunctis.

Ex his omnibus concludit, Sacrificium Missæ animabus esse solatio & auxilio, in futuro illo seculo.

Vt de primo argumento primū dicamus, Faber maliciosa quadam Sophistica vitur, & obscuris verbis ita balburit, vt difficile sit sensum ipsius assequi. Hoc tamen velle ipsum arbitror.

Eadem est virtus & efficacia sacrificij Missæ, quæ fuit hostiæ in cruce litatæ.

Hostia autem crucis operatur remissionem peccatorū, tam viuorum quàm mortuorum.

Ergo idem operatur sacrificium Missæ.

Maiorem huius syllogismi Faber hoc loco paucis & obscuris verbis ponit. Alibi autē prolixè disputat, etsi inter Crucis & Missæ sacrificium aliquibus in rebus dissimilitudo sit, tamen vnā & eandem esse vtriusq; vim & efficaciam, eò quòd idem corpus Christi in Missa adsit ac Deo patri offeratur, quod in cruce oblatū fuit.

Quia verò suprā in fine primi erroris Canonis, de differentijs & proprietatib; cruenti & incruenti sacrificij, copiosè differui, lectorem illuc remitto, & Maiorem Syllogismi Fabrilis sic refutatum volo.

Minorem Syllogismi sui, quòd videlicet Christus pro peccatis viuorum & defunctorum mortuus sit, multis verbis Faber confirmat ex scriptis Pauli & Iohannis, & ex Prophetia Zachariæ.

Quis

Quis autem est q̄ illud neget? Quantum enim ad ipsam per se Christi passionē attinet, efficac̄ sanē est ad expiāda totius mūdi peccata, si modō eam vera fide omnes recipiant. Nam dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, vultq̄ omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem vritatis venire, 1. Tim. 2. Quantū vero vtilitatem & efficaciam passionis spectat, certum est & hoc, quod mortuus sit non tantum pro ijs credentibus, qui his temporibus in presenti seculo viuunt, verū etiam pro illis, qui iam olim in fide promissi Messie, aut post reuelatū Euangelion in fide exhibiti Messie obdormierūt. Hoc sensu non malē dicitur: Christū pro viuīs & mortuis passum esse. Imō pro illis etiā, qui nondū nati sunt.

Sin autem Faber efficaciam cruenti Sacrificij eō detorquet, quod aliquibus applicetur & subueniat, non in his terris, sed post mortē demum ipsorum in futuro seculo, perperam sentit. Et ineptē citat Zacharie vaticinium cap. 9. Tu quoq̄ in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Nisi enim Patriarchæ ante mortem Christi defuncti, iam tum cum adhuc in terris viuerent, morte Christi redempti fuissent (agnus enim occisus est ab origine mundi, Apoc. 13.) nisi item hanc redemptionem vera fide in venturum semen mulieris & Abrahæ, sibi ipsis applicuissent (Abraham enim filijq̄ eius viderunt diem Christi, & gauisi sunt) certē post mortem suam tam non redempti fuissent per victimā Christi ex Limbo, quā non redempti sunt ceteri increduli. Tempus enim dispensandi & applicandi sacrificium crucis est in hac presenti vita, non in futura. Id quod suprà de Purgatorio audiuius.

Sed esto sanē, quod efficacia passionis Christi in futuro seculo demum mortuis applicari possit, vt Faber opinatur, cur nō potius sacrificio crucis, quā sacrificio Missæ hanc efficaciam tribuit? Cum fateatur ipse ex cap. 9. Hebr. Christū æternam redemptionē morte sua inuenisse. Aut num efficacius est Missæ q̄ Crucis sacrificium?



QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE.

Certe sequetur tandem, Deum unico sacrificio Christi pro mortuis non reconciliatum esse, si adhuc quotidianum Missæ sacrificium necessarium est? Atq; hoc pacto, propiciatio pro peccatis mortuorum non erit sacrificium Christi in cruce, sed sacrificium Christi in Missa. Ac proinde non Christus, sed Missarius erit propiciator & reconciliator mortuorum. Quid autem horribilius, quid in passionem Christi contumeliosius dici aut cogitari potest?

Ex falsis igitur præmissis falsam infert Faber conclusionem. Si. n. dispensatio sacrificij à Christo ipso, filio Dei, in cruce per actum, non exceditur in futurum seculum, quomodo per Missam, quæ purum putum figmentum humanum est, mortuis meritum Christi applicabitur?

Ger fol. 132.  
Lat fol. 228. Secundum Fabri argumentum, ex 2. Machabæorum 12. cap. extractum est. Iudas Machabæus duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolymam, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum, quibus bello ceciderat. Si ergo, inquit Faber, profuit illis oblatum pro eis argentum, non multo magis vsui, consolationi, ac salutis fidelibus defunctis erit pretium huius mundi, nempe corpus & sanguis Christi, quibus totum ille mercatus est & redemit mundum, quæ pro illis in Missa offeruntur?

Ger fol. 127.  
Lat fol. 219.

Respondeo. Primum, quid de auctoritate librorum istorum sentientium sit, cum non sint Canonici. Suprà de invocatione Sanctorum dictum est. Itaq; liceret nobis totum argumentum Fabri unius digituli crepitu explodere. Sed age, concedamus veram esse historiam, & paullisper de ea cum Fabro disseramus, an Missæ pro defunctis hinc evinci possint.

Secundo. Author illius libri, quicumq; tandem fuerit, narrat nudum factum Iudæ Machabæi, forsitan ex bona (ut loquuntur) intentione susceptum, aut ex prava quadam consuetudine, quales multe ijs temporibus apud Iudæos irrepserunt. Certissimum. n. est, Moysen Iudæorum Legislatorem, cum in describendis minutissimis quibusq; ritibus (qui interdum nobis ridiculi videntur) exactissima diligentia versetur, ne unum quidem verbum precepisse de sacrifican-

do pro mortuis nec promississe, quòd ita sacrificia mortuis vsui sint, peccata illorum expient.

At hæc, in probatis & Canonicis libris veteris Testamèti (qui oēs multo vetustiores sunt Machabæorū historia) cum tot funera, clades & strages ingentes populi Dei recenseantur, nullū tamen vsq̄ inuenitur exemplū, quòd defunctis subuentum fuerit subsequentiū operibus. Quare cum Machabæus orationem suam sine verbo Dei & exemplo sacrarum scripturarum, fecerit, incertum est an rectè fecerit, & an Deo ista oblatio placuerit. Nec moramur, quòd liber Machabæorum factum illud commendet, tanquam sanctum & salutare, cum & Razæ facinus vituperio dignissimum approbet.

Præterea, neq̄ Machabæus ipse, neq̄ author libri, ex hoc exemplo præceptū facit, quasi omnib. idem imitandū sit: sed nudā duntaxat historiam recenset, & laudat Iudam, quòd de resurrectione mortuorū, quæ tū non minus quàm hodie contemnebatur, benè et præclare senserit. Et vt maximè Iudas & Historiographus præceptū inde condidissent: tamen esset solummodò humana lex, nec noui sed veteris Testamèti. Etsi .n. Iudas eximius Heros fuerit, non tamè Prophetæ fuit. Itaq̄ vt præceptum Abrahæ datum de immolando filio, nos nõ obligat, nisi specialiter idē nobis à Deo iniungatur. Sic nullo minus exemplum Iudæ, verbo & mandato carens, nos ad imitationē obstringit. Legibus .n. non exemplis iudicandū est. Imò, etiam si Machabæus suo tempore in veteri Testamento iuxta præceptum Domini pro mortuis sacrificasset, non tamen nobis Christianis in nouo Testamento idem faciendum est, nisi ex Christianis Iudæi fieri, & à Christianismo ad Iudaismum relabi uelimus.

Vehementer alibi pugnat Faber, Missam non esse sacrificium iuxta Leviticum sacerdotium, sed iuxta ordinem Melchisedech, ut suprâ in classe Prophetarum audiuimus. Nunc verò conatur nos capriuos trahere sub seruile iugum legis, dum contendit nobis sacrificandum esse pro mortuis, iuxta ordinem Machabæi. Sed heu tu, cæna dominica est Sacramentum noui Testamenti, non vete-

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

ris. Verum igitur usum eius non ex veteri, sed ex nouo Testamento exquirere & inuestigare conuenit.

Tertio. Nulla est similitudo & conuenientia inter oblationem Machabei, & sacrificium Missæ: cum illic argentum, hic corpus & sanguis Christi offerantur. Nec est necessaria consequentia: Animabus profuit oblatum argentum Machabei: Multo magis igitur proderit ipsis sacrificium corporis & sanguinis Christi. Nondum enim probauit, nec probare poterit, argentum istud animabus defunctorum profuisse. Sacerdotibus quidem profuit, qui acceperunt: non autem animabus. Ac etiam si probet, argentum Machabei profuisse occisis, tamen hinc nihil aliud euincet, quam pecuniam in Missa pro mortuis oblatam prodesse defunctis. Si enim pro argento corpus et sanguinem Christi supponat, iam syllogismus quatuor terminis constans claudicabit. Aliud enim est oblatio argenti, aliud oblatio corporis & sanguinis Christi. Aaron profecto & populus in deserto, & Ierobeam primus Rex Israël, cum vitulos aureos erigerent, simili argumentationis forma decipiebantur. Sic enim ratiocinabatur: Si placet Deo in sacrificijs, vitulus producens cornua & ungulas, quanto magis placebit vitulus aureus in honorem & cultum eius institutus? Exod. 32. & 1. Reg. 12. Nec dissimilis erat Saulis ratiocinatio: Si placuit Deo Abrahami à cæde quinque Regum reuertentis oblatio decimarum ex omni genere præde, placebit etiam oblatio ex spolijs Amalechitarum. 1. Sam. 15. Quid autem ad hæc Prophetæ? Non facies inquit, quod tibi bonum videtur. Et: Melior est obedientia, quam victima.

Sed hæc, prob dolor, est illa Romanensium Helena. Hæc duodecim drachmarum millia ita fulget & corruscat in oculis omnium Missariorum, ut his non aliter quam solaribus radijs excæcentur: malintque Missas pro defunctis quæ iure quæ in iniuria retinere, quam duodecim drachmarum millia, hoc est, nummos, qui in Missa offerri solent, amittere. Sed de his plura inferius, cum de Simonia Argu-

Argumentū tertium pro defendendis Missis Exequialibus, deducit Faber ex conditionibus spiritualis corporis Christi, & charitatis mutue, qua eiusdem corporis membra, tum viua tum mortua, sibi inuicem deuincta sunt. Fideles, inquit, omnes, tam viui quam defuncti vnum corpus sunt, cuius corporis caput Christus est. Neque Spiritus atque charitatis illud vinculum, quo inter se fideles in hoc spiritali corpore, et in Christo Iesu totius mystici corporis huius capite connectuntur, vel ipsa morte dissolui credendum. Quare sicut nos in terris Sanctos in cœlis pro intercessione & auxilio inuocamus, & orant pro nobis ex charitate: ita defunctorū anima nos tãquàm confratres inuocant: Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei. Itaque nos vicissim ex charitate pro ipsis precamur, eosque per sacrificiū Missæ immerita mortis Christi participes reddimus.

Ger. fol. 116.  
Lat. fol. 117.

Remitto lectorem ad ea, quæ suprâ in sexto errore Canonis de inuocatione Sanctorū disserui, quousque officium charitatis cum inter viuos tum inter defunctos extendatur. Si enim Beati in cœlis propter charitatem suam, qua nos prosequuntur, nequeunt nostri apud Deum intercessores & aduocari esse, multo minus nos miserī peccatores in his terris propter charitatem nostram erga defunctos possumus esse mediatores & intercessores coram Deo pro ijs, qui in Purgatorio esse putantur, nec eos per Missæ sacrificium immerita mortis Christi participes reddere. Nam officium mediatoris inter Deum & homines soli Christo conuenit: & applicatio meriti eius constat nostra fide, dum adhuc in his terris sub tempore gratiæ viuimus.

Quæ quarto loco de apparitionibus Spirituum Faber in medium profert, suprâ cum de Purgatorio diximus, prolixè refutauimus: ad quæ Lectorem relegamus.

Ger. fol. 131.  
Lat. fol. 125.

Quinto et postremo, Faber pro defensione Missarum Exequialium, texit longum catalogum Patrū, quos oēs testari affirmat, corpus & sanguinē Christi pro mortuis offerendum, & Exequias peragendas.

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE

das esse. Respondeo: Fatemur Patres cœnā celebrasse, non tantum  
super funeribus piè defunctorū, sed etiam super sepulchris Marty-  
rum, qui propter nomē Iesu Christi sanguinem suum profuderunt.  
Sæpe & commemorationem eorum reperierunt, ut septimo, tricesi-  
mo, quadagesimo, & anniuersario die. Qua autem sententia, quò-  
ue sine id fecerint, aliquoties ostendimus, ut Centuria. 3. in consti-  
tutione Fœlices Papa. Centuria. 6. de Inuocatione sanctorū, & de  
Commemoratione defunctorū. Quos locos studiosus Lector consulat.

Non possum tamen omitere, quin candido lectori exponam, qua  
fraude & dolo Faber testimonia Patrum de Missis ex equalibus  
adducat. Abbas Spanhaimensis, de Ecclesiasticis scriptoribus, tra-  
dit duos fuisse Monachos, quorum uterq; Ioannes Damascenus vo-  
catus fuerit. Prior vixit sub Imp. Theodosio secundo. Anno Domi-  
ni 450. hoc est, 150. annis ante Gregorium Magnum. Posterior  
sub Imp. Leone tercio, anno Domini 730. hoc est, 130. annis post  
Gregorium Magnū. Quicquid ergò in operibus Damasceni inue-  
nitur, de subueniendo animabus defunctorū, id posteriori huic Da-  
masceno adscribendū est, præsertim cum alleget Gregorium, qui  
precibus & sacrificijs suis Imp. Traianum ex inferno liberauerit.

Faber autem ut testimonio Damasceni maiorem auctoritatem  
conciat, adscribit priori Damasceno, quem ait vixisse anno Do-  
mini 390. Nec dubium est, quin alia multa vetustis Patribus  
tribuat, quæ à recentioribus conficta, & sub nomine vetustiorum  
Patrum ad stabiliendos multos errores obruta sunt.

Deinde Faber in allegatione Patrum magis spectat numerum  
testiū, quàm ipsam veritatem. Citat enim de subueniendo anima-  
bus defunctorū, Patres quatuordecim, non minus quàm trigentes.  
Et ubicunq; tantum commemorationis, orationis, adiumentū, pro de-  
functis, mentionē faciunt, statim cōfidenter insert, Missas exequia-  
les pro defunctis peragendas esse. Sed meminisse debebat regula il-  
lius Dialecticæ: Non sit plus in conclusione, quàm fuit in præmissis.  
Et

Et quanquam nonnulli ex Patribus fateantur, pro defunctis etiam sacrificium altaris offerendum esse, tamen nequaquam cum Fabro sentiunt, defunctos per sacrificium corporis & sanguinis Christi in Missa cum Deo reconciliari, & ex pœnis Purgatorij liberari. Hoc enim Patribus nunquam in mentem venit. Sed in concionibus funebribus egerunt Deo gratias pro defunctis, & orarunt pro viuis, vt & ipsi ad communionem illorum perueniant. Præterea in funere obtulerunt elemosynas pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ & pauperum: ac in publicam confessionem confirmationemq; fidei, simul vnâ cœnam Dominicam sumpserunt, iuxta Christi institutionem. Hæc exercitia omnia & singula in scripturis vocantur sacrificia. Faber autem per fallaciam Equiuocationis, communi vocabulo sacrificij semper vtitur pro solo sacrificio corporis & sanguinis Christi in Missa, pro redemptione fidelium defunctorum ex Purgatorio.

Non minori sue inscitia siue malitia, ὅτις τὸ δὲ νεκρῶν, id est, pro mortuis, sic interpretatur, quasi oblatio sacerdotis in Missa tantundem valeret, ac si ab ipsis mortuis fieret. Hæc enim verba (pro Martyribus vel pro fidelibus defunctis) apud vetustos Patres non significant, pro redemptione defunctorum, sed, pro gratiarum actione & honesta commemoratione illorum. Sic Paulus 1. Cor. 15. Alioqui quid faciunt ij qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? Non hoc vult, Christianos pro defunctis & incredulis Ethnicis aut Catechumenis nondum baptizatis baptizari (sic enim bis baptizati fuissent, primum pro se, deinde pro mortuis) Dicit autem Petrus: Baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi Act. 2. quemadmodum & vnusquisq; pro se pœnitentiam agere, credere, & fidem confiteri debet. Sed hic est sensus Pauli: Christianos super sepulchris defunctorum baptizari, in signum fidei de resurrectione mortuorum,

Fff      quam

QVINTÆ CLASSIS, DE VII. ERRORE  
quam ita firmiter tenebant, vt quasi digitis illam demonstra-  
rent.

Ita Patres in primitiua Ecclesia super funeribus & sepulchris  
mortuorum cœnam quoq; inter sese distribuerunt, vt Deo gratias  
agerent pro foelici piorum in Christo obdormitione, & vt publicè  
confiterentur, se vnum adhuc panem & vnum corpus esse cum de-  
functis: adiunctis precibus, vt in futura vita communioni illorum  
associari dignarentur. Hunc ritum Patres vocarunt sacrificium  
Eucharistiae pro mortuis, eò quod in nomine & commemoratione  
ipsorum, sed in solatium ac firmamentum fidei viuentium fieri  
solebat. Non enim fuit priuatum quoddam vnius sacrificiuli ne-  
gocium, sed dispensatio seu distributio integrae cœnae inter omnia  
membra Ecclesiae, iudæa institutionem Christi: vt testantur om-  
nes circumstantia loci ex Cypriano allegati.

Ac durauit mos ille in primæua Ecclesia vsq; ad tempora Chry-  
sostomi & Augustini, quibus demùm disputari ceptum est, vt  
trum Missæ sacrificium defunctis etiam in altero seculo subueni-  
at. Nondum tamen habitum fuit pro dogmate Ecclesiae, vsq; ad  
tempora Gregorij Magni: sicut ordine in sex superioribus Cen-  
turijs ostendimus.

Habes, pie Lector, septimum Canonis errorem, super quem  
totus Papatus cum omnibus Collegijs, Monasterijs, Capellanijs,  
Primissarijs & Anniversarijs fundatus est: quem, tan-  
quàm horrendam idolatriam, fugient omnes, qui-  
bus & religio & salus propria cura est: ac  
firmiter insistent primæ institutioni  
Christi, & vsui purioris Ecclesiae.  
Quod qui fecerit, ab omni  
errore & deceptione  
tutus erit.

## Octauus error

Canonis.

**Q**uod Canon peregrina lingua legitur, & quidē tam submissa voce, vt ab astantibus neq; exaudiri neq; intelligi possit.

In hoc errore duo sunt vitia. Vnum, quod Canon in peregrina & ignota lingua apud Germanos legitur. Alterum, quod tam submisso murmure musitatur, vt etiamsi in vernacula vniuscuiusq; Ecclesie lingua recitetur, tamen à circumstantibus percipi nequeat. quæ autem vtriusq; sit origo, quantaq; coram Deo abominatio, ordine exponemus.

Agathon eius nominis i. & Papa 81. circa annum Domini 674. celebrari fecit sextam synodum Constantinopoli, in qua Iohannes Portuensis Episcopus, et legatus Papæ, primus in Ecclesia Græca Missam Latine celebrauit, omnibus qui aderant approbantibus illum sacrificandi morem, & qui aliter sentiunt, à recto & honesto discedere. Vide Platina fol. 86. Ex hoc igitur tempore cepta est Missa etiam apud ceteras & barbaras nationes, Latine, & lingua non vbiuis intellecta, haberi.

Sed de origine Missæ secreta scribit Gabriel Biel in expositione Canonis Lect. 15. Litera. D. satis horribile exemplum. Fertur, inquit, quod cum antiquitus publicè & alta voce Canon diceretur, omnes penè per usum illum sciebant, & in plateis & vicis illum decantabant. Vnde cum quidam Pastores in agro pane supra lapidem posito Canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum panis conuersus est in carnem. Ipsi autem igne de cælo aterrimo diuino iudicio sunt percussi. Propter quod sancti Patres statuerunt, vt de cætero Canon diceretur sub silentio.



## QVINTÆ CLASSIS, DE VIII. ERRORE

En habes Lector, vnd: & Latina & secreta missa orata sit. Quomodo autem hæc conueniat cum prima institutione Cæne, cum exemplo primitiue Ecclesiæ, cum ipsis Pontificum decretis, cum communi deniq; ratione, deinceps ordine ostendemus.

Tolerabile esset, Missam apud Romanos in Latina lingua celebrari: hæc enim antiquius Romanis fuit vernacula & materna lingua. Quæ licet postea per barbararum gentium incursiones, Gothorum, Vandalorum, & Hunnorum, ruita & corrupta, in eam, quæ hodie Italica dicitur, transierit: tamen non tantum inter se distant, quin Itali Latinam linguam intelligant. Videmus enim hodieq; linguam Italicam esse semilatinam.

Similiter neq; hoc damnandum est, quòd Legatus Papa, Iohannes Portuensis Episcopus, Constantinopoli in Græca Ecclesia primus Latine celebrauit, vt Canon Agathonis affirmat. Episcopi enim illic in sexta Synodo congregati, vt potè viri eruditione præstantes, Latinam linguam bene intellexerunt. Alioquin quomodo Latinam Missam approbassent, si linguam non intellexissent? Linguis, inquit Paulus, loqui ne vetueritis. 1. Cor. 14. Quòd verò Episcopi Decretum fecerint, eos qui alia quàm latina lingua celebrant, à recto & honesto discedere, absurdissimum est. Hoc enim temerario præiudicio Christum, Apostolos, primam Ecclesiam, ac se ipsos condemnassent. Nam hi omnes Latina lingua non sunt vsi, & Græci Græcam linguam vsq; in hodiernum diem retinuerunt. Quare iudico hunc Canonem esse veritatem Papipticam, hoc est grande mendacium, quo adultores Pontificum, Græcos sub obedientiam Romanæ sedis redigere conati sunt.

Primum enim Missa Latina, apud populos hanc linguam non intelligentes, è diametro pugnat cum institutione Christi serio mandatis: Hoc facite in mei comemorationem, hoc est, interprete Paulo, mortem domini annunciate. Qualis autem esset ista annunciatio, si maximè in omnibus omnium Ecclesiarum angulis Missa Latine

Latine celebraretur, apud ignaros eius lingue? Vult Pau'us nihil publice in Ecclesia fieri, quod non seruiat adificationi Ecclesiæ. Omnia, inquit, ad adificationem fiant. 1. Cor. 14. Cum autem in Latina Missa nihil annuncietur, hoc est, nulla fiat publica concio, certum est, eam nihil facere ad adificationem Germanorum, linguam illam non callentium. Qui enim loquitur linguis, seipsum adificat: at qui prophetat, congregationem adificat. Nunc autem fratres (inquit ulterius) si veniam ad vos linguis loquens, quid vobis prodero? nisi vobis loquar, aut per reuelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam? Et mox. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? quandoquidem quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, verum alius non adificatur.

Quod si Apostolus non concedit, ut quis peregrina lingua in Ecclesia loquatur, ne is quidem qui non tenet linguam Ecclesiæ vernaculam, nisi adsit, qui statim interpretetur: quomodo cõcessisset, ut is qui Germanicam linguam calleret, & melius quidem quam Latinam, Latinam tamen Missam in Ecclesia legeret vel cantaret, ac non potius perspicuis & Germanicis verbis gregem Christi adificaret?

Deinde tam Pontificijs quàm Cæsareis Constitutionibus, nec non veteris Ecclesiæ exemplo aduersatur. Nam Aneas Sylvius, qui & ipse Papa factus, Pius quæ secundus dictus est, scribit in Bohemorum Chronicis cap. 13. Cyrillo Moraorum Præsidente, petente à Pontifice Romano, ut Sclavorum lingua apud Sclavos rem divinam faciens vii posset, diu in frequenti patrum consessu, de ea re disceptatum est. Roma. Tandem vox de cælo audita est: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Quo factum est, ut quod petierat, publicè concessum fuerit.

Et Iustinianus optimus Imperator, in Nouellis Constitutionibus, Extra. 123. Constit. auth. nrica. Iubemus, inquit, ut omnes

## QVINTÆ CLASSIS, DE VIII. ERRORE

Episcopi pariter & Presbyteri, non tacito modo, sed clara voce, quæ à fidei populo exaudiatur, sacram oblationē, & preces in sancto baptismate adhibitas celebrent, quod maiore exinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus, audientium animi efferrantur.

Ambrosius in 1. Cor. 14. Manifestum est Ignorare animum nostrum, si lingua loquatur quam nescit, sicut assolent Latini homines Græcè cantare, oblectari sono verborum, nescientes tamen quid dicant.

Iam & Latina lingua apud ignaros eius linguae prorsus absurda est. Quid enim magis insanum excogitari potest, quam de rebus diuinis apud Germanicum vulgus Latine dicere, cum Germanice loqui scias?

Si Princeps aliquis Officialibus suis seuerissime præciperet, ut Mandatum ipsius clarissime & ad persuadendum peruenendumq; appositisimè subditis exponerent, quod tanto diligentior esset subditorum attentio, & ad obediendum maior promptitudo: Officiales autem magnifico apparatu, splendido habitu, ornatissimis insignibus prodeuntes, & in sublimem suggestum, vnde ab omnibus conspicui exaudiriq; possent, conscendentes, & conuersa ad populum facie, omnes ad attentionem exhortantes, Mandatum Principis ignota lingua recitarent, quam populus nec intelligere nec respondere ad eam posset, sed inanes tantum ignoti sermonis sonos audiret, ac externam tantummodo pompam, superbosq; gestus contempleretur: quis nõ diceret istos Officiales petulanter Maiestatem Principis sui ledere, & populum contemptui habere, deniq; & Principi & subditis intolerabili licentia illudere?

Non est autem vllus Princeps Domino nostro Iesu Christo potentior, & nullus Principis sublimiora sacratioraq; mandata, quam ea, quæ Seruator noster Christus sacerdotibus in hoc sanctissimo officio apud Ecclesiam expedienda commisit. Vult itaq; ut mandatum

mandatum suum populo quàm maximè fieri potest dilucide, & ad permouendum appositè proponatur, vt summa cum reuerentia, obedienciâq; promptissima à populo suscipiatur, & in executionem deducatur. Quid ergò aliud est, quàm atrocissimum crimen læsæ & contemptæ maiestatis diuinæ, cum Missarij superbissima pompa altari adstantes, populum alloquuntur, & clara voce aduocant, ad attentionem, preces & gratiarum actionem adhortantur, sed peregrina & ignota lingua? O horrendam iram Dei, quæ hac atrocissima contumelia Christi, & petulantissima illusione Ecclesiæ irricatur. Non est, crede mihi, non est leuis quidam & parui momenti abusus, sed impia totius Cœnæ peruersio, cum ignota lingua peragitur: siquidem commemoratio Domini, hoc est, annuntiatio mortis eius, substantialis Cœnæ dominicæ pars, omittitur.

Porro cause, quare idiotæ & laici Latinam Missam spectare & audire coguntur, sunt variæ. suas quisq; peculiâres rationes habet, cum Papa, tum Cæsar, cum Deus, tum Diabolus.

Vt Papa ratio cognoscatur, obiter admonendus est Lector. Primis sexcentis annis post Christum, Romanos Pontifices, non Papas fuisse, sed tantum eius vrbis Episcopos, vt & in alijs Ecclesijs sui singulis fuerunt Episcopi. Et ipse Gregorius Magnus noluit agnoscere Epithecum Oecumenici, sed omnium primus se seruum seruorum vocari voluit. In Registro parte 7. Et habetur Diff. 99. Ca. Ecce in præfatione.

Bonifacius autem eius nominis 3. & Papa 68. hoc est, secundus à Gregorio Magno, à Phoca Constantinopolitano Imperatore obtinuit circa annum Domini 607. magna tamen cum contentione, vt sedes Beati Petri Apostoli Roma, quæ est caput omnium Ecclesiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus. Vide Plati. fol. 49. Ab hoc ergò tempore, quantum potestas Romani Pontificis crescere capit, tantum Romanum Imperium debilitatum est.

Deinde

## QVINTÆ CLASSIS DE VIII. ERRORE

Deinde post annos 146. Zacharias eius nominis primus, & Papa 93. circa annum Domini 753. propria sua auctoritate iransulit regnum à Childerico, naturali huius Rege, in Pipinum Magistrum Domus eius. Vide Plati. fol. 99. & Nauclerum Gen. 26. fol. 110.

Postea Leo tertius, & Papa 99. circa annum Domini 800. declarauit Carolum Pipini filium, in Imperatorem Romanum, & postquam ipsum unxisset, imperiali quoque Diademate donauit. Vide Plati. fol. 109. & Naucle. Gen. 27. fol. 117.

Ex his cognobile fit, Romanos Pontifices à Gregorio Magno usque ad Leonem tertium, hoc esse, intra ducentos annos, affectuos esse primatum, non Ecclesie Romane solum, verum etiam Imperij Romani, idque non diuina, neque vlla legitima ordinatione humana, sed mera contentione & dominandi libidine, contra manifestum verbum Christi: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Præterea non sunt affectui hunc primatum ab illustri aliquo Imperatore, sed à parricida Phoca, qui piuum principem, Imperatorem Mauritium, per insidias occiderat.

Vt igitur Romani Pontifices, adeptum primatum, in omnem terram & posteritatem fortius confirmare & propagare possent, visum est illis, Imperatorum auxilio, Missam omnibus nationibus obrudere, non in Romana forma tantum, sed etiam in lingua Romana, eodem consilio quo Hieroboam erectis vitulis in Dan & Bersabea subiectum Populum in officio continere voluit. 1. Reg. 12. Et quemadmodum veteres Romani, vnâ cum Imperio, linguam quoque Romanam dilatant.

Nam Adrianus eius nominis 1. & Papa. 98. circa annum Domini 790. habito Concilio Romæ, decreuit Officium Gregorianum (sic enim vocatur Missa Papistica) debere omnino ab omnibus obseruari per totam Ecclesiam. Vide Nauclerum gene. 21. fol. 94. Et Iacobum de Voragine, in legenda S. Gregorij, littera N. cuius siue fabulam siue historiam recitare libet.

Concilio,

Concilio, inquit, conuocato, omnium Patrum hæc sententia una fuit, vt Missale Ambrosianum & Gregorianum, super altare beati Petri Apostoli ponerent, & fores Ecclesiæ optime clauderentur, ac plurimorum Episcoporum sigillis diligentissime munirentur, & ipsi tota nocte orationi insisterent, vt Dominus per signum aliquod reuelaret, quod horum ab Ecclesijs magis seruari vellet. Sicq; per omnia vt ordinauerant facientes, manè ianuas Ecclesiæ aperuerunt, & vtrumq; Missale super altare apertum inuenerunt. Vel vt alij asserunt, Missale Gregorianum penitus dissolutum, & hûc illucq; dispersum inuenerunt: Ambrosianum autem solummodo apertum, super altare in eodem loco, in quo posuerant, reppererunt. Quo signo diuinitus sunt edocti, vt Gregorianum Officium deberet per mundum totum dispergi: Ambrosianum autem tantum in sua Ecclesia obseruari. Sicq; sancti Patres, vt diuinitus edocti fuerant, statuerunt, & sic vsq; hodie obseruatur. Hæc ille.

Carolus autem Magnus primus Germanorum Imperator, circa annum Domini 800. non solum publicis edictis mandauit, vt Decreta Romani Pontificis (inter quæ Gregorianum officium nõ postremum locum obtinet) per omnem Romanorum orbem obseruaretur: verum etiam eius decreti executor fuit diligentissimus. Nam per vniuersas Imperij prouincias cursitando, omnes sacerdotes tam minus quàm carceribus coëgit, vt velint nolint, Gregorianum officium susciperent. Vide Nauclerum & Iacobum de Voragine, locis vbi supra. Constat ergò Missam Papisticam institutam esse circa exordium Papatus, & cum Monarchia Imperij translatum esse in Germaniam.

Hic vides, pie lector, ex quàm friuola causa Missa Latina toti orbi per vim obtrusa impositaq; fuerit. Primum enim noui certò constat, rem verè ita gestam esse, de duobus Missalibus, Gregorij & Ambrosij, vt Pontificij Historici narrant: est enim

QVINTÆ CLASSIS DE VIII. ERRORE

mendacio multò quàm veritati similior narratio. Deinde, si maxime certa esset historia, tamen interpretatio seu significatio incerta est, an significarit, Missam Gregorij debere per totum mundum dispergi, Ambrosij autem in Mediolanensi tantùm Ecclesia obseruari. Certè cum solus Deus reuelet profunda & abscondita, debuissent Patres Concilij Deum pro interpretatione eius signi inuocare, quemadmodum Daniel & socij eius fecerunt. Dan 2. Tum sanè Christus aliter interpretatus fuisset: videlicet, Omne regnum contra se diuisum desolabitur. Nam cum Missale Gregorianum penitus dissolutum, & hùc illucq; dispersum inueniunt fuerit: Ambrosianum verò apertum & illasum super altare permanserit: indicio est, Missam Papisticam suo tempore perituram: Missam verò Ambrosij, aliorumq; sanctorum Patrum, qui ante Papatum vixerunt, permansuram esse, vsq; ad extremum aduentum Domini.

Hec prima causa est, cur Papa omnes populos mendacijs & cædibus ad Missam Latinam adegerit: vt scilicet primatum in Ecclesia Dei obtineret.

Altera causa est, vt vulgo nouarum rerum cupido admirationem moueat, ac si Missa propter peregrinam linguam sit sanctior, & Presbyterium in maiori veneratione habeatur. Si enim Missa in vernacula & vulgari lingua celebraretur, non haberet tantum authoritatis & admirationis, quam plerumq; nouitas & raritas parere solet: & fortassis ex priuata vnius sacrificuli actione, fieret totius Ecclesie communis actio. Hoc illud est, quod Papa metuit.

Sed si omninò egregiam artem ostentare, & magnam admirationem vulgo concitare cuperet, peregrinae linguae vsu, cur non potius Hebraica & Graeca linguis, quibus Christus, Prophetae & Apostoli locuti sunt, vitur? praesertim cum Vetus Testamentum Hebraica, Nouum Graeca lingua conscriptum sit. Si tanta iudicatur Latinae linguae sanctitas, eò quòd Romana sit, quanto sanctio-

res iudicandæ sunt duæ illæ lingue, Hebraica & Græca, à spiritu sancto, per scripturas sacras, à Christo, Prophetis & Apostolis, per conciones & scripta publica, sanctificatæ? Hæc non ideo dico, quòd illa lingua tam sancta iudicanda sit, ut in Ecclesia sine ædificatione usurpetur, exclusa interim vernacula, & ad Ecclesiæ ædificationem pertinente lingua: sed ut ostendam, Papam non sanctitatem & dignitatem lingue spectare, neq; Ecclesiæ ædificationem querere: sed reuera nihil aliud, quàm suam & creaturarum suarum sanctitatem & maiestatem auctam amplificatamq; cupere.

Quòd vero Carolus 1. Cæsar omnes provincias sub Papistica & Latine Missæ iugum vi & ferro coëgit, id adulandi & testificandæ gratitudinis suæ causa fecit: propterea quòd Zacharias & Leo Pontifices patrem suum Pipinum, & ipsum quoq; Carolum, ad Regni & Imperij fastigium euexissent: ac præsertim, quòd Adrianus Papa ipsum donasset priuilegio & potestate eligendi Papam, & omnes Romani Imperij Episcopos: teste Gratiano Dist. 63. Ca. Adrianus. Sic enim solent filij huius seculi benefactoribus suis vicissim beneficia rependere.

Porro quid Sathanam ad Latine Missæ usum inuehendum impulerit, suprâ in quarto errore Canonis de vna specie Sacramenti exposuimus: videlicet, ut per peregrinam & ignotam linguam, inter barbaras gentes, prædicationem Euangelij aut impediret, aut prorsus extingueret. Facile quidem pati potest, ut in omnibus linguis de morte Christi prædicetur: hoc autem ferre nequit, ut auditores ad agnitionem Christi & efficaciam passionis eius perducantur. Perinde autem est, si quis in Ecclesia loquatur ignota lingua, ac si prorsus nihil loquatur. Si nesciero, inquit Paulus, vim vocis, ero ei, qui loquitur barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus. 1. Cor. 14. Itaq; ut fructum Euangelij Sathan apud simplicem plebeculâ impediât, omnem remoram iniicit, ne vernacula & nota, sed peregrina & ignota lingua canatur vel legatur.



QVINTÆ CLASSIS, DE VIII. ERRORE

Quibus autem de causis Dominus sathana & sacrificulis permittat, ut in Ecclesia peregrinis linguis garriant, ostendit Paulus. 1. Cor. 14. In Lege inquit, scriptum est: Varijs linguis, & labijs varijs loquar populo huic, & nesci quidem audient me, dicit Dominus: Quasi diceret. Quandoquidem mundus sacrosanctum Euangelion, toto orbe & omnibus linguis predicatum, audire non vult. (Non enim sunt loquela, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum. Psal. 19.) Idcirco & ego propter ingratiudinem eorum, alijs linguis & labijs loquar, quas nec audire nec intelligere queant: sicut olim confudi linguas aedificantium turrim Babel, ut celebrarent nomen suum, antequam diuiderentur in uniuersas terras. Gen. 11. Vnde colligitur, propter ingratiudine populi iram Domini ita exarsisse, ut mysterium redemptionis nostra peregrina lingua in Ecclesijs, absq; omni audientium fructu, tractaretur. Hec de Missa Latina: Consideremus etiam Missam secretam.

Ad ignota lingua in Canone vicium, accedit etiam secreti & submissi murmuris vicium: vnde fit, ut si maximè in vernacula lingua legatur, ab adstantibus tamen exaudiri nequeat. De origine autem secretæ Missæ, supra fabulam ex Gabriele Biel recitavi: quam si omninò veram historiam esse Papistæ contendant, age hac ipsa secretam Missam refutabimus, quam illi ad confirmandam eam adhibent.

Primum ergò dico, Missam secretam non ex Deo esse, sed ex hominibus. Nam Gabriel Biel, & vnâ cum illo Innocentius 3. Durandus, Clitoueus, omnesq; alij Papistæ fatentur in hoc exemplo, Canonem olim publicè & alta voce dictum esse. Constat autem hunc à Gregorio demum absolutum confirmatumq; fuisse. Consequitur ergò, illum Gregorij temporibus, & longo etiam tempore postè publicè in Ecclesiam cantari & legi consueuisse. Et quia laici, ex publica actione, ita illum addidicerunt, ut pueri etiam in plateis & Pastores in agro decantauerint, necesse est ipsum in  
materna

materna & vulgari lingua celebratum fuisse: alioquin ab idiotis addisci non potuisset. En quàm pulchrè Latinam & secretam suam Missam confirment.

Deinde Missa secreta, non tantum absq̃ verbo, sed etiam contra verbum Dei inuenta & instituta est. Iubet enim Apostolus: Quotiescunq̃ panem hunc commederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit. Istud autem non est annunciare mortem Domini, cum Sacerdos Canonem secum mustrat: sed cum mors Christi omnibus, qui adsunt, publicè prædicatur, ita vt auditores vicissim permoueantur, ad offerenda ex animo sacrificia laudis & gratiarum actionis. Sic & Christus Discipulis suis, quos ad prædicandum Euangelionem emittebat, dicit: Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in rectis. Matth. 10. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem: vt manifestetur opera eius, quia in Deo facta sunt. Iohan. 3.

Possunt etiam Papistæ hoc exemplo, tanquam suis ipsorum verbis, conuinci, quòd consecratio eorum in Missa secreta verè sit Magia. Tradunt enim viri docti, qui de Magia scripserunt, eam horvere lucem, & reuelationem, amare, tenebras: tacendo confirmari, efferendo exterminari. Ac si quis Philosophis & nobis credere nolit, credat saltem Gabrieli Biel, comparanti consecratione Missæ secretæ, cum Magia Veneficarum & Incantatorum, emulgentium lac ex scamno, & manubrijs securium. Verba eius hæc sunt in expositione Canonis. Lect. 4. Litera, F. G. H. Aliquid ab alio effici vel fieri, tripliciter potest accipi. Nam aliquid dicitur ab alio fieri vel naturali potestate, vel meritoria operatione, vel assistente virtute occulta. Mox infert, in Missa nec primo, nec secundo, sed tertio tantum modo fieri. Et exemplo declarat: Secundum quem modum, inquit, malefici & incantatrices quosdam effectus produ-

QVINTÆ CLASSIS, DE VIII. ERRORE

cere dicuntur, vt extrahere lac vaccarū de sedibus, vel manulrijis securium. Quod sit non aliqua naturali virtute Maleficorum, neq; ex eorum merito, sed virtute occulta, siue mala siue bona, assistente, hoc est, certis verbis & characteribus, quibus Magi vtuntur.

Quod si quis ne Gabrieli quidem Biel credat, age audiamus irrefragabilis auctoritatis Prophetam Samuelem, i. Sam. 15. ita dicentem: Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere. Loquitur autem Prophetæ de eo, quod Saul contra præceptum Domini optimis quibusq; armentis Amalechitarum pepercerat, ad immolandum ea Domino: cumq; à Prophetæ reprehenderetur, pertinaciter quasi rectè factum defenderat. Non dissimilis est ratio consecrationis in Missa secreta.

Sacrificuli enim secretò & tacitè consecrant, contra expressum mandatum Christi & Pauli: & licet hoc tempore, voce Euangelij reuelati reprehendantur, & ad legitimā consecrationem omnibus adhortationibus excitentur, tam præfractè & cōtumaciter errorem suum, volente nolente Domino, propugnantes, nullam ex verbo Dei admonitionē exhortationemq; sustinent. Quid ni ergo cum Samuele ipsis dicamus? Quasi peccatum ariolandi est repugnare. Nam quemadmodū Arioli putant, se Spiritu Dei impulsos futura prædicere, aut alia mirabilia operari: ita sacrificuli putant, se in Missa secreta corpus & sanguinem Christi offerre pro viuis & mortuis: cum tamē reuera ordinationi Christi è diametro aduersentur, ac proinde nudo pane & vino horrendam idolatriam exercent: vt supra de consecratione copiose diximus.

Ex his consequitur, Missam secretā vt potè Magiam & Idolatriam Deo esse abominabilem. Quanta enim abominationi sit Domino Magia, ex seuerissimis præceptis Domini, & atrocissimis supplicijs diuinitus Magis immisis colligi potest. Leuit. 20. Vt siue mulier, in quibus Pythonicus vel diuinationis fuerit Spiritus, morte moriantur: Lapidibus obruent eos. Sanguis eorum sit super illos. Et Deut. 18. Ne si in te maleficus, nec incantator, &c.

omnia

omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Itaq; omnes pij Missam secretam, tanquam Magiam seu peccatum ariolandi, toto pectore fugiant, ne in eandem cum Magis indignatione Dei incurrant, siquæ æternas pœnas accersant.

Interim tamen agnoscimus ingentem Christi amorem, quo Sponsam suam, veram Ecclesiam, complectitur, dum sollicitè curat, ne decipiat & in errorem seducatur. Quia enim Canon maior & minor cum secretis, plurimis erroribus scatent, clementer providit Dominus, ut secreto legerentur, ne Ecclesia tot & tantos errores audiens forsitan inficeretur. Nam ferè omnia, quæ impia sunt in Missa, secreto & submissè lectita sunt: quæ verò publicè cantata aut prælecta fuerunt, plerumq; per se fuerunt pia & utilia, ut Introitus, Gradualia, Offertoria, quæ frequenter ex Psalmis desumpta sunt. Reliqua fuerunt aut deprecationes, aut interpellationes, aut gratiarum actiones, aut confessiones peccatorum & fidei, aut lectiones & interpretationes scripturarum. Quæ omnia seruiunt ædificationi Ecclesiæ, & ab ijs, qui linguam intellexerunt, alijs quoq; rudioribus utiliter & salubriter comunicari & explicari potuerunt. Atq; ita factum est, ut sacrificuli seipsos efficacia passionis & moris Christi spoliarent, & interim nescientes atq; nolentes, Laicos illius participes efficerent. Sic impletum est dictum Christi: Omni habenti dabitur, & abundabit. Qui verò non habet, etiam id quod habet, auferetur ab eo. Matth. 25.

Hæc de fabuloso illo exemplo prolixius dicere volui, non quòd magnificè de eo sentirem: sed ut Papistas suo ipsorum gladio iugularem, conuinceremq; Missam secretam, non ex Deo esse, sed ex hominibus, imò verò ex ipso mendacij patre, Sathana, proinde ut horribilem idolatriam execrandam & fugiendam esse.

Iam verò non tam pium, quàm etiam necessarium est, ut Missa in cuiusq; ecclesiæ vernacula lingua, & clara voce, celebretur. Nam comunicans ex Missa priuata, tantisper incertus est de veri

QVINTÆ CLASSIS, DE VIII. ERRORE.

tate Sacramenti, quantisper sacrificus in secreto conficit. Etsi enim hic ipse per se vocalis esse potest, tamen quia non recitat verba consecrationis alta voce, ut possit à spectatoribus & circumstantibus audiri, & recitat ea lingua peregrina, ut etiamsi audiatur, non tamen à maiori parte Ecclesiæ intelligatur. Talis, inquam sacrificus, Ecclesiæ & communicanti est mutus, & à mutis profusus nihil differt. Iam & scholastici dicunt, mutum non posse consecrare. Vide Gabrielem Lect. 6. A. B. Ideò nemo Christianus sana conscientia ex Missa privata communicare potest. Quid? si sacrificulus, omiſſis verbis consecrationis, orationem dominicam secum musitaret, aut carmen magicum, aut etiam omninò ea omittat? Testantur enim exempla, quòd cum nonnulli sacrificuli cognouerint se propter hesternam crapulam vel scortationem, ad tractanda mysteria tam veneranda indignos, maluerint in Missis suis præterire consecrationem (quam se alioqui posse facere putabant) Sacramenti, & Ecclesiæ nudum panem & nudum vinum spectanda obtrudere, quàm consecratione & sumptione sibi ipsis periculum creare, ac iudicium edere & bibere, ut Paulus ait.

Ad hæc, sicut supra quoq; admonuimus, ipsi Scholastici Doctores sentiunt, quòd ad consecrandum Sacramentum necessaria sit intentio sacrificuli. Quid? Si ergò sacrificulus non intendat, non cogitet, non proponat consecrare? Quippè qui sit vel incredulus, vel Epicurus, qui foris quidem simulet Christianam pietatem, in corde autem rideat & contemnat omnem nostram religionem? Nam ut non meliora de magna parte sacrificulorum suspicemur, non inuitant, sed penè cogunt nos scelerata vitæ eorū mores. Quid igitur facient spectatores, qui ad Communionem ex privata Missa inuitantur? Num collocent fiduciam suam in occulta & ignota sacrificuli intentione, ac musitatione, & agnoscant panem & vinum, de quibus nihil nisi externos gestus sacrificuli cognouerūt, pro vero Sacramento?

Charitatis

Charitatis quidem ingenium est, omnia credere, omnia sperare: fides autem iudicat de omnibus seuerissimè: & quia est ex auditu, auditus autem per verbum Dei, non est contenta humanis gestulationibus, sed requirit ipsum verbū Dei, vt auditu eius cognoscat, quid sit credendum, quid repudiandum. Quare vera fides nō potest eum panem & vinum, de quibus non audit manifestè & perspicuè verbum filij Dei, quo sanctificatur et consecrantur in corpus & sanguinem eius, pro vero Sacramento agnoscere, nullusq; bona conscientia ex Missa priuata participare.

Absoluto igitur iam & refutato octauo Canonis errore, propter quē vel solum Missa Ppastica anathema sit, ad nonum rectè progrediamur.

# Nonus error

## Canonis.

**Q**uod Sacrificuli Missam precio vendunt, & turpissima simonia, inexplebilisq; auaritia, fœdissimam negotiationem ac vsuram faciunt.

Omnibus temporibus communes fuerunt querelæ, de auaritia & simonia eorum, quos vulgò Spirituales vocant: eò quòd callidorum institorum more ita scirent vt foro, vt sua omnia duplo precio venderent. Vendunt enim non solum nihili sua merita & fictitia bona opera, sed Christi etiam & omnium Sanctorum merita, Indulgentias, Sacramenta, omnia spiritualia bona & officia, Papatum, seu Pontificatum summum, Episcopatus, Abbatias, Canonatus, Vicariatus, Capellanas, Primissarias, & cunctas Præbendas, & (quod ridiculum est) cæca, lac, caseum, butyrum, & similia. Tanta autem in his vendendis vtuntur vafritie, & quasi prestigijs quibusdam, vt emptor neq; precium neq; mercimonium

QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

auferat. Ego verò omiſſis illis, qui extra Miſſam exercentur, Simoniacis contractibus, eos tantum refutandos ſuſcipiam, qui tantum quã indiuidui comites Miſſe adherent, et quos Faber ſplendide exornat ſummoq; ſtudio defendit. Non poteſt, inquit, iure Simonia dici, ſed ipſi adeo tum naturæ, tum diuinæ legi conſentaneum eſt, ſi ij qui Miſſas celebrant, ſtipendium aliquod capeſſant. De fundationibus autem alibi, rem Chriſtiana pietate dignam facere eos inquit, qui amicis & cognatis ſuis ex facultatibus ſiue à Deo præſtitis, ſiue hereditate ad ipſos eorum nomine deuolutis, ſpeciale quoddam anniuerſarium, vel ſeptimum, aut triceſimum, vt vocant, vel certas exequias, vel Miſſam pro ipſis ſpecialim dicendam pro totius Eccleſiæ more & conſuetudine procurent.

Ger. fol. 164.  
Lat. fol. 284.

Germ. fol. 132.  
Lat. fol. 227.

Priorem illam concluſionem, naturali primum iure ſtabilire conatur. Naturæ, inquit, conſentaneum eſt, vt operarius ſtipendium ſuæ ſuſtentationis percipiat. Itaq; cum Sacerdos labore corporis fatigetur, in celebrandis Miſſis, & neceſſaria ſuſtentatione vitæ indigeat, iure premium capit, non quidem pro rebus ſpirituallibus, aut pro Dei gratia ( hæc enim vt nullo precio perſolui poſſunt, ita nec premium pro ipſis accipiendum eſt. ) Sed pro labore aut corporis miniſterio, in vitæ corporeæ ſubſidium.

Hic ad ipſam Fabri conſcientiam prouoco, an Miſſas exequiales iudicet tantum corporis labores eſſe, ac non potius ſpirituale & ſanctiſſimum opus, quo animæ fidelium ex purgatorio redimantur. Nam ſi exiſtimat eſſe tantum laborem corporis ( vt verba eius ſonant ) ab quàm turpiter & quàm nefarie tot ſeculis mundus à Sacrificulis & Monachis deceptus eſt? Nullus enim proculdubio fuit Princeps, Comes, Nobilis, Ciuis, Ruſticus, tam ſimplex, vt Miſſam propter corporale opus, tanto precio mercatus aut remuneratus ſit. Quid enim corporis labores in Miſſa, tot variæ geſticulationes, inflexiones, inclinationes, tuſiones pectoris,

compli-

complicationes & extensiones manuum, quid, inquam, aliud sunt, quam ridicula & pueriles actiones, quales pueri puppas tractantes exhibere solent: ex quibus nec spectator delectationem & gaudium, nec circumstantes ullam utilitatem aut edificationem sentiunt: cum peregrina lingua & submisso murmure omnia peragantur.

Adde, quòd suprà in tertio errore Canonis audiuius, Fabrum ac omnes Papistas docere, per Sacrificium Missæ & priuatam sumptionem, applicari omnia merita Christi, tum viuis tum mortuis. Et in sexto errore Canonis vidimus Bullam, in qua Prouincialis ordinis Prædicatorum, Laicum quendam in fraternitatem Sanctissimi ordinis sui recipiens, promittit ei spiritualem remunerationem pro temporali suo dono, & deuotione erga ordinem suum, videlicet, vt particeps fiat tam in vita quàm in morte, omnium Missarum, quæ in toto illo ordine fiant. Cum ergò ipsimet fateantur, Missam esse spiritualem remunerationem, qua meritum Christi tam viuis quàm mortuis applicetur, quomodo à Simonie crimine excusari possunt, qui Missas pro precio celebrant? Sic enim ipse Magister Sententiarum lib. 4. Dist. 25. definit: Simoniaci, inquit, propriè dicuntur, qui instar Simonis Magi impreciablem gratiam precio conducere volunt. Et qui pro ministerio sacro premium recipiunt, in modum Giezi Gieziæ vocandi sunt, &c. Contradicat ibidem apertè huic friuolæ distinctioni Fabri, quòd Sacerdos nihil pro gratia Sacramenti, sed pro corporis duntaxat labore accipiat. Quisquis, inquit, horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit. Vt habetur 1. q. 3. Ca. Si quis obiecerit.

Quòd autem Papistæ plerumq; non propter Deum aut fidelium animas, sed propter premium Missas celebrent, id ipsimet contra se ipsos testantur. Quando enim quaso gratis Missas faciunt, ad



QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE.

quas non tenore foundationis adstricti, aut Præsentijs conducti sint? Certè si miserabiles illi animarum eiulatus in Purgatorio, Misere mei, misere mei, tam ipsos afficerent & permo- uerent, quàm præsentiæ & oblationes, aut si scintillulam Christianæ charitatis haberent, procul dubio quotidie pro defunctis Missificarent, neq; ullum diem sine exequijs præterire paterentur, eti- amsi nullæ ipsis darentur Præsentiæ, & quantumuis etiam ineptos seu ( ut loquuntur ) indispositos se ad celebrandum deprehende- rent. Nam & ipsimet docent, Missam per se ex opere operato va- lere & iuuare, etiamsi sacerdos pro sua persona improbus & ineptus sit.

Præterea Faber per auaritiam fictitijs sermonibus de nobis negociatur, prætexens sacerdotes pro Missa sua tantum accipere stipendium suæ sustentationis, cum sua ipsum conuincat conscien- tia, rem aliter sese habere. Habent enim iam ante a sustentatione suam, sine Præsentijs, si modò ea contenti essent. Summi sacerdotes quidem, ut Papa, Cardinales, Episcopi, Prælati, Canonici &c. tot tantisq; opibus abundant, ut Reges, Principes & Comites æquet, si non superent. Reliqui autem Pastores, in opulentis ecclesijs, Vi- carij & Capellani suos etiam habent non vulgares redditus, circa Præsentijs. Imò omnes Clerici, cuiuscunq; etiam infimæ conditio- nis non consecrantur & initiantur ab Episcopis, nisi suas habeant Præbendas & annuos redditus, vnde sine labore manuario victura- re queant. Nihilominus tamen de quotidianis Præsentijs, obla- tionibus & exequialibus ne extremum quidem teruncium remit- tunt: sed miseram plebem citando, excommunicando, damnando, si- ne omni misericordia vsq; ad mortem diuexant. Tam bellè con- tenti sunt stipendio suæ sustentationis, scilicet. Ac ut maxime re- nuioris fortunæ Pastorculi seu plebani, Primiſſarij & Diaconi ampliori stipendio sustentationis indigeant, num propterea victum sibi parabunt Missa mercenaria? Vult Paulus Episcopum suæ pa- forem

forem non esse aīx ποικιλία, id est turpiter lucro deditū. Tit. 1. Quæ  
 esset aut feodior aīx ποικιλία, aut turpius lucri studiū, quàm simonia  
 in ecclesia Dei? Missam sanè precio vendere ipsissima simonia est.

Ad hæc, quàm temperanter Monachi & Sacrificuli suis vtan-  
 tur Prouentibus, Sole meridiano clarius est. Vbi, quæso, sunt plu-  
 res ocio diffuentes? vbi maior lūxus? vbi lautiores dapes? vbi  
 pompæ magnificentiores? vbi preciosiores vestes? ornatiora ædifi-  
 cia? formosiores feminae extra coniugium? comptiores equi, canes  
 venatici, volucres ad aucupia, cætera deniq; omnia vel Persicum  
 luxum superantia? Hæc vniuersa Faber vocat stipendium su-  
 stentationis. Sanctus verò Apostolus Iudas, cognomento Lebbæus,  
 alio nomine ipsos insigniens. Hi sunt, inquit, maculae, de Eleemo-  
 synis vestris inter se conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes.  
 Eat nunc Faber, & Ius naturale in subsidiū simoniae suæ aduocet.

Alteram causam, quare sacerdos, precium pro Missa accipiens,  
 non sit dicendus simoniacus, profert ex iure diuino, hoc est, ex sa-  
 cra scriptura. Agedum, inquit, scripturæ sententiam audiamus, ad  
 attentionem quasi lectorum excitans. Audiant ergo cæli, et auscul-  
 tet terra, quales scripturas Clarissimus Dominus Doctor Faber al-  
 leget, quibus citra simoniam precio Missam vendi posse compro-  
 bet. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Citat autem tres testes (in ore enim duorum aut triū consistit  
 omne verbum) Christum ipsum, Math. 10. Paulum bis. 1. Cor. 9.  
 & 1. Tim. 5.

Testes sanè omni exceptione maiores sunt, sed si veram senten-  
 tiam excutiamus, nihil ipsos Pontificiæ simoniae suffragari cogno-  
 scemus. Nam quòd Christus Math. 10. inquit: Dignus est opera-  
 rius cibo suo, notandum est, de cuius modi operarijs loquatur. Lo-  
 quitur autem de duodecim Apostolis, quos ad prædicandū Euāge-  
 lion de regno Dei emittebat: vt ex omnibus circumstantijs illius  
 capit is elucescit.

Illud idem mandatum Paulus repetit 1. Cor. 9. Sic et Dominus,  
 Hh h 3 inquit,

Ger fol. 164.  
 Lat fol. 284.

QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE.

inquit, ordinavit, ut qui Euangelion annunciant, ex Euangelio viuant. Quia verò sciebat, quanta esset mundi erga ministros Euangelij ingratitude, exhortatur, Corinthijs tribus figuris ex veteri Testamento petitis: de boue triturante, de assistentibus sacrorio, & de ijs, qui in sacris operantur. Postea subiicit tres similitudines ex quotidiana experientia desumptas, de militantibus, de plantantibus vineam, & de pascentibus gregem, qui omnes de suo labore victitant. Equum igitur esse, ut is, qui catechizatur sermone, communicet ei, qui se catechizat in omnibus bonis.

Hanc esse Christi et Pauli sententiã, alibi ipse Paulus. 1. Tim. 5 (quem locum pro tertio testimonio Faber adducit) clarius explicat. Presbyteri, inquit, qui benè præ sunt, duplici honore digni habeantur, maxime ij, qui laborant in sermone & doctrina, hoc est, qui fideliter tradunt doctrinam Euangelij.

En tribus hisce locis, ne vnum quidem verbum tam Christus quam Paulus de sacrificio Missæ faciunt: sed loquuntur dumtaxat de ministris Euangelij. In Missa autem sacrificuli non annunciant publicè Euangelion, nec integram cœnam ecclesiæ distribuunt, sed offerunt & deuorant soli, idq; secretò & musit anter. Quid ergò ministris Euangelij conuenit cum sacrificulis Missarijs?

Missæ enim secreta non est pars Euangelij, aut ministerij ecclesiastici, quemadmodum conciones, Baptismus, Absolutio & institutio confitentium, dispensatio cœnæ dominicæ, &c. qua edificari possit ecclesia: sed est dissipatio ordinis diuini, qua ecclesia miserabiliter deuastatur. Et sacrificuli non sunt fideles operarij in messe domini, de quibus Luc. 10. Christus loquitur, sed sunt dolosi & infideles operarij, cauponantes verbum Dei, & familia cui præfecti sunt, non dantes in tempore demensum cibum, de quibus 2. Cor. 4. & 11. Item Phil. 3. & Luc. 12. Quo iure igitur, quoue titulo mercedem postulare audent, pro qua nihil laborarunt? Qui non laborat, non manducet, 2. Thess. 3. Missarij aut non laborant in ecclesia, ut mandauit

mandavit dominus, & tamen nihilominus mercedem ad se rapiunt. Cum Iudei mensis numulariorum, & venditionibus columbarum, domum Dei & precationis, facerent speluncam latronum, tanto zelo Christus commouetur, ut ementes & vendentes flagellis ex templo eijciat. Num ergò ipsum fœdiori nundinationi sacrificulorum mercedem & præmium constituisse putas?

Restabat, ut Faber (sicut assolet) sententiam suam scriptis Patrum confirmaret: videlicet, quòd sacerdotibus Missas pro precio celebrare liceat. Verùm hic pisce magis mutus est, nullum omninò Patrem allegans, cum nullum erroris sui patronum inuenire potuerit. Sed hunc defectum ego supplebo, ostensurus, quid Patres, Decreta & Concilia iudicent de ijs, qui pro administratione Sacramentorum precium accipiunt.

Hieronymus ad Damasum Papam: & citatur. 1. q. 2. Ca. Clericos.

Clericos autem illos conuenit ecclesie stipendijs sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si, quod est pauperum, accipiunt, sacrilegium profecto committunt: & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt.

Idem in Commentario super Math. cap. 21.

Obserua propter auaritiam sacerdotum, altaria Dei numulariorum mensas appellari.

Origenes super Matthæum cap. 24. Homil. 31.

Opus habemus, ut fideles simus pariter & prudentes ad dispensandos

## QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

sandos Ecclesie redditus. Fidelis quidem, vt non deuoremus, quæ sunt viduarum, & vt memores simus pauperum, & occasionem arripientes ex eo, quod scriptum est, Dominus constituit his, qui Euangelion prædicant, de Euangelio viuere, amplius queramus quàm cibum simplicem, & necessaria vestimenta: vt ne amplius teneamus nobis, quàm demus esurientibus fratribus, & scientibus atq; nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in secularibus curis.

Prosper in Tractatu de vita contemplatiua.  
Et habetur 1. q. 2. cap. pastor.

Pastor Ecclesie his, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare: quandoquidem nihil aliud sit, habentibus dare quàm perdere. Nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat, accipiunt.

Audis hos Patres vno ore affirmantes, grande esse peccatum & sacrilegium, si sacrificuli pro suo ecclesiastico ministerio aliquid amplius accipiant, quàm necessitas ipsorum exigat, & vnde pauperes sustentari deberent. Suprà autem diximus Centuria 1. oblationes & elemosynas populi ad celebrationem Cœnæ collatas, à Diaconis acceptas & distributas fuisse, non tantum pro ministris Ecclesie, sed etiam pro pauperibus sustentandis. Vt docet historia S. Laurentij, thesauros Ecclesie inter pauperes distribuens, & sicut Faber ipse fatetur ex Decretis, 12. q. 2. cap. Vobis. Postea verò falsò dicti spirituales, quorum Deus venter est, & qui pietatem putant esse questum, varias technas excogitarunt, quibus omnes oblationes & elemosynas ad se solos raperent. Hic detorserunt Missas, & præsertim exequiales: quæ fuerunt quasi casses & retia capessende pecuniæ, & ceu aurifodina, ex quibus omnes suas opes corraserunt. Nam quemadmodum Cœnam domi-  
nicam,

nicam, communem totius Ecclesiæ thesaurum, commutarunt in sacrificium Missæ: ita collationes & eleemosynas, totius Ecclesiæ communes, conuerterunt in spiritualia ( vt ipsi vocant ) bona, hoc est, Præbendas, Præsentias, septimum, trigessimum, anniuersarium, & quotidianas oblationes nummarias. Hanc auaritiam Sacerdorum, Patres appellant sacrilegium, quo viduarum domus deuorentur, & pauperibus panis ex faucibus eripiatur.

Sunt autem variæ technæ, seu ( vt olim loquebantur ) venantiæ, quibus Papa, & creaturæ eius, multiplices ex Missa proueniens ad se rapiunt: non Deo, sed Mammonæ seruietes, interim tamen cultum Dei & miserarum animarum salutem hypocritice prætexentes.

Prima est, cum Summus Pontifex magnas illas & opulentas Prelaturas vendit, Episcopatus, Præposituras, Abbatias, Commendaturas, Magisteria ordinum, Generalatus, Pallium, Confirmationes, &c. Insuper sex menses anni elegit, in quibus omnes Præbendæ ubiq; terrarum vacare incipientes, ad ipsum recidant, quas deinde propter Deum ( Mammonâ scilicet ) quibuscunq; vult, locat.

Secunda est Curtisanorum, qui Romam currunt & recurrunt, & vel inhonestis officijs, vel precio impetrant gratiam expectatiuam, hoc est, tale priuilegium, vt in quacunq; Diœcesi opima Sacerdotia aut Præbendæ, intra Pontificios menses vacare incipiunt, ab ipso occupentur, sæpè etiam inuitis & renitentibus Collatoribus seu Dominis beneficij. Vnde sæpè accidit, vt homo nequissimus, & ne dimidia quidem Præbenda dignus, possideat 24. Præbendas, quantumuis reclamante ipso Iure Pontificio. De Præben. & Dig. Ca. Quia in tantum.

Sed quia non ubiq; potest residere, conducit per Commendam suopte arbitrio Vicarium seu Substitutum, rudem quempiam & stupidum asinum, qui vix Requiem possit legere. Is quotannis Curtisano Reseruatam aut Absentiam reddere cogitur. Sic

## QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

Curtisanus emolumentum capit, interim asino labores & paleas relinquit.

Tertia est, incorporatio, qua interdum Episcopi liberas Abbatias & Præposituras incorporant: aut reliqui Prælati, Abbates, Præpositi, Canonici, Collegiati, &c. opulenta Sacerdotia cum omnibus redditibus, qui antiquitus ad sustentandos ministros Ecclesie & alendos sibiasticos fundati sunt, ad sese rapiunt, & Vicarijs certum quoddam salarium ( ipsi corpus vocant ) satis tenuiter præbent, ut vix famem arcere queant.

Quarta est, Ius Patronatus, in sex imparibus anni mensibus ( pares enim Pontificia sanctitas sibi reseruat. ) Vbi Episcopi, Prælati, Principes, Comites, Nobiles & Rustici, Beneficia vacantia pro favore aut pecunia locant indignis, interdum pueris adhuc, qui non incumbunt studio litterarum, nec vnquam Ecclesie inferuire cupiunt, contra canones Pontificios.

Quinta est, Stola, cum Papa, Episcopi, Prælati, Curtisani & Collatores prædicti, pauperculos Plebanos & Capellanos ablegant ad Stolam, hoc est, quotidianos nummulos accidentales ( ut vocant ) ut sunt nummi pro Baptismo, Confessione, Oleo. Item Præsentia, Exequia, quatuor oblationes, minores decimæ, & similia accidentia. Sic misera plebecula, ab his mercenarijs, Sacramenta, & alia, quæ tanquam necessaria ad salutem obruduntur, carissimo precio redimere & mercari cogitur.

Sexta est cōmemorationum pro defunctis & anniuersariorū. Tum enim Plebani & Rurales, tanquam pecora campi, hinc inde oppidatim & pagatim circumcurfant, præsertim si diues quispiam defunctus sit, perinde ac si corui ad cadaver aduolant. Ac sæpè fit, ut in frequentibus vrribus grassante peste, vnus aliquis Sacerdoticus vno mane pro tribus, quatuor vel quinq. Missis precium accipiat, quas deinde vna vice simul absoluit, pro singulis tamen singulas Collectas inferens, per quas benefactoribus efficacia Missæ applicet. Interdum fit tantus est numerus conductorum, ut pro singulis

singulis singulæ Collectæ legi nequeant, comprehendit omnes simul communi quadam Collecta, cuius initium est: Deus venia.

Has & alias plures technas (quis enim omnes sigillatim enumeret?) excogitant Papistæ, donec prouentus Missæ ad se rapiant. Ac videtur sanè mihi apud Germanos Missæ nomen inde factum, quod sit Sacrificulorum mercatus & nundinatio, qua opes suas conquirunt, non aliter quàm Mercatores in Emporijs & Nundinis Francofordianis, Lipsicis, Northingensibus, &c. quæ Germanis Missæ dicuntur.

Quæ omnia cum ipso Sole clariora sint, tamè Faber adeò perfriatæ frontis est, ut dicat hæc esse naturali & diuino Iuri consentanea, nec esse Simoniam, sed stipendium suæ sustentationis. Contrà verò Patres, quos diximus, Hieronymus, Origenes, & Prosper vocant sacrilegium: affirmantq; hoc esse deuorare domos viduarum, & pauperibus quasi bolam ex faucibus eripere.

Patribus assentiuntur quoq; Decreta Pontificia, & Cœcilia. Sic Concilium Toletanum vndecimum, celebratum circa annū Domini 710. statuit Cap. 8. Quicquid inuisibilis gratiæ cōsolationi tribuitur, nunquam questu vel quibuslibet premijs venundari penitus debet, dicente Domino: Quod gratis accepistis, gratis date.

Respondet Faber: Christum nihil eo loco agere de externo ministerio Ecclesiæ, sed de gratia & donis spiritualibus, ut sunt, male affectos saluti restituere, dæmones expellere, & id genus alia. Verùm si hoc ita esset, tum neq; illa promissio ad Sacerdotes pertineret: quam Faber pro se & suis magnificè allegat: Dignus est operarius cibo suo. Cum enim dona sanationum in Ecclesia defuerint, cur deberetur ipsis cibus? Ger fol. 165-  
Lat. fol. 185-

Adde quòd ministeriū Euangelij æquè sine nostris meritis gratis accepimus, ac Apostoli dona faciendorum miraculorum. Itaq; Christus nos his verbis vult admonere nostræ indignitatis, & immense suæ misericordiæ, ut voluntariè & gratis Ecclesiæ seruiamus. Calua igitur est Fabri excusatio, & friuola, quam Simoniam suæ præterdit.



## QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

Durandus ante ducentos annos de auaritia sacerdotum graui-  
ter cōquestus est, in Rationali Diuinorum lib. 4. Parag. 2. Rub. 4.  
Sanè Moyses videns, quòd populus multa obrulisset, iussu præconi  
voce cantari, ne quis ultra offerret, Exodi 35. & 36. Nullus ta-  
men sacerdotum nostri temporis talia facere visus est.

Author libelli, qui inscribitur, stella Clericorum, dicit, sacerdo-  
tes Missam pro precio celebrantes, videri similes Iudæ dicentis:  
Quid vultis mihi dare, & ego tradam illum vobis? & iubet tales  
meminisse, quòd primus Domini sui venditor seipsum suspenderit.  
Mox inducit etiam Bernhardum ita dicentem: Dominus ait Pe-  
tro, Pasce, pasce. Non dicit, vende, vende, &c.

Vnde conficitur, eos qui Missam pro precio celebrant, aut aliàs  
suum in Missa lucrum quarit ant, non solum esse simoniacos, ve-  
rùm etiã sacrilegos, per quos veri pauperes tam corporibus quàm  
animabus negliguntur: atq; hos ociosos nebulones sudore & labore  
misere plebeculæ saginari, quemadmodum fuci ex alue aribus se-  
dularum apicularum labores surripiunt. Hæc iam de ijs dicta  
sunt, qui precium pro Missa accipiunt. Nunc audiamus etiam,  
quibus rationibus Faber excuset ipsos fundatores, probetq; pie &  
iuste illos agere, qui de bonis suis speciale quoddam Anniuersari-  
um, vel certas exequias & Missas pro defunctis cognatis procu-  
rent. Recenset autem ordine quatuor rationes.

Ger fol. 112.

Lat. fol. 118-

1. Ferendum esse, si pleriq; suos nummos in res infrugiferas  
profundant, aut ludendo dilapident.
2. Duodecim millia drachmarum Iudæ Machabæi.
3. Testimonia Patrum quorundam.
4. Necessitatem defunctorum, et fraternam charitatem id à no-  
bis efflagitare.

Primum, de duodecim millibus drachmarũ argenti Iudæ Macha-  
bæi, & cur veteres commemorationẽ defunctorum septimum, tri-  
cesimum & anniuersarium celebrarint, suprã in octauo errore Ca-  
nonis satis multa diximus, quò et nunc lectorem remittimus.

Deinde

Deinde, quod ait necesse esse, ut feramus multos bona sua inutiliter profundere, aut ludendo dilapidare, id prob dolor nimis quàm verum est. Nam in politica Magistratus, & in Oeconomia Patres familiàs necesse habent multa tolerare, quæ cuperēt, si possent, corrigere. Ea enim est carnis nostræ corruptio, ut legi Dei non possit subijci. Ad hæc, officium Magistratum et Parentum non latius se extendit, quàm ut malum ( quantum in se est, & quantum per leges licet ) puniant, honestatem verò promoueant, ornent et tueantur. Vt autem quis coram Deo iustificetur, solius Spiritus sancti opus est.

Ita Diuus ille Luc. 15. necesse habuit tolerare, perditum filium suam substantiam commessando, ludendo, scortando fœdissimè perdere & decoquere. Nec tamen filius propterea rectè fecit, longanimitate Patris sui tam diu abutens: fatetur enim postea ipsemet, se grauiter peccasse in cælum contra Deum, & in terra contra patrem.

Faber igitur prius probare debebat, rectè facere concoctores & dilapidatores bonorum suorum, si inde euincere vellet fundatores anniuersariorum rectè & piè facere. Alioquin hoc euincet tantum, inutilem & perditam pecuniam esse, quæ in anniuersaria impenditur. Nonne autem perridiculum est, quod Faber sanctissimam Missam suam super Concoctoribus, & Aleatoribus fundat, de quibus scriptum est, quòd qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt? Gal. 6.

Iam quòd necessitatem defunctorum & charitatem viuentium id efflagitare asserit, ut exequiæ & anniuersaria pro defunctis celebrentur, hîc demùm Papistis latissimum Rhetoricandi campum sese aperire videas. Adsunt enim Logodædali, ignem Purgatorium ita sufflantes & accendentes, ut vel audiens duntaxat sudare queat. Faber non segnîs istius ignis calefactor, ait hunc ignem grauiorem esse, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. Alij

Ger fol 132  
Lat. fol. 228

QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

dicunt, nostrum vulgarem ignem in his terris, esse instar depicti ignis, si conferatur cum igne Purgatorio. Alij aiunt nullum discrimen esse inter ignem infernalem & purgatorium, quàm quòd ille æternus sit, hic temporarius. Sunt qui lamentabiles voces & ploratus defunctorum, ex Purgatorio nos implorantium effingant: Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei. Non etiam nulli commemorant exempla defunctorum, qui apparuerint, et de gravitate pœnarum & cruciatuum Purgatorij querulari sint. Magister sententiarum lib. 4. Dist. 45. & post hunc Albertus Magnus de Officio Missæ cap. 16. Tract. 3. K. disertè affirmant, meliorem esse conditionem diuitis in Purgatorio, quàm pauperis, quia diues possit iuuari pluribus suffragijs, & celeriorè absolutio- nem consequi. Præter hæc omnia, docent & hoc, quòd omnes qui in hoc mundo non satisfecerint, illuc satisfacere cogantur. Quis autem gloriari potest, se pro peccatis suis satisfecisse? Itaq; Calesfactores isti vniuersos homines condemnant ad supplicium Purgatorij.

His & similibus verbis terrorem incutientibus, ita tangunt ac permouent corda eorum, qui recenti mœrore propter obitū charissimorum amicorum perturbati sunt, vt ex inimis visceribus commiserentur atq; compatiantur, cupiantq; illis subuenire, quibuscunq; possint modis. Quis enim tam inhumanus aut impius esset, qui non misellas animas suorum parentum, coniugis, liberorum &c. ex atrocissimis Purgatorij cruciatibus redimere cuperet, vel cum rei suæ familiaris dispendio & iactura maxima? Itaq; mirum est, Laicos vnum etiã agellum retinuisse, ac non dudū omnem suam substantiam in exequias & anniuersaria effudisse. Hoc illud fuit pecuniæ aucupium, quo falsò dicti spirituales acquisuerunt illos latissimos agrorū sulcos, illa amœnissima prata, sylvas, hortos, flumina, stagna, deniq; optimã ferè totius orbis terrarum partem.

Ger. fol. 132.

Lar. fol. 227. fundantur? Respondet Faber: Ex facultatibus siue à Deo præsti-

is, siue hereditate ad ipsos deuolutis. Equidem non nego, multos fuisse bonos & honestos, qui bona intentione Exequias & Anniuersaria fundauerint, de bonis legitimè & honestè partis, putauerintq; se Deo cultum gratum prestare. Quod quia ignorantes fecerunt, per incredulitatem, procul dubio misericordiam apud Deū adepti sunt. Sed interim negari non potest, plerasq; tales fundaciones de illegitimis & iniustis opibus factas esse. Nam si quis satis diu prædatus, fenerator, furatus esset, aut alijs rebus ac fraudibus per fas & nefas opes corrasisset, tandem in agone mortis fundacione Exequiarum & Anniuersariorum, se omnia præterita scelera deleturum esse sperauit: ut docet vulgatum Prouerbum, de furantibus equum, & Maria offerentibus obulum. Quid autem ad hæc sacra scriptura? Honora, inquit, Deum de TVA (non aliena & illegitima) substantia, Prouerb. 3. Et Esa. 61. Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum.

Alij nonnulli possident quidem bona sua bono & honesto titulo: sed adeo tenaces sunt & sordidi, ut ne terentiū quidem in honorem Dei impenderent: imminente autem hora mortis, incipiunt demum liberales fieri, & metu Purgatorij ad fundandas Exequias & Anniuersaria permouentur. Quid autem de istis diuina oracula indicant? Quare transgredimini, inquit Christus, præceptū Dei propter traditionem uestram? Math. 15. Et Paulus 2. Cor. 12. Non debent filij parentibus recondere, sed filijs parentes. Monachi uero & sacrificuli, cum sunt à confessionibus, heredibus defunctorum dicunt: Deo dicatum est, ad persoluendas exequias aut Anniuersarium, quod à parentibus hereditate obuenire tibi debuerat. Vnde septennero legitimi heredes, & clarissimæ familiæ, miserè defraudantur, spoliantur, & ad inopiam atq; squalorem rediguntur. Nonne hoc est deuorare domos uiduarum? Sed surdo fabula canitur. Venter enim Fabri & Sodalitij sui caret auribus: & iuxta Poëtæ dictum, Lucri bonus odor ex re qualibet.

Profecto

QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

Profecto si Faber tam deuote & sollicitè curaret salutem miserarum animarum, quàm curat fundationes exequiarum, & anniuersariorum, cum exemplo Zachæi Luca 19. diuites usurarios adhortaretur, vt si quid aliquem defraudassent, quadruplū redderent: aut si hoc commodè fieri non posset, facerent sibi amicos ex iniusto Mammona, dum adhuc essent in tempore gratiæ, vt si quando deficerent, reciperentur ab illis in æterna tabernacula. vel, vt ad sustentationum scholarum & ministerij ecclesiastici aliquid contribuerent. Nam qui hæc in terris ex vera fide faciunt, post mortem suam neq; exequijs neq; anniuersarijs indigent. Verùm illud non esset sacrificiis tam quæstuosum, & non faceret (quod aiunt) *πρόσ τὰ ἄδπια*. Ac mundus ipse vult decipi, vnde semper ad promouendos falsos & impios cultus promptior esse solet quàm ad pios & legitimos. Id quod ex vsitata formula fundationum liquido cognoscitur, quæ talis esse consuevit. N. N. in salutem animarum suarum, nec non & parentum, omniumq; maiorum & successorum suorum, & omnium fidelium defunctorum, legauerunt N. N. vt sacerdotes N. N. anniuersarium ipsorum diem perpetuis temporibus peragant, vesperi cum Placebo, manè verò cum vigilijs & officio pro defunctis. Qui verò priuatis diebus interesse non poterit, alium substituatur, aut sequenti die ipse missam suam compleat, ne defunctis fundatoribus debita suffragia decedant. Quod si non fecerint, nullam quoq; Præsentiam recipere præsumant, &c. Hinc merces illa pro Missa nomen Præsentia sortita est.

Equidè arbitror, neminè vsq; ad eò desipere, vt conetur miseris animas, quæ sunt spirituales substantiæ, et spiritali igni exuriantur, argèto & auro alijsq; terrenis opibus redimere (cū enim tanto calore ferueat Purgatoriu, certè oēs creaturas liquefaceret et consumeret.) Sed sciunt oēs, spirituale vitru, id est, preciiu redemptionis esse oportere, quod pro redemptione animarū ex purgatorio satis faciat.

Quare

Quare cum sacrificuli Missas suas tale videri esse debeant, ac nihilominus ex foundationibus precium & Præsentias pro ipsis accipiant, tam non possunt excusari à crimine simoniæ fundatores, tanquam emptores spiritualium bonorumquàm, non excusantur ipsi sacerdotes tanquam venditores. Nam Magister sententiarum in 4. Dist. 25. affirmat verosq; esse simoniacos, tam eos qui impreciablem gratiam precio conducere volunt, quàm istos qui pro ministerio sacro precium recipiunt.

Quæ omnia non ideo dico, ut hæredes non reddant ea, quæ à maioribus suis bona intentione pro Missis & Exequijs peragendis fundata sunt. Quod enim semel Deo dicatum est, à nemine priuata temeritate reuocari & abrogari debet. Sed admono Episcopos sui officij, ut ipsi tanquam Rectores Ecclesiarum has maiorū nostrorū fundaciones ad magis pios vsus conuertant, atq; corrigant. Sed hic verè cum Esaia conqueri possumus cap. 1. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Ideoq; omnibus pijs Magistratibus conuenit, ut in suis ditionibus clementer, pro officio, his malis medeantur. Ac primum liberent subditos à quotidianis istis exactionibus & rapinis Scolarum, Monachorum mendicantium & Stationariorum. Deinde fundaciones beneficiorum Ecclesiasticorum transferant ab idolatricis Missis ad sustentationem publici ministerij Ecclesiastici, fabricam templorum, Scholas, Anarium Pauperum, ut in primitiua Ecclesia factum est. Nec est quòd metuant, ne vltimam voluntatem & Testamentum fundatorum hac ratione violent. Non enim dubiū est, quin veteres suis fundacionibus & legatis, verum cultum Dei, quantum in ipsis esset, promouere & conseruare voluerint, ut ad posteros etiam sincera & incorrupta religio propagari posset. Sed miserè, proh dolor, circumuenti & decepti fuerunt. Missa enim non est verus & Deo acceptus cultus, qui ad edificationem Ecclesie pertineat. Debent autè pijs Magistratus

QVINTÆ CLASSIS DE IX. ERRORE

hoc officium Deo & Ecclesiæ, vt falsos cultus, quantum in ipsis est, aboleant, ac pios & puros cultus restaurent atq; defendant. Sed singuli Magistratus, etiam citra meam admonitionem agnoscent, quid sit sui officij, atq; ita se gerent, vt & Deo & sacris legibus probabilem muneris sui rationem reddere queant. Et hinc quidem refutationis nouem insignium in Canone errorum finis esto.

Iam verò præter ipsum Canonem, alia quoq; complura ad Misse sacrificium spectantia Gregorius Magnus concinnauit, imò verò compilauit: vt ex Pontificiorum Chronicorum historijs non obscure deprehenditur, & Faber ipse testatur.

Germ. fol. 167  
Lat. fol. 288.

Naucleus Generatione. 21. fol. 94. Hic (Gregorius Magn<sup>o</sup>) multa salubriter in Ecclesia constituit: quòd Introitus reiteretur, decreuit, ea ex re. Cum pro quodam defuncto ante annos 180. die anniuersario constituto in Ecclesia S. Petri celebraret Gregori<sup>o</sup>, & cantaretur Introitus: Requiem æternam dona eis Domine, audiuit vocem de cælo: Non faciam. Sed vir Deo deuotus putans illusionem esse, insit reincipere Requiem. Tunc rursus audiuit vocem: Non faciam, quia anima illius damnata est.

Platina de vita Gregorij. fol. 73. Eius quoq; inuentum est, vt post Introitum nouies Kyrieleyson caneretur, & Alleluia, interpositis Septuagesimæ diebus vsq; ad Pascha.

Innocentius 3. de Sacra. alta. myst. lib. 2. cap. 26. scribit Gregorium Collectas, Secretas & Complendas à Gelasio compositas, coadunasse, & congrua multa adiecisse.

Naucleus etiam Alleluia adscribit Gregorio. Generat. 20. fol. 90.

Iacobus de Voragine in vita Gregorij. Officium, inquit, & cantum Ecclesiasticum, nec non & Scholam Cantorum instituit.

Quanquàm autem repetitio Introitus & Kyrieleyson, & Alleluia, valde tædiosa & superstitiosa sit: tamen quia à Deo neq; præcepta neq; prohibita est, nec mutat primam institutionem cæne, potest tanquam adiaphoron liberè vel vsurpari vel omitti.

Collecta

Collectæ & Complendæ de tempore plarunq; sunt puræ & syn-  
ceræ, & habent omnes conditiones piæ orationis atq; Gratiarum  
actionis. Sed Collectæ de sanctis & pro defunctis, nec non Secretæ,  
quia Testamentum Christi commutant in sacrificium propiciato-  
riū pro viuis & defunctis, ac secretò & ignota lingua recitantur,  
confirmantq; inuocationem sanctorum, & stabiliunt figmentum  
Purgatorij, ideo sunt impiæ & idolatrica. Insuper vsus cœnæ tem-  
pore Gelasij fuit adhuc purior, quàm temporibus Gregorij.  
Proinde Gregorius preces Gelasij mutare quidem potuit, sed non  
corrige, aut meliores efficere. Frustra igitur se fatigat Faber,  
dum impias Collectas pijs quibusdam Collectis & puerilibus cere-  
monijs defendere sat agit.

Germ. fol. 110.  
Latin. fol. 122.

Author Fasciculi temporum atate 6. fol. 57. Item Nauclerus.  
Gene. 20. fol 90. Gregorius, postquàm mala præteritorum tempo-  
rum sub eo paulatim quieuisserent, totum officium Ecclesiasticum,  
stylo pulchriori, ordinatiori & compendiosiori modo renouando  
composuit.

Equidem Gregorium Missæ officium renouasse, non imus infi-  
cias: quomodo autem id emendauerit, hætenus in sexta Centu-  
ria plus satis audiuius. Etsi autem totum corpus Missæ Grego-  
rianæ, cum omnibus suis membris refertum sit erroribus, multo  
tamen modestius egit Gregorius, quàm successores sui. Neminem  
enim coëgit iurare in formam Romanam, sicut ipse testatur in E-  
pistola quadam ad Augustinum Anglorum Episcopum, varias  
esse Ecclesiarum in peragendis sacris mysterijs consuetudines, at-  
tamen in cuiusq; situm arbitrio, quam quisq; sequatur. Successores  
autem eius, Pape Romani, Missam Gregorianam omnibus Ec-  
clesijs Occidentibus, per vim & fraudem obtruserunt.

Ad quam Missam stabiliendam, præter illam de duobus Mis-  
salibus, Ambrosiano & Gregoriano, fabulam, quam suprâ recita-  
uim', confinxerunt & aliã multo crassiorẽ, quam vocarunt Reue-  
lationem



QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE

lationem sancti Gregorij. Aiunt enim Gregorio Romæ Missam magna deuotione celebranti, Christum sese reuelasse cum sua cruce, flagellatum & coronatum, & cum omnibus instrumentis passionis suæ, videlicet Lancea, Corona, Flagellis, Virgis, Scalis, Clauis, Malleis, & cum infestissimis suis hostibus, Caipha, Anna, Pilato, Herode, Iudæis ac Ethnicis, nec non cum discipulis suis, & cum primis Petro, sublatis digitis Christum abnegante, cumq; gallo, & cum Iuda deniq; eiusq; loculis. Hanc reuelationem in optimam partem pro commendatione Missæ interpretantur, quasi Christus significare voluerit, Missam sibi egregie placere, vtpotè in qua passio eius consideretur, & memoria ipsius conseruetur. Vnde passim ob oculos pingunt istam reuelationem, & peculiare indulgentias largiuntur ijs, qui ante hanc picturam prostrati quotidie in quinq; vulnera Christi orent quinq; Pater noster, & quinq; Ave Maria.

Ego sanè tam reuelationem Gregorij quàm interpretationem eius fabulosam & mendacem iudico. Sed esto, verè facta sit hæc apparitio, tamen est muta duntaxat visio, cuius significationem Deus ipse nõ exposuit. Non est autem cuiusuis, visiones & somnia interpretari: sed Deus est in cælo, reuelans mysteria. Dan. 2. Itaq; in tali causa diligenter attendendum est, verum visio & interpretatio eius sit ex Deo, nec ne. Hæc autem est certa iudicij regula & norma: Si opus significationis cum verbo Dei consentiat, tum visio siue reuelatio verè est signum gratiæ. Sin verò opus significationis à verbo Dei dissentiat, tum apparitio illa est signum iræ & inclementiæ.

Quandoquidem ergò Papistæ reuelationem Gregorij interpretantur de sacrificio Missæ, quòd sit cultus Deo gratissimus: Missa verò omnibus modis verbo Dei aduersatur, & horrenda coram Deo est abominatio: certum est, Papistarum interpretationem esse falsam, nec esse signum gratiæ, sed terribile signum iræ diuinæ.

Reuelat

Reuelat enim Christus sese, fœdissimè cruciatū & laceratum, inter medios illusores, indices, latrones & Apostatas discipulos, quasi dicit Gregorio: Si mandatum meum de Sacramento in sacrificio Missæ legitimè seruaretur, ego cum angelis meis læto & sereno vultu adstarem. Tu verò in sacrificio Missæ talem paras Tragediam, in qua ego rursus ignominiosè crucifigor, & in manus hostium meorum trador: atq; institutio Cœnæ meæ impiè violatur. Nam vbi contra mandatum Christi agitur, vt in Papiistica Missa fieri solet, ibi certè Angeli & sancti adesse non possunt: Sed adsunt hostes Christi, Hannas, Caiphas, Scribæ, Pharisei, Pilatus, Herodes, Iudæorum atq; Ethnicorum serui & satellites. Etsi enim hi iam dudum sint mortui, tamen sodales ipsorum, hoc est, similes nebulones quotidie adstāt altari & Missæ, Christum de integro illudentes & crucifigentes. Adstāt & Iudas, non postremus inter Episcopos, cum suis loculis. Nisi enim Pontificij loculos Iudæ tantoperè amarent, non paulò minor esset Missarum numerus, vt in Nono errore Canonis dictum fuit.

Et quanquàm Petrus ac reliqui Apostoli in hac reuelatione etiam appareant, tamè non adsunt vt Apostoli & confessores Christi, sed (quales tum erant) vt Apostata & abnegatores Christi. Adstāt enim Petrus sublatis in altum digitis, deierans se Christum non nouisse.

En hæc est vera interpretatio reuelationis Gregorij, & planè analogâ fidei, in qua nobis abominatio Missatici sacrificij tam scitè affabreq; depicta est, vt nullo penicillo aptius accuratiusq; depingi possit. Quia autem Papiistæ (vt omnes impij assolent) hæc & alia signa in suū cōmodum interpretantur, & magna securitate dicunt, Pax, pax, non expauescentes horrendam iram Dei, quæ talibus signis portenditur: admonitū te volo, Christiane lector, vt quoties sacrificium Missæ spectas, statim tibi in mentem veniat reuelatio Christi, ac certò statuas Christum, sicut miserrimè excruciatum

## QVINTÆ CLASSIS, DE IX. ERRORE.

Gregorio apparuit, ita quotidie in Missa flagellari, illudi, crucifigi. Proinde nisi perfidè Christum negare velis, procul procul hanc abominandam Idolatriam fugito.

Ger fol 167.  
Lat fol. 28g.

At Gregorius, inquit Faber, eruditione & sanctitate admodùm insignis, itemq̃ miraculis clarus exiit. Num tu illum errasse, & tantæ abominationis authorem fuisse dices?

Equidem Gregorium, quantum ad personã eius attinet, iudico sanctiorem & doctiorem omnibus alijs Pontificibus, qui post ipsum Romanam tenuere cathedram. Ardens enim fuit ipsius zelus pro Ecclesia, ut scriptis testatum reliquit. Cum primis autem hac in parte præ cunctis successoribus suis laudandus est, quod Titulum Oecumenici Episcopi respuit, ac omnium primus, seruus seruorum appellari voluit. In Registro parte 7. Epist. 30. Ac magnopere dolendum est, ipsum non in meliora tempora incidisse. Nam circiter illius tempora quassatum est Imperium ducentis continuis annis, barbarum gentium incursionibus & bellis truculentissimis: & vna cum barbarie creuerunt superstitiones & idolomania, quas partim Gregorius auctoritate pollens confirmavit, partim successores sub nomine Gregorij cumularunt. Nam verisimile est, Papislas multos errores Gregorio tribuere, quos si in viuis esset, nequaquam pro suis agnosceret. Voluit profecto opera sua prodesse Ecclesie (ut scripta eius testantur) & luxit sua ætate tanquam luminare in mundo, in medio nationis prauæ ac tortuosæ.

Sed in hac sexta Centuria nõ disputamus de sanctitate & eruditione Gregorij, sed de veritate sacrosancti verbi Dei, ac præsertim de vero vsu & abusu Cœnæ Dominicæ. Christus autem 600. annis ante Gregorium verbo suo patefecit nobis, quis sit verus & legitimus vsus Cœnæ suæ, videlicet, ut cum pane & vino corpus ac sanguinem ipsius edamus atq; bibamus, in sui commemorationem. Cui cum Reuelatio ista & ordinatio Missæ, quæ Gregorio adscribitur, manifestè repugnet, sequenda nobis est Reuelatio & ordi-  
natio

natio Christi, in cuius nomē baptizati sumus, neglecta reuelatione Gregorij, quantacunq; tandem sanctitate & eruditione polluerit. Nam & sancti interdum labuntur & errant. Ac monēt nos sacræ literæ, ne in negotijs religionis personā respiciamus, sed solum verbum Dei, vt Centuria prima demonstrauiamus.

Quid si Gregorius quoq; ex eorum numero esset, qui supra fundamentum superstruūt ligna, fœnum, stipulas, donec fideles probentur, & ingrati iusto iudicio Dei in errorem seducātur? For san hæc stramine a structura Gregorio in igne tentationis liquefacta & consumpta est. Crede mihi, mirabilis est Dominus in sanctis suis, & iudicia eius sunt inscrutabilia. Quapropter quæcunq; in hac sexta Centuria de Gregorio scripsi, ea non contra personam ipsius dicta intellectuâ volo: sed duntaxat contra sacrificium Missæ, & errores huic adiunctos, qui à Pontificijs Gregorio tribuuntur.

Atq; hæc de Patribus sextæ Centuriæ, in qua abominationem Missæ Papiſticæ cum Deo tum hominibus intolerabilem refutauimus, hæcenus dixisse sufficiat.

## CENTURIA septima.

Constitueram quidem, studiose Lector, deinceps etiã vsq; ad finē libri copiosam historiã Missæ, per singulas Centurias (vt hæcenus feceram) pertexere: & nō minus Pontificiorū Scriptorum, quàm Patrum testimonijs, conuincere, sacram Christi Cœnam non esse sacrificium Missaticum, sed communem dispensationem corporis ac sanguinis eius sub vtraq; specie. Sed quia liber præter meam expectationem inter manus creuit, & iam antea in sex superioribus Centurijs non semel Papiſtici authores allegati sunt, Missa quoq; Euangelica satis superq; confirmata, Papiſtica verò confutata est: nolo lectorem molesta prolixitate obtrudere,

## CONTRA SACRIFICIUM MIS. ET

obtundere, & eadem sepius vsq. ad fastidium ingerere, ne Cramben (quod aiunt) cum tædio posuisse, & facilitate lectoris abusus esse videar. Veruntamen, ut lectori occasionem præbeam, plura de his & cogitandi, & legendi, ex singulis Centurijs paucos quosdam proferam, si quando de cæna Domini vel sacrificio Missæ, & cognatis erroribus, tolerabilius scripserunt, quam Faber cum suo soldalicio.

De sacrificio pro viuis & mortuis, atq. alijs quibusdam Missæ partibus, ferè omnes scriptores Gregorium secuti (paucis exceptis) vsq. ad hæc nostra tempora propè vno & eodem modo scripserunt. Itaq. quod in superioribus Fabro respondi, idem & ipsis dictum volo. Quantum verò ad veramq. speciem Sacramenti, & coniugium sacerdotum attinet, subinde aliquos in Ecclesia Heroas excitauit Dominus, qui & prohibitionem coniugij sacerdotum oppugnarunt, & vnanimiter testati sunt, veramq. speciem Sacramenti in multis Ecclesijs liberam permansisse, vsq. ad Concilium Constantiense, quod ante annos 138. celebratum fuit.

Faber ipse ex hac septima Centuria duos Doctores citat, Bedam & Damascenum. Sed tanta est hominis cæcitas, ut non videat se ipsorum testimonijs magis onerari quàm subleuari.

BEDA enim, qui vixit circa annum Domini 720. restatur sua ætate Sacramentum laicis sub vtraq. specie exhibitum fuisse. Sic enim inquit in Homilia, super verba Euangelij: vidit Ioannes Iesum venientem ad se: Lauat nos Christus à peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in Sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transferatur. Sic corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur & occiditur: sed fidelium ore suam sumitur in salutem.

DAMAS-

DAMASCENVS qui vixit anno Domini 730. lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 14. An non potest Dominus panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem? Dixit Deus: Hoc est corpus meum, & hic meus est sanguis, & omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur.

Et mox. Interrogas, quomodo panis sit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego: spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam, panis autem & vinum transsumuntur. Novit enim Deus humanam infirmitatem, quod complura vsu non trita auersatur, moleste ferens. Assueto igitur condescensu vsus per consuetam naturam, ea facit, quæ sunt super naturam.

Quid obsecro de vtraque specie Sacramenti contra Missam Fabri clarius dici posset, quàm quod Beda & Damascenus dicunt?

## CENTVRIA

octaua.

D Vos quoque huius Centuria scriptores Faber allegat: Rabanum, qui vixit circa annum Domini 830. & Pascasium, anno Domini 881. Quorum tamen vterque fatetur, suis temporibus vtramque Sacramenti speciem adhuc in vsu fuisse.

RABANVS lib. de Corpore & sanguine Domini cap. 28. Planè aqua in sanguine quare misceatur, illa permaximè causa est, quia de latere Christi, vbi passio completur, sanguis pariter & aqua manavit &c.

Idem de Institutione Clericorum lib. 1. cap. 33. Aqua & vinum in calice monstrant Sacramenta, quæ de latere Domini in cruce fluxerunt, quibus nos potari sumus.

Etsi autem Rabanus his verbis probare vult, aquam vino admiscendam esse in calice: tamen simul & hoc fatetur, fideles sanguinem

## CONTRA VNAM SPECIEM

guinem Christi bibere ex calice. Non dicit cum Fabro, sanguinem Christi vnâ cum eius corpore sub specie panis edi atq; bibi.

PASCHASIVS lib. de Eucharist. cap. 15. Quapropter ô homo quotiescunq; bibis hunc calicem, non alium te sanguinem patres bibere, quàm qui pro te & pro omnib<sup>9</sup> effusus est in remissionē peccatorū. Vnde sicut in remissionē fusus & tradit<sup>9</sup> est peccatorum, ita adhuc hodie in remissionem putatur & comeditur delictorum.

Et ne Faber hæc verba ad solos Consecrantes referat, Pascasius seipsum eodem capite explicat, his verbis: Similiter & calicem porrigit eis, dicens: Accipite & bibite ex hoc OMNES, tam ministri, quàm RELIQVI CREDENTES.

## CENTVRIA

nona.

**A**Nno Domini 900. claruit S. Vdalricus Episcopus Augustanus. Eo tempore Pontifex Romæ erat, Nicolaus prim<sup>9</sup> quem Regino celebris Chronicus magnoperè commendat, præ omnib<sup>9</sup> reliquis Pontificibus Gregorium secutus. Is Edictum promulgauit, vt omnes Clerici absq; coniugio calibes viuerent. Huic impio Edicto acerrimè restitit Vdalricus, & scriptis prolixis literis ad Nicolaum Papam, conuicit tam sacrarum literarū quàm Patrum & Conciliorum testimonijs, Edictum istud esse impium, iniustum, & periculosum. Inter cætera autem hanc tristissimam historiam recitat: Sunt, inquit, aliqui, qui S. Gregorium suæ sectæ sumunt adiutorium: quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim, quòd periculosum huius hæresis decretum à sancto Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu, postmodum ab eodem sit purgatum. Quippè, cum die quadam in viuarium suum propter pisces misisset, & allata inde plusquam sex millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentiæ, ingemuit:

ingenuit : & factum à se de Celibatu Decretum, tantæ cædis causam confessus, condigno illud (vt dixi) pœnitentiæ fructu purgavit, suoq; Decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudavit Consilium : Melius est nubere quam vri. Addens ex sua parte : Melius est nubere, quam mortis occasionem præbere.

Ec mox infert Vdalricus : Cesset ergo sanctitas tua cogere, quos tantum deberes admonere, ne priuato (quod absit) præcepto, tam veteri quam nouo contrarius inueniaris Testamento. Hæc S. Vdalricus.

Hoc testimonium Vdalrici propter multas causas adscribere volui. Primum, quia Faber neminem admittit ad Sacerdotale officium Missæ, nisi prius ritè sit ordinatus. Porrò inter cætera hoc etiam suffraganei imponunt Ordinandis, vt sint & maneant cælibes. Ex hac autem Epistola S. Vlrici discimus, Sacerdotes Germanicos nongentis annis post Christum vixisse in coniugio, & Vlicum hanc libertatè defendisse retinuisseq; ultra centum annos, contra Decretum Pontificis, sicut mox in decima Centuria sequetur.

Secundò, ingenuè fatetur Vlicus, Papam & suam sectam, que Sacerdotibus coniugium prohibeat, non parum errare. Faber autem contrà dicit, Ecclesiam Romanam & successores Petri non posse errare. Absit autem vt Vlicus mentiatur. Nisi enim sanctus vir Dei fuisset, certè humus & gleba de sepulchro eius non expellerent glires : quas glebas Fratres S. Vlrici Augustæ magno precio vendiderunt, & certis literis confirmarunt, quòd sint certissimum ac presentissimum ad expellendos glires antidotum.

Tercio, Cum Faber iactet se esse concionatorem in ea ipsa Ecclesia, in qua & S. Vdalricus concionandi munus obiit (tum enim Episcopi non erant Principes, sed Concionatores) meritò debebat ipsè vestigijs insistere, & non solum Tyrannico Edicto Pontificis de Celibatu sacerdoti, alijsq; errorib; cõtradicere, sed etiã alijs in exemplum castam vitam ducere. Qualis autè sit ipsius & Frater colorum castitas, malo ex vicinis eorum, quam ex me audiri & cognosci.



## CONTRA COELIBATVM

Quarto, Cùm Faber magnificè gloriatur, S. Vlricum in inclya vrbe Augustana prædicasse verbum Dei, en tibi partem prædicationis S. Vlrici: quam si cum doctrina & vita Fabri contuleris, videbis non minus inter se pugnare, quàm album & nigrum.

HAYMO Archiepiscopus Halberstattensis, qui floruit Anno Domini. 970. multis in locis testatur, Sacramentum suæ ætate sub vtrâq; specie exhibitum fuisse. Vt. super verba hæc Iohan. 1. Ecce agnus Dei. Et Iohan. 2. Super Euangelion de nuptijs in Cana Galilææ. Et rursus Matth. 16. super Euangelion, Tunc venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, &c.

## CENTVRIA.

decima.

**A**Nno Domini 104. annis circiter 130. post Nicolai primum, Gregorius septimus, antea Hildebrandus dictus, Pontificatum iniit. Is legem Nicolai 1. de cœlibatu Sacerdotum repetiuit, & passim iniusta crudelitate Clericus eam obrusit. Qua de re satis diligenter scripsit LAMPERTVS Schaffnaburgensis, non indoctus Monachus Herfeldensis, Moguntinensis Diœcesis, qui vixit temporibus monstri istius, Gregorij septimi. & post hunc Nauclerus Genealogia 36. fol. 160. sed adscribam integram historiam.

Gregorius eius nominis septimus, natione Tuscus, Monachus Cluniacensis, Hildebrandus antea dictus, sub Henrico 4. Pontificatum iniit. Dedit literas suas ad Otthonem, Episcopum Constantiensem, præcipiens, vt in sua Diœcesi coniugium prohiberet adhuc inconiugatis: & vt inter coniugatos, coniugij vincula rescinderet. Ottho Episcopus satis impie hoc moliri Hildebrandum sciens, nec sacerdotum coniugia dirimere, nec inconiugatis potestatem ineundi connubij adimere voluit. Pontifex Otthonem anathemate petiit, & ne subditi ei obedientiam præstaret, vetuit, Otthoniq; diem dixit Romæ in Synodo.

In ca

In ea Synodo Hildebrandus Pontifex cum Italiæ Episcopis  
 audacter statuit ( vt pluraq; alia ) ne sacerdotes in futurũ vxores  
 ducerent: & qui dũxissent, statim aut dimitteret, aut amoueren-  
 tur ab Ecclesiasticis officijs: nullosq; recipiendos esse in sacerdotia-  
 lem ordinem, nisi prius iurarent perpetuam cœlibem vitam, & con-  
 tinentiam. Decretum de cœlibatu Sacerdotũ per Italiam ( soluta  
 Synodo ) inuulgatur, præcipiturq; passim Episcopis omnibus, vt  
 idem Decretũ apud suos exequatur. Galliæ Episcopi literis Pon-  
 tificijs perpelluntur obedire promulgato Decreto Romanæ Synodi:  
 Cæterus verò Clericorum, maxime in Rhenanis partibus, infracto  
 animo, Pontificio Decreto, & Episcoporũ suorum votis obfistunt,  
 clamantq; Synodũ cum verbo Dei pugnare, & Pontificẽ id auferre  
 Sacerdotibus, quod natura & Deus concessit: eumq; hominem hæ-  
 reticum, impij dogmatis authorem esse, suggerente non spiritu  
 sancto, sed Sathana. Pugnare Edictum cœtra Christi verbum: Non  
 omnes capiunt hoc verbum: contra Pauli sanã doctrinam: De vir-  
 ginitate præceptum Domini non habeo. Et qui non continet, con-  
 trahat matrimonium. Est & contra Nicæni Concilij & Apostolo-  
 rum Canones. Queruntur Pontificẽ etiã cœtra nature cursum exi-  
 gere ab hominibus, vt à contubernio mulierũ semoti, angelorum  
 more viuant: eumq; aperire fores ad immundiciẽ & scortationem.  
 Non cessant occlamare, responso dato, se malle sacerdotiũ amittere,  
 quàm contra Christi verbum suas vxores dimittere: & si coniugati  
 sacerdotes Pontifici sorderent, euocaret è cœlo angelos, qui Eccle-  
 sijs suis præsent.

Pontifex nihil permotus honestis rationibus, & autoritate  
 sacræ scripturæ, & sancti Nicæni Concilij constitutione, frequenti-  
 bus literis, assiduisq; legationibus sollicitat Episcoporum animos,  
 accusat ignauia & socordia, minatur Anathematis diras, nisi  
 cõegerint suos sacerdotes emisso decreto obedire. Bona pars Episco-  
 porum tyrannide Pontificia territa, omnibus modis dederunt ope-

## CONTRA CAELIBATVM

ram, vt suos sacerdotes perpetuo priuarent coniugij iure.

Archiepiscopus Moguntinus animaduertens, operam eam de tollendo coniugio sacerdotum non constituram paruo, de Pontificio Decreto suos admonuit amice: ac dimidiū anni inducias dedit eis deliberandi super ea re, diligenter monens, vt obedirent Romano Pontifici & sibi, & vt plerū facerent, quod necessariū & ineuitabilius esset faciendum, ne cogeretur ille seuiora consilia aduersus eos inire.

Deliberationis tempore ex acto, Archiepiscopus Synodi indixit Clero in Erfordt, mense Octobri, iussitq; vt iuxta Pontificium decretum coniugium perpetuū vel abiurarent, vel abdicarent se Ecclesiasticis officijs. Clerus tuebatur se contra Hildebrandi decretū scripturis, rationibus, Conciliorū sententijs, Maiorum exemplis, multis irrefragabilibus argumentis, ostendens Pontificij Synodi decretum irritum haberi debere. Sed cum Archiepiscopus diceret, se compelli à Pontifice, nec posse aliud nunc quàm Pontificia iussa exequi, Clerus videns, neq; disputationi, neq; precibus locum esse apud Episcopum, tanquàm consulturi de proposita controuersia, ineunt Consilium. Quidam statuunt non esse redeundum in eam Synodum: alij aiunt regrediendum esse in Synodum, & Archiepiscopum è Cathedra deturbatum, morte benè merita plectendum, vt insigne mumentum ad posteros istiusmodi cædis transmitterent: vtq; eo exemplo successores omnes docerētur, ne temerè Sacerdotes suo iure & libertate spoliarent. Auscultatores, quos habuit Episcopus in ea turba, referunt ei, quid egressi machinentur. Episcopus ad reprimendas subortas turbas, mittit suos ad egressos Sacerdotes, qui iubeant eos de Episcopo optima sperare, & redire in Synodum quieto animo. Persuasi, in Synodum regrediuntur. Episcopus pollicetur se daturum operam, vt Pontificem Romanum ab ea sententia abducat, iubens interim vt sua officia carent.

Anno sequēte, Moguntinensis, iubente Curiensi Episcopo (quem Pontifex

Pontifex cum suis literis & mandatis ad eum miserat) Synodum Moguntia congregat. In eo Synodo Clero precipit sub anathematis pœna, vt vel vxoribus, vel sacris officijs in prasente Synodo in perpetuum renunciarent.

Clerus causam suam dixit constanter. Cum verò defensionem non daretur locus, sed cogentur tantum Pontificia Tyrāide, coorta est seditio, & tanto impetu res est acta, vt Legatus Pontificis cum Archiepiscopo in extremum vitæ discrimen venerit. Synodus soluta est. Archiepiscopus rei difficultate superatus, temperavit sibi ab aditi Decreti questione: & commisit Rom. Pontifici negotium, vt vellet ac posset, exequendum. Vide Nauclerum loco supra citato.

Hanc historiam idè tam prolixè narraui, vt videas, non solum Sacerdotes Germanicos, verum etiam nonnullos Episcopos eorum, Pontificio Decreto, de celibatu Sacerdotum, restitisse, & ultra mille annos post natum Christum coniuges suas retinuisse. Quas fronte ergò Faber affirmare audet, Sacrificium Missæ, vt his temporibus ab inconiugatis & impuris Monachis ac sacrificulis celebratur, ab ipsis Apostolis & patribus originem suam trahero?

Nam si Missa tam sacrosancta res est, vt eam non nisi puris tractare liceat, Coniugium autem tam impurum sit, vt qui in illo viuant, Deo placere non possint, multò minus Missas celebrare (vt Pontificia Decreta rugiunt, Disc. 28. Decernimus & proposuisti) quomodo Germanici Sacerdotes ante quingentos annos talem Missam celebrassent, qualis hodie in Romanensi Ecclesia celebratur, cum certum sit ex historijs, eos tum fuisse coniuges?

RUPERTVS Tuicensis Abbas, qui vixit anno Domini, multis in locis testatur, Christum suam Cœnam sub vtraq; specie instituisse: & hunc morem in Ecclesia vsq; ad sua tempora obseruatum esse. In Matth. cap. 27. In Iohan. cap. 6. De officijs diuinit lib. 2. cap. 9. & lib. 6. cap. 22.

CONTRA VNAM SPECIEM

CENTVRIA

vndecima.

**S** BERNHARDVS claruit anno Domini 1100. Is in Psal. 90. Qui habitat. Sermone 9. ita scribit: Qui parcè se-  
minat, non quidem non metet, sed parcè metet. Nempè qui me-  
rit, mercedem accipit. Et scimus quis promisit, ne eum quidem,  
qui pro nomine suo calicem aquæ frigida dederit sitienti, mercede  
propria cariturum. Num quid tamen in qua mensura mensus fu-  
erit, sibi quoq; remetietur. Aut in retributione æquabitur ei, qui  
non aquam porrigens, sed sanguinem fundens propinatum sibi bi-  
berit calicem saluatoris. Non est hic calix aquæ frigida, sed  
calix inebrians quàm præclarus, calix vini meri, & quidem ple-  
nus mixto. Solus enim merum habuit vinum Dominus meus  
Iesus.

Similia scribit Sermone 3. de Domini Ramis Palmarum. Item,  
Sermone 2. de cœna Domini, cuius initium est: Panis angelorū.  
Item, Sermone 3. super Cantica.

In hac Centuria, circiter annum Christi 1160. simul vixerunt  
duo doctissimi viri, & , vt quidam volunt, fratres germani:  
**GRATIANS & PETRVS LONGOBAR-**  
**DVS.** Gratianus tum ex Patribus, tum ex Pontificum Consti-  
tutionibus, Decretum compilauit: quod Ius Canonicum dicitur,  
& apud Papistas propemodum maiorem authoritatem obtinet,  
quàm ipsa sacra Biblia. Petrus verò Longobardus, sententijs Patrū  
de præcipuis locis Christianæ religionis, congesit: ac operi titulum  
fecit, Liber sententiarum. Quinquàm autem hi duo scriptores  
accuratissimè descripserint omnia ea quæ ad Missam pertinent,  
tamen ne vna quidem literula in scriptis eorum inuenitur, de vna  
specie Sacramenti, & de periculis in effusione calicis ( nisi quod  
discipuli

discipuli & successores eorum, Canonista ac Sententiarij confictis suis glossulis infarserunt.) Sed expresse fatentur, à Christo institutam esse utramq; & panis & vini speciem: & ad sua usq; tempora in Romana Ecclesia usitatum fuisse. Certè si eo tempore ulla fuisset mota questio de vna specie panis, & periculis effusionis, nequaquam subtricusset, cum adeo exactè et scrupulosè alias quæstiones de Missa discusserint. Porrò quæ Gratianus ex Canonib; Romanorū Pontificum, Iulij, Gelasij & Gregorij Magni de utraq; specie scribit, ea superioribus Centurijs inseruimus. Nunc quasi de superfluo vnum aut alterum duntaxat Canonem de utraq; Sacramenti specie ex Gratiano audiamus.

De Consecra. Dist. 2. Ca. Tunc eis Petrus: ex verbis Augustini, De vtilitate agendæ pœnitentiæ: Tunc eis Petrus annuntiavit, eum colendum, quem crucifixerunt, vt eius sanguinem biberet credentes, quem fuderunt scipientes.

Et ibidem. Augustinus in psal. 33. Verè magnus Dominus, & misericordia eius vera, qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere.

Item ex Psal. 75. Ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.

Quid multis? Gratianus plus quàm vicesies meminit, Christum discipulis suis utramq; speciem instituisse, eamq; in usu Romanæ Ecclesiæ usq; ad suam ætatem permansisse. Sed ne semel quidem vnius speciei panis, aut interdicti calicis meminit.

Magister Sententiarum in 4. Dist. 11. Sed quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? Vt ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse, vt totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam.

Et mox: Ideo ergò in duabus speciebus celebratur, vt animæ & carnis susceptio in Christo, & veriusq; liberatio in nobis significetur.

## CONTRA VNAM SPECIEM

Sacrificium autem Missæ, non esse propitiatorium sed tantummodo commemoratiuum Sacrificium affirmat, in 4. Dist. 12. Post hoc, inquit, quaritur, si quod gerit Sacerdos, proprie dicatur Sacrificium vel immolatio. Et si Christus quotidie immoletur, vel semel tantum immolatus sit? Ad hoc breuiter dici potest. Illud quod offertur & consecratur à Sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia MEMORIA est & REPRESENTATIO veri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et SEMEL Christus mortuus in cruce est, ibiq; immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in Sacramento. Quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est SEMEL, &c. Hinc veteres dixerunt: Christus semel immolatur in crucis ara, sed hinc memoratur eius mors amara.

## CENTVRIADVO. decima.

**T**homas Aquinas, qui floruit anno Domini 1280. In Summa sua, parte 3. quæst. 80. Articulo 12. Ad perfectionem huius Sacramenti concurrat manducatio & potatio sanguinis, vt supra habitum est. Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit Sacramentum imperfectum. Ex parte tamen sumentium requiritur summa reuerentia & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad iniuriam tanti mysterij, quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem, si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crescente multitudine populi Christiani, in qua continentur senes, & iuuenes, & paruuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circa vsus huius Sacramenti adhiberent, ideo provide in QVIBUSDAM Ecclesijs obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solum à Sacerdote sumatur.

Thomas

Thomas Aquinas in quartum Sententiarū. Dist. 11. quest. 2. art. 1. q. 1. Populo non datur sanguis propter periculum, quia vna gutta sanguinis citius laberetur, quam aliqua particula corporis. Vnde ministris altaris secundum consuetudinem aliquorum datur participatio sanguinis. De quibus præsumitur, quòd in talibus magis sint cauti.

His verbis fatetur Aquinas, sua etiam ætate non tantum ministros altaris, vt Diaconos, Subdiaconos, Acolutos, &c. Sed etiam integras quasdam Ecclesias Sacramentum sub vtraq; specie accepisse. Et quamuis aliquas Ecclesias laudet, quæ propter periculum effusionis calicem Laicis non præbeant: tamen interim alias Ecclesias non reprehendit neq; damnat, quæ cum reuerentia & cautela Laicis calicem porrigunt. Nam disertè ponit, vnam speciem in QVIBVSDAM Ecclesijs, non in omnibus, accipi. Et rursus secundum consuetudinem ALIQVORVM, non omnium.

Iodocus Clitovæus in Elucidario Theologico testatur, S. Thomam Aquinatem, petente id Papa Urbano IIII. totum officium Ecclesiæ de Festo corporis Christi ordinasse, sub quo comprehenditur & Hymnus ille, cuius initium est: Sacris solennijs. Cuius Hymni versus quartus & quintus ita sonant: Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum, dicens: accipite quod trado vasculum, omnes ex eo bibite. Sic sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, vt sument & dent cæteris.

Et in Hymno: Verbum supernum prodiens. Versu 3. Quibus sub bina specie carnem dedit & sanguinem, vt duplicis substantiæ totum cibaret hominem.

Idem Aquinas Missam non expiatorium, sed commemoratiuū & representatiuum sacrificiū esse docet. In Summa sua, Parte 3. quest. 83. Hoc Sacramentū, inquit, est representatiuum Dominicæ



CONTRA VNAM SPECIEM

passionis. Dicit enim Augustinus super Psal. Quotiescunq; Pascha celebratur, numquid toties Christus occiditur? Sed tamen anniuersaria recordatio representat, quod olim factum est: & sic nos facit moueri tanquam videamus Dominum presentem in cruce.

Et parte 3. quest. 73. Ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquod representatiuum Dominice Passionis, cuius in veteri quidem Testamento precipuum Sacramentum erat agnus Paschalis. Vnde & Apostolus dicit 1. Cor. 5. Pascha nostra immolatus est Christus. Successit autem ei in nouo testamento Eucharistia Sacramentum, quod est rememoriuum preterite passionis, sicut & illud fuit prefiguratiuum futurae. Et ideo conueniens fuit, vt imminente passione, celebrato priori Sacramento, nouum Sacramentum institueret. Vnde Leo Papa dicit: Quod vbi vmbrae cederent corpori, antiqua obseruantia nouo excluditur Sacramento. Hostia in hostiam transit, sanguine sanguis auferitur, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.

Annis decem, vel circiter, post Thomam, vixit BONAVENTURA, eruditus Monachus ordinis Minoritarum. Is in lib. 4. Sententiarum, Dist. 12. sic ait: In Sacramento hoc duo sunt consideranda: Efficacia & Signantia: Esse igitur de integritate Sacramenti, dupliciter est: Aut quantum ad efficaciam, & sic qualibet pars est totum quod habet efficaciam. Aut quantum ad signationem vel significantiam: et sic ambae species sunt de integritate huius Sacramenti, quia neutra res huius Sacramenti per se exprimitur, sed in vtraq; simul.

In hac quoq; Centuria vixit GVILHELMVS DVRANDI, Episcopus Miniatus, Anno Domini 1285. Is in Rationali diuinorum sapientissime fatetur, Christum instituisse Sacramentum sub vtraq; specie, et sic in prima ecclesia obseruatum esse: et vna duntaxat specie non esse integrum & perfectum Sacramentum. Sed audiamus vnum & alterum huius authoris testimonium. Lib. 4. Parte 3. Tit. de Osculo pacis.

pacis. Ceterum in primitiua ecclesia OMNES, qui celebrationi Missarum intererant, singulis diebus communicare solebant, eò quòd Apostoli omnes de calice biberunt, Domino dicente: Bibite ex hoc omnes. Offerebant enim magnum panem, & omnibus sufficientem: quod adhuc Græci seruari dicuntur. Sed ex crescente fidelium multitudine, traditur institutum, vt tantum diebus dominicis communicarent: inde ter in anno, &c.

Et Lib. 4. Parte 4. Solam hostiam recipiens, non plenum recipit sacramentaliter Sacramentum. Etsi enim in hostia consecrat a Christi sanguis sit, non tamen ibi est sacramentaliter, eò quòd panis corpus non sanguinem, & vinum sanguinem significat, non corpus.

Item lib. 4. Parte 2. Titulo, simili modo. Quamuis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore, et sub specie vini sumatur corpus cum sanguine: tamen secundum Innocentium tertium, nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur aut comeditur. Quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur, &c. Vnde in quibusdam locis post sumptionem corporis & sanguinis Christi, aliquid de ipso sanguine reseruatur in calice, & superfunditur vinum purum, vt alij communicantes inde sumant. Nò enim esset decens, tantum sanguinis conficere, nec calix capax inueniretur.

## CENTVRIA DE cima tertia.

**N**ICOLAUS DE LYRA vixit Anno Domini 1215. Fuit natus Iudeus, sed postea per baptismum Christianæ ecclesie insitus, tandem & Monachus Franciscanus factus est. Tanto in precio habebatur tum temporis Ordo Monasticus, vt

CONTRA SACRIFICIUM MIS. ET

præ illo vulgaris Christianorum conditio profus contemneretur. Is cum reliquos doctrina & zelo antecelleret, integra Biblia commentarijs illustravit. Sic aut scribit. 1. Cor. 11. Fit hic mentio de duplici specie. Nam in primitiua ecclesia sic dabatur fidelibus: sed propter periculū effusionis sanguinis modò datur tantum sub specie panis.

Idem Prouerb. 9. Super verbis, Bibite vinum quod miscui vobis. Id est, sanguinem meum sub specie vini, in quo admiscetur aqua. In utraq; enim specie communicabant antiquitus fideles, sed propter periculum effusionis sanguinis ordinatum est, quòd datur laicis sub specie panis tantum.

Anno Domini 1395. vixit & docuit in Bohemia IOHANNES HUS: qui & ipse à Fabro cogitur ad dicendum testimonium de Missa, quòd sit sacrificium pro viuis et mortuis. Vestro innumerum relatus est. Is verò Missæ sacrum peregit, nec id vlla intermisit die, postquam è Praga ad Concilium Constantiense profectus fuit &c. Hic nos ita irretitos esse putat, vt euadere nequeamus, quin alterutrum fateamur, aut Missam sanctam esse, aut ipsum non esse sanctum. Vnde satis ferociter responsonem à nobis. efflagitat: Agedum, inquit, in Hus vestrum Missam celebrantem, Missamq; eo habentem loco, quòd diuinitus instituta & sancta sit, feratis sententiam, verum ne pro sancto habendus sit, quemadmodum vos asseritis, qui eius sanctitatem iactatis?

Age ne diutius nobis insultet, respondeo. Primum Faber sancto Martyri Iohanni Husso iniuriam facit, cum dicit eum talem Missam peregisse, qualis à Fabro describitur, & à Monachis sacrificijsq; in ecclesia Romanensi peragitur. Quod etsi ex ipsius Husi libris planum facere possem, tamen cum eius testimonium apud Pontificiam colluuiem parum authoritatis habeat, ex ipsis Pontificijs scriptoribus, Hussum tanquam hereticum damnantibus, demonstrabo.

Naucerus,

Naclerus, celebris & ab ecclesia Romana approbatus Chronicus, Generatione 47. fol. 267. inter ceteros articulos, propter quos Hussus combustus fuerit Constantiæ, hos etiam recenset.

1. Communionem diuinæ Eucharistiæ, sub specie panis & vini sumendam, his qui salui esse velint, necessario affirmabat.
2. Animas corporibus excedentes, aut in æternas è vestigijs penas mergi, aut perpetua consequi gaudia.
3. Vanum esse orare pro mortuis: & auaritiæ sacerdotalis inuentum.
4. Sacerdotem quocunq; loco, quocunq; tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibus ministrare: sufficere si verba sacramentalia tantum dicat.
5. Sacerdotes vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, & vasa huiusmodi nil habere momenti.

Hos articulos cum Iohannes Huss constanter docuerit, & sanguine suo obsignauerit, non dubium est, quin corde etiam ita senserit, ac nequaquam ea ratione Sacramentum celebrarit, qua in Missatico sacrificio celebratur. Primum enim ministrat integrum Sacramentum, sub vtraq; specie, omnibus illud petentibus. Secundò, consecrat sine Canone, quocunq; tempore, quocunq; loco, tantum per verba primæ institutionis. Tertio, Reijcit Purgatorium, & suffragia pro defunctis. Postremò, In externis ceremonijs, vestibus, altarium ornamentis, calicibus, patenis, corporalibus, & huiusmodi vasis reliquis, tuetur libertatem Christianam: nec patitur se his tanquam necessarijs obstringi, & laqueum conscientijs iniici. Quia ergo Iohannes Huss eas partes in Missa omittit, quas Faber tanquam necessarias exigit, aut certè alia ratione ijs vritur, quàm Papiæ, valde effrons est Fabri impudentia, affirmantis Hussum ipsum celebrasse Missam.

In Brandeburgensi et Norinbergensi Ordinatione ecclesiastica  
folet

CONTRA SACRIFICIUM MISS. ET

solet cœna dominica (quoad externum spectaculum) ferè iisdem ritibus peragi, quibus Missa Pontificia: ita ut si quis peregrinus ex Papatu adueniens actioni intersit, putet Papisicam Missam celebrari. Sed quia Canon cum omnibus suis erroribus omittitur, & reliquæ ceremoniæ pro Christiana libertate peraguntur, reuera non est sacrificium Missæ, sed communio corporis & sanguinis Christi totius ecclesiæ.

Sic & Iohannes Hus potuit (quoad externum opus) in itinere inter Pragam & Constantiam Missas celebrare, non aut Papisicas, sed Euangelicas.

Deinde, Quamquam Hus fuerit sanctus Martyr Christi, tamen non prorsus ipsum excusare & ab omni culpa liberare possumus: sed annumeramus illum jis Doctoribus, qui super fundamentum extruunt ligna, fœnum, stipulas. Nimis multum tribuit vetustæ consuetudini de Missa, inuocationi sanctorum, & alijs quibusdam erroribus. At tamen cum pio & magno zelo arserit, pro verbo & gloria Dei, ac præcipuos errores Missæ taxauerit, per tentationem & persecutionem probatus ac saluatus est, sed sic tanquam per ignem. Et Dominus clementer ipsi condonauit suos quosdam nauos, per fidem in Christum, quam constanter usq; ad extremum balitum confessus est. Proinde Hus est & erit in æternum sanctus Martyr Christi: Contra verò Missaticum Sacrificium est & erit abominatio coram Deo: licet forsitan ex ignorantia Hussus aliqua ratione se ista abominanda Missa coinquinauerit. Certè nisi ex permissione Dei Concilium Constantiense ipsum cremasset, experientia ipsa docuisset, qualem Missam celebraret. Sed nondum completæ erant iniquitates Amorrhæorum istorum, hoc est, Idolum Missæ stabilientium. Veruntamen non vanus Propheta eorum exiit. Fertur enim in rogo dixisse: Me iam anferem (nam id Hus Bohemicè significat) assatis: sed centum reuolubis annis, veniet cygnus, qui vobis aliquantò melius contabit, nec ta-

VNAM SPECIEM SACRAM. CENT. XIII

tamen eum assare poteritis. Quod fuit vaticinium de D. Martino Luthero, piæ memoriæ, qui Heros diuinitus excitatus, centū annis post concrematum Hussum, magna parrhesia & felici successu Indulgentias Romanenses oppugnare cœpit: ac progressu temporis idolum Missæ, ac totam Papiisticæ idolomanie lernam detexit, prostrauit, deleuit, ita vt hodie, diuino beneficio, cœnam Dominicam atq; vniuersam religionem purgatissimam habeamus.

CENTVRIA DE-  
cima quarta.

**A**Nno Domini. 1415. vixit in Anglia THOMAS VV ALDEN SIS, excellenti ingenio Monachus, Prouincialis Fratrum B. Mariæ à monte Carmelo. Is peculiare opus scripsit, de Sacramentis, contra Vuicleffistas, quod Papa Martinus quintus singulari Bulla approbavit. Etsi autem conatur ex vetustis Patribus euincere, laicis vnã duntaxat Sacramenti speciem porrigendam esse: tamen Tomo 2. de Sacramentis cap. 88. hunc in modum scribit: Fide fortibus & discretis fidelibus à pastoribus Ecclesiarum hoc donandum esse concedimus: scilicet, vt si non Sacramenta consumment, sed tantum participant, ad sacrificium tamen & eius libamentum, id est, ad communicandum in vtraq; specie eos assumant. Qualiter secundum vsum Romanū, summus Pontifex Diaconum & altaris ministros, aut alios fide summos, vel dignitate prouectos, puta Doctores vel Reges communicat, aut certè Ecclesia religiosorum vel magnorum locorum hactenus fratres suos vel alios tantare dignos communicare non desinunt.

Et infra cap. 94. Nec item negamus eis generaliter bibere Christi sanguinem secundum vini speciem: sed nec generaliter &

## CONTRA VNAM SPECIEM

sine discretionem concedimus vniuersis. Nam scimus de consuetudine Ecclesie relictum esse maiorum Prælatorum industria, vt de ministris altaris quosdam, aut alias personas illustres de vulgo, fide & reuerentia & omni timore Dei præditas, ad hanc communicationem solennem in vtraq; specie possint admittere. Sicut interdum solet Papa & alij quidam Episcopi, imò & inter fratres suos quidam religiosorum Præpositi. Sed magna cautela opus est Præpositis, scire, quibus, & qualiter, & qua fide subnixis ista dispensentur. Hac ille.

Quod si Christus vtramq; speciem solis sacerdotibus, vnã verò laicis instituit, vt Faber contendit: & tamen Papa, eiusq; Prælati contra institutionem Christi, laicis quibusdam vtramq; speciem dispensarunt ( vt Vualdensis testatur ) certè eos Antichristos esse necesse est, vtpotè qui institutioni Christi temerè aduersantur.

Aut si licuit Papæ & Prælati, pro suo arbitrio vtramq; speciem Sacramenti, mille & quadringentis annis post Christum, laicis quibusdam, ijsq; cœnam fortassis non magnoperè curantibus præbere, teste Vualdensi, & approbante Bulla Martini quinti, libro illius præfixa, cur non & alijs vera fide desiderantibus vtraq; species conceditur? Nam quod vni laico licet, idem licet & alteri. Hac profectò ratione non tantùm inter laicos & Clericos, sed & inter ipsos laicos discrimen faciunt, & personam respiciunt. Quibus fauent, ijs concedunt: quos odio habent, istis interdiciunt, ferroq; & igni persequuntur. Si concedant ipsi, iustum & legitimum est: Sin Christus iubeat, & Christiani eum sequantur, iniustum & illegitimum erit. Hiccine sunt boni & æqui pastores?

Anno Domini 1460. vixit non indoctus Monachus Carthusianus, DIONYSIVS RICKEL, nuncupatus Doctor Extaticus, Is in 1. Cor. 11. Sic scribit: In primitiua Ecclesia dabatur hoc Sacramentum sub vtraq; specie.

Idem

Idem in 2. Parte Sermonum. In die cœnæ Domini fol. 119. In primitiua namq; Ecclesia dabatur fidelibus Sacramentum Eucharistiæ, sub vtraq; specie panis & vini. Postea verò ordinauit Ecclesia, ne detur populo sub specie vini propter effusionis periculum.

## DE CONCILIO CONSTANTIENSI.

**A**Nno Domini 1415. celebratum est Concilium Constantiense, in quo calix Sacramenti primùm laicis prohibitus fuit, vt & ipse Eccius fatetur. Hæc autem sũnt verba Concilij. Sessione 13. Licet Christus post cœnam instituit, & suis discipulis administrauit sub vtraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum: & licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraq; specie, postea à conficientibus sub vtraq; & à laicis sub specie panis tantummodò suscipiatur: **TAMEN HOC NON OBSTANTE**, sacrorum Canonum authoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit & seruat, quòd huiusmodi Sacramentum sub vna tantum specie dispensetur, ad euitanda aliqua pericula & scandala.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quòd nullus Presbyter communicet populum sub vtraq; specie panis & vini.

Faber autem contrà, non dubitat dicere, Christum ipsum laicis tantum vnã speciem instituisse: permansisseq; hunc morem ab Apostolis vsq; ad nostra tempora. En quàm bellè Faber & Constantiense Concilium consentiant?



CONTRA VNAM SPECIEM SACRA.  
DE CONCILIO  
Basilienſi.

**A**Nno Domini 1437. Concilium Baſilicæ coactum, Sic decre-  
uit, Seſſione. 30. Fideles, Laici ſive Clerici, communicantes  
& non conficientes, non adſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſ-  
cipiendum ſub vtraque ſpecie panis & vini ſacrum Eucharifticæ  
Sacramentum. Sed Eccleſia, quæ regitur Spiritu veritatis, ſecum  
manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet uſq; ad conſum-  
mationem ſæculi (ſicut ait diuina ſcriptura) ordinare habet, quo-  
modo iſtis non conficientibus miniſtretur, pro vt reuerentia ipſius  
Sacramenti & ſaluti fidelium viderit expedire. Siue autem ſub  
vna ſpecie, ſive ſub duplici quis communicet, ſecundum ordinatio-  
nem ſeu obſeruantiam Eccleſiæ, proficit dignè communicantibus  
ad ſalutem. Vide Tomo. 3. Conciliorum, eiusdem Concilij ſeſſio-  
nem. 30.

Naclerus quoq; reſtatur, Baſilienſe Concilium Bohemis &  
Morauis ex pacto conceſſiſſe communionem ſub vtraque ſpecie. Ge-  
neal. 48. Fol. 274. Bohemis, inquit, ac Morauis Eccleſiaſticam vni-  
tatem pacemq; complectentibus, ſeq; in cæteris omnibus, præter-  
quam in uſu communionis vtriuſq; ſpeciei, vniuerſalis Eccleſiæ  
fidei ac ritui conformantibus, auctoritate Domini noſtri Ieſu Chri-  
ſti & Eccleſiæ, ſub DVPLICI ſpecie, panis ſcilicet ac vini, his  
qui conſueſſent, diuina Euchariftia communicare LICEBIT.

Et mox. Si perſeuerauerint Bohemi in huiuſmodi communionis  
deſiderio, idq; miſſa legatione petierint, ſacer conuentus, Bohemiæ  
ac Morauia Sacerdotibus cõmunicandi ſub vtraque ſpecie perſonas  
ſibi ſubiectas LIBERTATEM impartietur.

Audi obſecro, quantoperè duo iſta Concilia, viginti duorũ an-  
norum ſpacio & interuallo ſeſe ſubſequentia, inter ſe diſſideant.  
In Conſtantienſi, Laicis ſub pœna excommunicationis uſu calicis  
interdicitur,

interdicitur, ac pro stabiliendo impio Edicto plurimum innocentis sanguinis funditur: non obstante eo, quod Christus illum etiam pro Laicis instituit, & primitiua Ecclesia per plurimos annos obseruauit. In Basiliensi verò contrariū decernitur: videlicet quòd & Laicis dignè cōmunicantibus liceat vtramq̃ speciem accipere ad salutē suam. Conceditur etiā Bohemis ac Morauis vtriusq̃ speciei vsus, qui in Constantiensi Synodo sub omnium dirarum comminatione prohibitus fuerat. Ita quod Constantia est hereticum & damnable, id Basilea est licitum & salutare, seu (vt ipsi loquuntur) ad salutem proficit. Et vtrobiq̃ authoritas potestasq̃ Ecclesiæ preteritur. An non hoc est ex vno ore calidum & frigidum efflare? Quæso te, si vtriusq̃ speciei vsus est ex Deo, (vt ambo ista Concilia fatentur) cur illum prohibent? Aut si hunc QVIBVS DAM Laicis concedunt, cur non ex æquo omnibus? Sed hic est Spiritus ille vertiginis, quo diuinitus percutiuntur, qui verbum Dei contemnunt, ita, vt quid dicant agantq̃, nesciant.

## CENTVRIA

## decima quinta.

**A**Nno Domini 1490. GABRIEL BIEL Theologus in primis clarus, Canonem Missæ in Academia Tubingensi ordinariè professus est, & quæcunq̃ ad exornandam Missam pertinere videbantur, vel minutissima etiam, diligenter & accuratè collegit. Etsi autem plurimum in eo elaborat, vt & veterum & Neotericorum Doctorum testimonijs conuincat, Laicos vnā duntaxat sacramenti speciem accipere debere, tamen alicubi (ex instinctu procul dubio & impulsu spiritus sancti) testimonium veritati perhibet, quòd vna species non sit perfectum Sacramentum. Ita enim scribit Lectione 52. Litera F. Cum ergò Dominus sic multiplicauerit Sacramēta, vt omnes gratias habeamus in Sacramen-

## CONTRA VNAM SPECIEM

tis, nō sufficit gratiam habere communionis, per corporis sumptionem, quæ in sacramento significatur per elementū panis, nisi etiam haberemus gratiam redemptionis per sanguinem, qui significatur per elementum vini. Hac ergo ratione Christus vtrumq; instituit. Et licet sanguis habeatur in corpore sub specie panis, non tamen ex virtute Sacramentali, hoc est, non vi consecrationis sacramentalis, sed potius ex vnione naturali. Quia humores vniantur cum corpore, cuius sunt humores. Et ita oportuit, vt ibi esset consecratio alterius elementi, puta vini, sub quo virtute sacramenti sanguis Domini contineretur, ne Sacramentum esset IMPER-  
FECTVM alimentum.

Eodem tempore vixit GVILERMVS non contemenda eruditionis, prout illa ferebant tempora, Monachus & Doctor Parisensis, qui ex vetustis & recentioribus Doctoribus Ecclesie congesit Postillam super Epistolas & Euangelia, quæ Dominicis diebus legi solent. Hæc Postilla in toto Papatu ab omnibus Plebanis in magno precio habita, & quotidiano vsu trita fuit. In expositione autem Epistole infesto corporis Christi ista inueniuntur verba: Fit hîc mentio de duplici specie, scilicet panis & vini. Nam in primitiua Ecclesia sic dabatur fidelibus: sed propter periculum effusionis sanguinis modò datur tantum Laicis sub specie panis. Sacerdos tamen celebrans accipit sub vtraq; non tantum celebrans pro se, sed etiam pro alijs.

### Epilogus generalis quindecim Centuriarum.

Hac iam dixisse sufficiat, de testimonijs veterum & recentiorum Doctorum Ecclesie, inde à temporibus Apostolorū vsq; ad nostram ætatē, per singulas Centurias, hoc est per quindecim secula, deductis. Hortor autē dilectos fratres meos, fideles ministros Euangelij, & obsecro, vt de hoc negotio plura cogitent & legant: nam ex  
multis

multis pauca tantum delibauit. Possem etiam ex ipsis aduersario-  
rum nostrorum libris de Missa conscriptis, multa loca producere,  
in quibus de aliquibus Missæ partibus, vt de oblatione, de vtraq;  
specie, inuocatione sanctorum, sacerdotumq; coniugio, aliquanto tole-  
rabilius scripserunt quam Faber, & antecessores eius, Scholastici,  
Canonistæ & Sententiarij. Sed infrugiferum & superuacaneum  
esse iudico. Habent enim Mosén & Prophetas, aliasq; firmissimas  
rationes, quibus conuincuntur, Missam non esse sacrificium propicia-  
torum pro viuis & defunctis, sed communionem corporis & san-  
guinis Christi, sub vtraq; specie, toti Ecclesie communem. Hos lo-  
cuplectissimos testes si non audiunt, neq; credent, si quis ex mortuis  
resurrexerit. Itaq; pluribus supersedeo, coronidis vice adiecturus  
testimonia Rabinorum, Ethnicorum & Turcarum, qui cum extra  
Ecclesiam sint, à Fabro tamen in subsidium desperatae suæ Missæ  
aduocantur.

## Iudæorum, Ethnico- RVM ET TVRCARVM de Missæ Sacrificio testimonia.

SI Faber de sua Missa satis certus esset, ex sacrarum literarum  
& probatorum Doctorum testimonijs, ac nullos conscientie sti-  
mulos sentiret, iam securè & absq; omni hæsitacione in sua senten-  
tia acquiesceret. Nunc cum ad Iudæos quoq;, & Ethnicos, &  
Turcas confugiat, non dubium est, quin perditam & propè de-  
ploratam causam tueatur, ad quam suffulciendâ etiam impijsimo-  
rum hominum testimonijs opus sit. Certè hanc desperabundam vo-  
cem audire ex Fabro videor: Flectere si nequeo superos, Acheron-  
ra mouebo.

Nam

## TESTIMONIA IVDÆORVM ET TVR

Germ. fol. 58.  
Lat. fol. 97.

Nam de Iudæis scribens, Rabini, inquit, testantur, quòd tempore Messia omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini nunquam cessabit: aiunt q̄, Messia ipsum futurum rotundam placentam frumenti, quæ supra capita sacerdotum in sublime eleuetur.

Germ. fol. 69.  
Latin. fol. 115.

De Ethnicis verò sic: Apud Ethnicos omnes, inquit, ipsa quoq; natura sic comparatum esse videmus, ut externis sacrificijs suam declarent religionem, ijsq; offerendis grates agant dijs suis, petantq; corporis & animæ prosperos successus, suosq; Deos sibi concilient.

Germ. fol. 105.  
Lat. fol. 177.

Porrò de Turcis hæc scribit: Heretici, inquit, testatum efficiunt, se ipso Turco deteriores esse. Is namq; patitur Missam celebrari Ierosolymis ad sepulchrum Domini: adeoq; singulis annis non mediocres sumptus fratribus Francisci institutum tenentibus suppeditat, quibus tum ipsi sustententur, tum Missas, ceteraq; divini cultus officia exequantur.

Quid ergò tibi videtur? Num adhuc Missam negabimus esse sacrificium pro viuis & mortuis, quæ à tot sanctissimis hominibus, Iudæis, Ethnicis & Turcis approbatur?

At scire velim, num Rabini per suum illud panis & vini sacrificium, & rotundam placentam frumenti, Dominum nostrum Iesum Christum & Papyficam Missam intellexerint, & si adhuc in viuis essent, num hanc interpretationem Fabri admitterent? Cum enim discipuli eorum, Iudæi hodiè viuentes, negent Christum in carnem venisse, hoc est, Messiam esse, quis dubitet Rabinos quoq; seu Doctores eorum idem & olim negasse, & hodiè si superstites essent, negaturos? Quòd si interpretatio eorum ad ipsam Iesu Christi personam referrì non potest, quomodo ad sacrificium corporis & sanguinis eius sub specie panis ac vini in Missa accommodabitur?

Adhæc, testantur omnes circumstantiæ, Rabinos non loqui de nouo aliquo sacrificio per Messiam instituendo, sed duntaxat de usu

ificatis illis sacrificijs panis & vini, de quibus Exod. 29. & Num. 28. scribitur. Neq; enim existimant Iudæi, Messiam suum veteres cultus Mosaicos, institutis alijs, abrogaturum: sed iudicant Messiam fore tantum Regem ipsorum, qui Deo seruiturus sit iuxta legem Mosi: attamen liberaturus sit ipsos ab onere Sacrificiorum, excepto solo Sacrificio panis & vini, quod perpetuò duraturum sit, non inter ipsos tantum Iudæos iuxta legem Mosaicam, verum etiam inter omnes gentes, quas Messias subiungaturus & imperio suo subiecturus sit.

Itaq; Faber ex istis Rabinorum dellyrijs nihil aliud euincere potest, utcumq; se torqueat, quam quòd Messie temporibus panis ac vinum offerentur. Quid aut hoc ad sacrificium Missæ, in quo, iuxta Fabri sententiam, corpus & sanguis Christi quotidie offeruntur?

Sed illud magis ridiculum est, quòd testimonijs Rabinorum studet confirmare elevationem hostiæ in Missa ex loco Psal. 72. quem sic interpretantur: Erit placentia frumenti in terra, in capite montium. Placentia, inquit, frumenti siue tritici denotat quantitatem & rotunditatem hostiæ altaris, quam Sacerdotes supra caput eleuant. Montes enim ecclesiæ Sacerdotes significant. Hec ille. Fortassis existimat Faber, Rabinos, cum in Cathedra Mosi sedeant, sintq; Magistri in Israël, vaticinari de ijs rebus, quas nec ipsi quidem intelligant, neq; credant, quemadmodum olim vaticinatus fuit Caiphas. Sed vaticinetur & interpretetur, quamdiu velit, cum suis Rabinis, Caiphæ sodales sunt, & cum Caipha mercedem accipient, suis impietatibus dignissimam.

Scimus enim Spiritum sanctum eo in loco per similitudinē frumētī vaticinari de cœlesti benedictione, qua ecclesia benedicitur p̄ Christum, verum Messiam. Et erit, inquit, copia frumenti, in terra, in vertice montium movebitur sicut Libanus fructus eius, & florebunt in civitate, sicut herba terræ. Hoc est: Quemadmodum in

TESTIMONIA IVDÆORVM ET TVR-

monte Libano sunt densissima arbores, quæ flante vento mouentur: ita Euangelium densissimo agmine & confertum prædicabitur passim in omnibus ciuitatibus, quæ prædicatione Euangelij mirifice crescet & facundabitur ecclesia. Faber autem cum suis Rabinis refert ad rotundam & triticeam hostiam, quæ in Missa eleuatur. An non pudet tantum Doctorem, quantus quidem habet videri vult, huius puerilis, & à Rabinis emendicæ interpretationis? Verum ita fieri necesse est, vt qui veritati aures præbere nolunt, mendacio credant, & in Rabanicum, hoc est reprobum sensum tradantur. Hæc de Rabinorum testimonijs dicta sunt. Nam quæ de sacrificio Melchisedechico ex Rabinis adducuntur, ea supra in Classe Prophetarum diluimus.

Iam ex Ethnicorum sacrificijs ita ratiocinatur Faber. Cum natura gentibus sit insitum, vt externis sacrificijs Deos suos confiteantur, inuocent, gratias agant, concilient & demereantur: multo magis decet nos iuxta præceptum Christi: Hoc facite, &c. externo sacrificio Missæ fidem nostram coram Deo confiteri, huic gratias agere, hunc inuocare & nobis conciliare, &c. Atqui ista de Ethnicorum sacrificijs ratiocinatio, non minus absurda est, quàm illa ex Iudeorum Rabinis petita. Antecedentis enim prior pars (vt Dialecticè respondeam) falsa est: videlicet, quod Ethnicus insitum nature Dijs suis sacrificent. Falsum igitur erit & consequens. Nam hoc quidem gentibus natura insitum est, quod sit Deus, quod sit inuocandus, colendus & glorificandus: quomodo autem vere colendus & inuocandus sit, id nature non est insitum. Quemadmodum enim agnitio Christi nature humanæ insita non est, ita nec sacrificia Christum monstrantia natura fuerunt cognita. Animalis homo, inquit Apostolus, non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2. Sed Ethnicorum sacrificia orta fuerunt ex sacrificijs Patriarcharum, Nohe, Sem, Iaphet, et aliorum, qui ad testandam publicè fidem suam in venturum Christum, ex reuelatione & infra

iussu Dei certa quædam & diuinitus destinata sacrificia peragebant. Ab his Patriarchis orta & propagata omnes gentes, cum mox in impietates et idolomanias varias ruerent, morem quidem & ritum sacrificandi retinuerunt, sed verum & spirituale cultum Dei amiserunt. Itaq; non à natura, sed ex *κακολογία* Patriarcharum, Ethnici sua habuerunt sacrificia. Hinc apud Ægyptios maximè usitata, & frequentissima fuerunt sacrificia: qui ab impio Cham descendentes, citissimè facti sunt idolatre. Hinc Ethnicorum sapientissimi partim sacrificia repudiarunt, vt Porphyrus, teste Eusebio lib. 1. *Præparationis Euangelicæ*, & Pythagoras: partim falsè irriserunt, tanquàm vana & futilia, quod in Cicerone alijsq; Philosophis non obscure animaduertitur. Quid? quòd Solon Legem cauit, ne quis bouem immolaret. Et tritum est Catonis illud: Ne credas placare Deum, dum cæde litatur. Taceo, quòd Ethnicorum ritus in sacrificijs, non valde dissimiles fuerunt Patriarcharum ritibus et ceremonijs: vt vel hinc appareat, ipsos à Patriarchis morem sacrificandi accepisse, sed mox impiè peruertisse, ac horrenda idolatria conspurcasse.

Sicut impij Reges in Israël, alijsq; populi liberos suos immolauerunt & combusserunt, non instinctu nature, quæ ab hac immanitate abhorret, sed *κακολογία* Abrahæ, qui Diuino mādato iussus erat immolare filium. Nam imminente grauissimo periculo aut urgente iam calamitate, immolabant Principes & Primores populi, Demoni vlciscenti, charissimos suos liberos, ad placandam numinis iram, & auerterendam calamitatem: vt testatur Eusebius ex Philone Phenico Historico, *Præparat. lib. 4. Cap. 7.* & nota est historia Regis Moabit arum, immolantis filium suum super murum. 4. Reg. 3. Et durauit iste Sathanicus et furiosus mos, vsq; ad tempora Adriani Imperatoris. Ita Ethnicorum sacrificia erant cultus sine verbo Dei & sine fide, tantum ex *κακολογία* Patrum introducti. Quare Faber Antecedente Enthymematis sui



TESTIMONIA IVDÆORVM ET TVR-

nihil aliud probat, quàm quòd sacrificium Missæ etiam talis sit cultus (vt reuera est) qui sine verbo ex κακοσουλία, Patrum institutus sit. Nam cum nonnulli veterum Patrum cœnam Dominicam ex vera fide nominarint sacrificium, & oblationem noui Testamenti, ac pro Christiana libertate Ceremonias adhibuerint, Papiæ externum duntaxat sacrificandi opus retinuerunt, neglecta interim & Patrum fide, & legitimo vsu cœnæ Dominicæ. En eatenus, & non ulterius, conuenit sacrificium Missæ cum Ethnicorum sacrificijs. Quanta autem coram Deo sit abominatio nouum cultum sine verbo & contra verbum Dei instituere, & ecclesie obtrudere, supra auditum est.

Altera pars antecedentis, de Ethnicorum sacrificijs, hæc est: quòd Ethnici Deos suos sacrificijs sibi conciliauerint, corporisq; & animæ prosperos successus impetrauerint. Hinc consequens esse, quòd Missæ sacrificium etiam tale medium atq; instrumentum sit, quo omnia merita Christi & hostiæ suæ in cruce litata efficacia nobis applicari, remissio peccatorum & vita æterna impetrari, mala deniq; omnia auerti & propulsari possint. Quid quæso idcirco potius id est gentilius dici potuit? Nam reconciliatio Dei, conuenit soli Christo, eiusq; in cruce oblata victima. Rom. 3. Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine. Et 1. Iohan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Si quis igitur opus aliquod ab hominibus institutum collocet in locum fidei & Christi (quemadmodum Faber Ethnica & Missatica sacrificia collocat) is sanguinem Christi & redemptionem eius pedibus conculcat, & prorsus annihilat. Ita Faber Ethnicorum sacrificijs, Missæ sacrificium comprobaturus, tandem & ipse fit Ethnicus, imò Ethnico quoq; deterior.

Quid de Turcis dicam? quorum suffragia Faber non minus impie

impie quàm ineptè corrogat. Turcus, inquit, patitur Missam celebrari Ierolymis ad sepulchrum Domini, & quotannis aliquot Asperorum (id nummi Turcici genus est) centena Franciscanis suppeditat, ut Missæ officium exequi queant. Hinc infert, Missam esse sacrificium pro viuis & mortuis.

Credo equidem, si & Turca testimonium suffragiumq; suum Fabrico denegat, insanum istum hominem vel ipsius Diaboli suffragium inuocaturum esse: Sicut Plebanus ille, qui obsessum à demonio hominem adiurans & exorcisans, percontabatur, vera religio vera esset: *Vetus* ne (sic *Papisticam* vocabat) an verò *Lutherana*? *Vetus*, respondebat *Dæmon*. Ibi tùm *Exorcista* ad circumstantes conuersus, auditis, inquit, cauendum esse à *Lutherana* hæresi, & manendum in veteri religione, quam *Spiritus ipse* veram esse testatur. Et quid aliud sunt, *Iudæorum*, *Ethnicorum* & *Turcarum* testimonia, quàm *Diabolica mendacia*? Nam *Turca* (de hoc enim iam dicendum est) negat *Iesum Christum* in carnem venisse, & sectatur atq; colit execrabilem *Mahumetum*. Quòd autem *Missam* adhuc tolerare dicitur *Ierolymis* ad sepulchrum Domini, de eo non iniuria dubitari potest, cum non sit articulus fidei, ut firmiter huic rumori credamus. Sed sit sanè, num idcirco *Missam* approbat? Nonne & apud illos populos eam tolerat, quos quotidie deuincit, & imperio suo subijcit? Cur autem id? Nimirum ut reliquos etiam tanto facilius subiugare queat. Imò & *Iudæos* in suis regnis tolerat (sicut in *Romano* quoq; imperio tolerantur) cum non minus religionem ipsorum improbet, ac *Christiani* eam improbant.

Sed fingamus, *Turcam* *Franciscanis* *Monachis* tot nummos suppeditare, propterea quòd *Missam* insignem cultum Dei esse iudicet, seq; meriti illius participem fieri cupiat: num statim iustum & pium erit, quòd *Turca* iustum piumq; iudicat? *Mahumetum* fuisse *Prophetam*, & *Alcoranum* esse verbum Dei censet: num

TESTIMONIA IVD EORVM ET TURC

propterea ita esse credendum est? Certè si omnia probanda sunt, quæ Turcæ probantur, inanis est fides nostra, vana est vniuersa religio nostra. Non enim credit Christum esse Deum, & pro peccatis nostris mortuum, & propter iustificationem nostri à mortuis resuscitatum.

O rem miserrimam, articulos fidei & capita religionis nostræ à Fabro non diuinis oraculis sed Turcicis & Alcoranicis delirijs ac impietatibus confirmari? itane ecclesia rationem colendi Dei à Turcis petet, aut approbationem Turcarum desiderabit?

At mirari satis nequeo, qui fiat, quòd Franciscani Ierosolymis à Turca pecuniam accipiant. aut Turcicos nummos non esse veram pecuniam, aut Monachos illos non esse veros Franciscanos necesse est. Nostrates enim Monachi pecuniam non tangunt, nisi forsàn manus Chirothecis induta sint. Veruntamen facile credo, Monachos Ierosolymitanos non minus amore nummi Missas celebrare, quàm Faber cum fraterculis propter duodecim millia drachmarum Machabæi, & quotidianas Præsentias, de quibus supra dictum est, Missas celebrant.

Ger fol. 105.  
Lat fol. 178.

Sed ne quis existimet, Fabrum super solos nummos Turcicos Missam suam extruere, profert etiam ex sacris literis testimonium, quo demonstrat ad sepulchrum Domini Missam celebrandam esse. Apud Esaiam, inquit, cap. 11. legitur: Erit sepulchrum eius gloriosum. Hac de causa quotidie ad sepulchrū Domini Missæ celebrantur. Si ergò Missa in Dei cedit contumeliam & blasphemiam, ut vos vultis, qui nam, obsecro, verum est Esaiæ patricinū, sepulchrum illud fore gloriosum asserentis? Solue hunc nodum frater Euangelicè. Hec ille. Parum abest, quin dicat sepulchrum Domini inde adeò gloriosum esse, quòd ibidem quotidie Missæ celebrentur.

Nm intendam autem Fabrolitem de loco, an is locus, qui sepulchrum Domini dicitur, verè sit sepulchrum illud, in quo Ioseph<sup>ab</sup>

ab Arimathia Christum posuit. Nam iuxta Christi & Prophetarū vaticinia, & fide dignas historias, Ierosolyma ita deuastata sunt, vt non relictus sit lapis super lapidē, adeo vt ne situs quidem verè monstrari possit, in quo Ierosolyma steterint: nedum vt post tot ac tantas mutationes verè monstrari possit sepulchrū Christi, quod non procul ab vrbe disitum fuit. Quid? quòd historia Tripartita lib. 1. cap. 7. locum illum Veneris templo ab insanis idolatris dicatum fuisse testatur. Sed vt maximè locus iste sit verum & verior sepulchrum Domini ( quod neq, affirmans neq, negans in medio relinquo ) tamen certum est, Prophetam in hoc vaticinio non loqui de spelunca illa saxea, multo minus de sacrificio Missæ quotidie illuc celebrando. Nam sepulchrum lapideum nibilo plus nobis confert, quàm inconsumptibilis tunica Christi. Cumq, Missæ sacrificium sit abominatio coram Deo, quomodo sepulchrū Domini gloriosum reddet? Verum Prophetam militari et bellica similitudine describit predicationem Euangelij, et gloriosos fructus eius: quos in hoc mundo proferet.

Nam vt in bello signum sue vexillum eleuatur, ad quod rotus exercitus confugit, vt subsidium & defensionem ibi inueniat: Sic contempta illa radix Iesse, Christus, predicatione Euangelij eleuabitur in signum populorum, tam Iudeorum quàm Gentium, quæ Dominum requirent, & sub signis Christi militabunt, vt sub Christo tanquàm vexillo ab omnibus hostibus protegantur, & consequantur veram pacem ac salutem perpetuam.

Eius signi sepulchrū, vel ( vt in Hebræo est ) requies, hoc est, locus, in quo signū illud figetur, & eleuabitur, erit gloriosus. Id est: vbiq, predicabitur Euangelio de filio Dei et Davidis pro peccatis nostris mortuo, sepulto, et in iustificatione nostri resuscitato, semper erunt aliqui, qui hęc predicationē vera fide recipiēt, et Dominum pro tantis beneficijs laudabunt & glorificabūt. Sic ergo Prophetam non vaticinatur de gloria saxei sepulchri, Ierosolymis, vt Faber opinatur,

## DE CEREMONIIS MISSÆ

opinatur, sed de prædicatione Euangelij, qua filius Dei glorificatur, quod in sepulchro quidem iacuerit, sed ex eodem resurrexerit. Hæc est longe maior gloria, quàm sepulturae Abrahami, Isaaci, Iacobi, omniumq; hominum, splendidissima quæuis Mausolæa superans. Et permanebit hæc gloria vsq; ad extremum diem, etiamsi nulla vnquã Missa celebretur: Imò hæc ipsa gloria sacrificio Missæ obscuratur, & summa ignominia afficitur.

Hæc ad Iudeorum, Ethnicorum & Turcarum testimonia respondere volui: quæ quanto magis sollicitè Faber corradit, tanto manifestior fit horrenda Missæ abominatio. Cave autem igitur sibi à Missa omnes pij, non secus quàm à Iudaico Thalmud, à Turcico Alcorano, & ab idolatricis Ethnicorum sacrificijs, iuxta grauisissimum præceptum Apostoli: Fugite idola.

# De ceremonijs

## Missæ in genere.

**E**TSI Faber in toto suo volumine nihil omittat eorum, quibus Missam suam defendi posse arbitratur: tamen nullibi plus elaborat, quàm in 4. parte de ceremonijs. Principio enim eas ceremonias prolixè enumerat, quæ tum ante tum post celebrationem Missæ vsurpantur: vt sunt, altare, vestes, cerei, vexilla, imagines, thuribulum, manuum lotio, eleuatio, extensio, inflexio genuum, translatio codicis Missalis, submissa lectio, alta et clara cantio, oratio versus solem orientem, &c. Deinde recenset singula, quæ & quo ordine, in ipsa Missa peragantur, inde ab Introitu, vsq; ad extremam clausulam: Ite, Missa est. Atq; his omnibus ceremonijs varia & mirifica mysteria, forsitan ex Iudeorum cabala, tribuit. Cum primis verò Rhetorico artificio vitur in commendandis & ornandis

Ger fol. 101.

Lat. fol. 170.

*ijs, quæ per se bona sunt : qualia sunt, Psalmi, Precationes, Interpellationes, Gratiarum actiones, Confessio fidei & peccatorum, & similia. Interim verò inhumaniter & calumniosè nos suggillat, quâsi eas partes tanquàm impias & abominandas reijciamus & condemnemus : hoc agens videlicet, vt nos omnibus iniustos reddat, & Principum animos exacerbatos odiâq; eorum in nos concitet. Cernite, inquit, obsecro, quanto perè malus demon laudibus Dei nos priuare, nostroq; ex ore eas rapere molietur. Itaq; cuius perspicuum est ac euident, vanos ac commentitios esse Misoliturgos, dum Missam totam horroni ac abominationi esse mentiuntur. Hactenus Faber.*

*Si quis ista legat, qui innocentiam nostram nesciat, nonne Lutheranos toto pectore execrabitur? At quæ in Missa maximè sunt abominabilia, ea Faber aut silentio præterit, aut fucatis verbis ornat & palliat, paleas pro tritico, scoriam pro argento venditans.*

*Porrò media seu Adiaphora, quæ à Christo & Apostolis neq; præcepta neq; prohibita sunt, contra libertatem Christianam tanquàm necessaria obtrudit: aded vt qui aliquid ex ijs omittant, eos memoria passionis dominicæ carere vociferetur. Deniq; peccata fingit, vbi nulla sunt : bona comminiscitur opera, de quibus nulum Domini præceptum extat.*

*Breuitè & clarè respondeo, Fabrum ijs, qui Augustanam Confessionem vera fide amplectuntur, per vim & iniuriam calumniosè tribuere, quòd nullam pror sus Missam, nullum sacrificium laudis in Ecclesia Dei admittant, vel (vt Fabri verbis vt ar) laudes Dei ex ore Ecclesie rapiant, affirmantq; omnia esse abominabilia & Sathanica, quæcunq; in Missa gerantur. Imò hisce quadraginta annis continuis, vnice in hoc studium curamq; incubuerunt, vt Ecclesie preciosum illum cænæ Dominicæ thesaurum integrum & illibatum restituerent : quo thesauro Faber & Pontificij Ecclesiam*

## DE CEREMONIIS MISSÆ

sacrilegè spoliarunt, ac etiam num hodie violenter illum præripuerunt. Nam in Missa priuata totum Sacramentum Ecclesiæ adiungunt, priuatum sibi ex eo conuiuium extruentes. In communionibus verò Sacramentum in duas partes discerpunt atq; dilacerant, quarum vnã duntaxat laicis præbent. Hoc, hoc est, laudes Dei ex ore Ecclesiæ rapere. Cæna enim dominica est Sacramentum gratiarum actionis, & sacrificium laudis: vt supr à sexcenties dictum est. Itaq; quorum criminum Faber nos mendaciter insinulat, eorum ipse cum suis Fraterculis reus est.

Deinde non caremus omni delectu, in approbandis vel improbandis Missæ partibus: nec omnes ex æquo reiicimus, nec omnia quæ in Missa geruntur, à diabolo profecta esse dicimus: sed in tres distinctos ordines digerimus.

Primus ordo, earum est partium, quæ (modò rectè vt aris) planè sunt piæ, vt quæ sacris literis consentanea sunt, & quæ natura sua nunquàm male esse possunt: quales sunt hæc sex.

1. Communicatio seu distributio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, pane & vino cænae Dominicae.
2. Psalmi, qui passim, quanquàm frustulati, Missæ inseruntur. Nam post Introitum statim versiculus vnus additur, Gradualia, Tractus, Offertoria, & si quæ sunt cantica synceriora, quæ Psalmis ferè constant.
3. Precationes piæ, videlicet Kyrieleyson, Collectæ syncerioræ, Pater noster, Agnus Dei, & quadam preces Canonis syncerioræ.
4. Gratiarum actiones, vt sunt, Gloria in excelsis, Alleluia, Præfationes sincerae, Sanctus, Complendæ, Benedictio postrema.
5. Confessio, non tam peccatorum, quàm fidei nostra Christianæ, vt hæc formula: Confiteor Deo patri &c. si tamen ad Dictum: Tibi soli peccavi, referatur. Item Symbolum Nicænum, Credo in vnum Deum &c. & Patrem omnipotentem.

6. Lectiones

6. *Lectiones & interpretationes Euangeliorum & Epistolarum, cum concionibus pie ad analogiam fidei ordinatae.*

Haec autem partes non à Missa primam suam originem ducunt, sed in sacris literis comprehensae fuerunt, antequàm vel nomen vel res Missae innotuit: neq; ab initio in Missa usitatae, sed progressu temporis à diuersis Pontificibus Romanis (vt in quinq; primis Centurijs ostendimus) congestae, & sigillatim institutae fuerunt. Sunt tamen sua natura bonae & pie, & quae ad excitandam memoriam Dominicae passionis faciant multum. Quae quidem memoria praecipuus est finis, & tanquàm scopus caenae Dominicae. Praeterea sunt haec partes quasi *tractata* & ornamentum quoddam, ad hanc celebrationem ordinatae 1. Cor. 14. & 1. Timoth. 2.

Ad haec negari non potest, quin in nostris Ecclesijs haec partes omnes (absit arrogantiae suspicio) maiori studio & deuotione peragantur, quàm apud Pontificios: & quidem, in vernacula & nota lingua, per quam tota Ecclesia excitatur, vt omnes vnà edant & vibant, canant, orent, gratias agant, & Amen respondeant. Qua fronte igitur audeat Faber nos calumniari, quòd omnia, quaecunq; in Missa gerantur, diabolica appellemus?

Secundi ordinis partes omninò se habent contrario modo: sunt enim impiae, & ab ipsis impijs Idololatris excogitatae, & quae natura sua nunquàm bonae fieri possunt, vt cunq; pallientur. Nam quod semel iniquè factum est, nulla temporis diuturnitate aequum fieri potest. Huius generis sunt nouem errores Canonis, quos Centuria sexta copiose refutauimus.

Ordo tertius eas continet partes, quae dicuntur adiaphorae, quas Deus suo verbo neq; mandauit neq; prohibuit, ac propterea per se neq; bonae neq; male, neq; laudatae neq; illaudatae sunt: possunt tamen usu acquirere sibi alterutrum, ita vt vel bonae vel male, pie aut impie meritiò habeantur, iuxta Davidis dictum, qui de ipso Domino Deo nostro, qui non est medium quoddam bo-



## DE CEREMONIIS MISSÆ.

num, sed longè omnium optimum maximumq̄, ita testatur: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruertèris. Psal. 17. Huiusmodi verè Ceremoniæ notantur à circumstantijs personarum, vestimentorum, locorum, temporum, gestuum & rerum accidentium.

1. Personæ proprietates & cōditio. Futurus sacrificulus primùm ceremonijs quibusdam cōsecratur, ungitur, raditur, atq̄ ad calibem vitam adstringitur.

2. Vestitus peculiaris. *Ve* Linteum chorale, humerale, Alba, stola, manipulus, casula, quam & Planetam vocant, thorax leuiticus, Pallium.

3. Tempus certum, manè ad Tertias, interea ieiunus esto.

4. Locus constitutus, vt in templo dedicato, super altari lapideo & consecrato: aut si id desit, super lapide portatili, in lecto tamen linteolo, item calices, patelle.

5. Gestus corporis. *Ve* sunt, incuruari, geniculari, manus leuare, extendere brachia, complicare, decussim adiurare, digitis cruces signare, ad quatuor orbis plagas adstare, & multi alij id genus theatrici & scenici mores. Item eleuatio Sacramenti.

6. Res accidentaria. Sal consecratum, aqua benedicta, cerei, vexilla, cymbala, imagines, &c.

Quapropter si quiddam de nostro iure, in hac disputazione, concordia causa, aduersarijs concedere velimus, id tantummodo de medijs Missæ particulis, quas tertio ordine diximus contineri, est intelligendum. Nam primarias illas & primi ordinis partes, summis viribus perpetuò, Deo adiuuante, defendemus, nihil cuiquam de illis vel immutare, vel decidere, nedum deprecuare permittentes. Impias autem & secundi ordinis partes penitus resellemus, vt qui ne vnã quidem ex omnibus admitterè piè possimus. Tantùm ad indifferentes & medias ceremonias, siue quid addere, siue quid adimere velis, pro ratione circumstantiarum, poterimus conuenire.

Quòd

Quòd autè Faber, medias & adiaphoras partes ita necessarias facit, vt sine peccato omitti non posse contendat, simulq; mirifica quædam & spiritualia mysteria (ex Iudeorum fortassis Cabala) ipsis attribuit, quæ singulares & meritorios cultus esse fingit: id, inquam, nullo modo approbare possumus. Primum enim nunquam concedendū est, nobis vllas de ijs rebus, de quibus præceptum Christi non habemus, leges tanquam necessarias imponi, aut cōscientijs laqueos iniici: Sed multo magis decet nos defendere Christianam libertatem & conseruare, iuxta præceptum Pauli: In libertate, qua Christus nos liberauit, stete, & ne rursus iugo seruitutis impli-  
cemini. Galat. 5.

Deinde arcana eius mysteria, & spirituales interpretationes ceremoniarum, non modo incertæ & superuacaneæ sunt, sed etiam scripturis sacris & analogiæ fidei contrariæ. Paulus vult prophetiam esse analogam fidei. Vnde autem Faber nos certos reddet de suis interpretationibus, quòd certæ sint, & fidei analogæ? Alba, inquit, lineã exprimit vestem, qua Herodes Christum probrosè indutum Pilato remisit. Casula purpureum representat, quo Christus tum indutus fuit, cum Pilatus eum populo exhiberet. Introitus significat Patriarcharum & Prophetarum flagrantissima desideria, quibus aduentum Messie, futuri mundi seruatoris, medullitus suspirabant. Alleluia septem ante Pascha septimanis in Missa non canitur, ad significandam tribulationem vitæ huius, in qua modo sumus. Rursus post Pascha septem hebdomadis Alleluia cantatur, ad significandã beatitudinẽ, in qua postea erimus. Similes interpretationes multas affert Faber. Testimonia autè scripturæ nulla habet, quòd Christus vel Apostoli ita instituerint, aut alijs instituenda mandauerint.

Prætereà studiosè subtrahet eorum autorum nomina, vnde ista mysteria desumpta sunt: Alberti Magni, Durandi, Sidonij, &c. alioquin cogitari posset, has interpretationes non esse Apostolicas,  
Ppp 3 sed

sed Monasticas. Itaq; occultatis nominibus fucum simplicioribus facere voluit, vt crederent has interpretationes ab ipsis Apostolis & priscis patribus profectas esse, de quibus illi ne per somnium quidem vnquam cogitarunt.

Adde, quòd in nouo testamēto hisce mysterijs & figuratis interpretationibus nihil opus est. Postquam enim Christus ipse mundo reuelatus est, tum in carne, tum prædicatione Euangelij, figura ipsum monstrantes desierunt. Lex, inquit Apostolus, vmbra obrinet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Heb. 10. Et iterum Heb. 9. Christus accedens Pontifex futurorū bonorū, &c. Sicut igitur veniente ipso corpore, vmbra desinunt, sic Christo veniente omnes figura cessarunt. Proinde qui in nouo Testamento figuras tractant, perinde faciunt, ac si in sole meridiano lumen accenderent, quo splendorem solis auferent, vel potius obscurarent & extinguerent. Quid suscipi posset stultius?

Postremo, figura Fabri è diametro pugnat cum vero vsu Cœnæ, quibus legitima cōmemoratio passionis & mortis Christi obscuratur & prorsus impeditur. Non enim mandauit Christus, vt memoriam mortis eius recolamus in externis ceremonijs, sed in prædicatione Euāgelij, & legitimo vsu Cœnæ Dominicæ. In sacrificio autē Missæ neq; mors Domini publicè annūciatur, nec Cœna alijs cōmunicatur.

Quemadmodū Iudæi, alio quodam & nouo modo, de quo Dominus ipsis nihil præceperat, memoriā liberationis ex Aegypto celebrarunt, quæ t̄ annis in festo Paschatis captiuū quendā dimittētes: veterum autē agnum paschale, quem clementissimus Dominus in memoriam beneficiorū suorū instituerat, edebant in veteri fermento malitiæ & versutiæ, non in azymis sinceritatis & veritatis. Ad eundem modum gunt Missarij. Non prædicant, nec distribuunt integrum sacramentum: sed meras pueriles nugas & ineptias tractant, in quibus commemorationem mortis Christi collocant. Hæc omnia Faber vt piè recteq; facta collaudat, & laudes Dei nuncupat. Quæ Christus ipse instituit, heresin & errorem vo-

car: quæ verò institutionē Christi tollunt, cultus & laudes Dei appellat. Quàm hæc Deo probentur, Samuel nobis propheta exponat: Numquid, inquit, vult Dominus holocausta & victimas, & nō potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere. 1. Sam. 15.

Iam & impiæ ac malæ partes Missæ Pontificiæ, de quibus in secundo ordine facta mentio est, tam malignæ & venenatæ sunt naturæ, vt non solum mediocres ceremonias inficiant, verum etiã bonas & pias sua natura partes (de quib. in primo ordine diximus) corrumpant & prophanent. Nam res sacra, id quod prophanium est, non sanctificat: sed prophaniū quod est, rem sacram facile cōtaminat. Sic enim Propheta Aggeus cap. 2. Interroga, inquit, Sacerdotes legem, dicens: Si portauerit quispiam carnem sanctam in ala vestimenti sui, & tetigerit cum sua ala, panē aut coctionē, aut vinum, aut oleum, aut quemcumq; cibum, numquid sanctificabitur? Et responderūt sacerdotes, atq; dixerūt, Non. Et ait Haggai: si tetigerit is, qui pollutus est super anima, omnia ista, numquid polluetur? Et responderet Sacerdotes dixerunt, polluetur. Et respondit Haggai, & ait: Sic est populus iste, & sic est gens ista coram me, dicit Dominus, & sic est omne opus manuum eorum, & quicquid obtulerint, illud immundum. Quasi dicat Propheta: Caro, quæ per sacrificium sanctificatur, est quidem caro sanctificata, sed non sanctificans. Sed contrã, si quis cadauer tetigerit, non solum est pollutus ipse, sed & omnia quæ tetigerit, polluta erunt: quemadmodū habetur. Nu. 19.

Eadem ratio est Cænæ Dominicæ, & Missæ Papisicæ. Cæna Christi sua quidem natura res est bona & sacrosancta: verum non inest ei tanta sanctitas, vt possit etiam impiam Missam cum suis abominationibus sanctificare. Sed potius ipsa Missa tam perditæ est naturæ, vt omnia, quæ ad perficiendū eam adhibentur, vel ipso  
actu

## DE CEREMONIIS MISSÆ.

attactu & coniunctione polluat. Non dico solum illas medias ceremonias, verum etiam pias & optimas eius partes, imò & ipsam cœnam Domini: hæc, inquam, omnia simul cum ipsa Missa in impietatem conuertuntur. Quæ enim est conuentio Christi & Belial? & quod commercium luci cum tenebris?

Est igitur hæc Haggai sententia, tanquàm generalis quedam regula Theologica, qua huiusmodi obiecta diluuntur: Quomodo Missa possit esse impia, in qua sit tantum pietatis & boni? Fateamur quidem, & facile concedimus, cœnam Christi, & alias quasdam partes in Missa, esse sacrosanctas, si, inquam, iuxta Christi institutionem illis legitime ut amur: sed cum Missæ suisq; abominationibus admiscantur, hæc sacrosancta, iam amissa omni sanctitate, abominabilia pariter & ipsa erunt.

Panis & vinum sua natura sunt bonæ & salutares creature Dei, quæ cor hominis confortant & exhilarant, iuxta dictum psal. 104. At si quis improbus caupo panem & vinum modico tantum veneno inficiat, putas ne conuiuas, si illud sciant, gustaturos esse? Si causam sciscitetur caupo, cur à pane & vino abstineant? respondebunt, se propter admixtum venenum abstinere, & eijcient venenata ista fercula per fenestras, iubeuntq; ut caupo recentem panem & vinum, quæ omni veneno careant, è penu suo depromat. quod si caupo facere recuset, in aliud hospitium diuertent. Sin vi illos ad edendum ac bibendum infectum veneno panem & vinum cogere velit, mox ipsum de scalis precipitem dabunt.

Non dissimilis est ratio Missarici sacrificij. Faber & Pontificij mirifice ornant & amplificant ea, quæ Pontifices Romani & alij Patres ex sacris literis Missæ adiecerunt: & hoc quasi tectorio latentes abominationes inuoluere & occultare studet. Aduocant etiam conuiuas, & multis verborū lenocinijs cōmendant apposita fercula. Hic est, inquiunt, Confessio peccatorū, & fidei. Hic sunt preces,

preces, gratiarum actiones, Psalmi, Epistolæ, Euangelia &c. *Accedite, accedite ô Christiani ad Missam, in qua exoptata inuenietis omnia. Quid enim mali est in enumeratis iam partibus? nonne omnia bona sunt & salutaria?*

*Hic ex aduerso pius respondeat: Equidem non ignoro, hæc omnia sua natura esse bona & pia: cur non incorrupta retinetis? cur illis ad horrendos errores Canonis abutimini? cur Testamentum Iesu Christi mutatis in sacrificium propiciatorium? cur conuiuas inuitatis, quibus tamen nec cibum nec potum, aut saltem cibum præbetis? Quid? quòd Magicas incantaciones exercetis, dum vulgo persuadetis, vos ex pane corpus Christi, ex vino sanguinem eius vi verborum prolatorum conficere posse? quid? quòd frustulum panis ad adorationem prostituitis? Iam cur Purgatorium affingitis? cur inuocationem Sanctorum adiungitis? cur corpus & sanguinem Christi, thesauros nullo precio persoluenodos, nobisq; à Christo gratis donatos, precio venditis? cur deniq; totam Missæ vestræ actionem, Latina & nobis ignota lingua peragitis? En hæc sunt causæ, quare vobis priuatum vestrum conuiuium relinquamus, vosq; cum isto valere iubeamus, abeuntes ad alia loca, vbi nobis sacrosancta cœna sincera & ab omni labe veneni repurgata communicatur.*

*Ita pij de Missali codice idem faciunt, quod conuiuæ illi de venenato pane & vino: eicientes illum extra ecclesiam, & flammis absumendum tradentes. Contrà verò ex penu & cella sacræ scripturæ depromunt salubres & nullo veneno infectas partes, quas actioni Cœnæ Dominicæ adhibent. Hic enim inueniuntur verba institutionis non adulterina, hæc oratio Dominica, Euangelia, Epistolæ, Gloria in excelsis, Sanctus, Agnus Dei, Preces, Interpellationes, Gratiarum actiones, & quidem omnia vulgata & vernacula lingua.*

*Hinc facile iudicare poteris, Christiane Lector, etiamsi omnes*

## DE CEREMONIIS MISSÆ

Missales codices aboleamus (vt certè abolendi sunt) nos tamen nõ cum malis vnà etiam bona reijcere. Neq; enim vel Euangelium, vel Epistolam, vel Sanctus, vel Agnus Dei, vel Pater noster, vel Cenam Dominicam repudiamus. Habemus enim Diuino beneficio integros libros Prophetarũ, Apostolorum & Euangelistarum, in quibus hæc & alia bona partes cõprehenduntur, vnde Sycera & incorrupta peti possunt, multo comodius, quàm ex Missali codice.

Ceterum quatenus medie & adiphora partes Missæ, à Christo & Apostolis neq; præcepta neq; prohibita, ac proinde sua natura neq; bona neq; mala, vel vsurpari vel omitti possint, suprâ à nobis in quinq; primis Centurijs, ex Pontificum Romanorum Constitutionibus expositum fuit: videlicet iuxta Christianæ libertatis regulam, & pro singularum Ecclesiarum commoditate: obseruata semper hac cautela, ne conscientijs laqueus iniiciatur. Illuc Lætorem remitto.

## Epilogus.

Vt tandem ad finem perueniam (tædet enim me temporis, quod in putidis nugis Fabri inutiliter teritur) en habes studiose Lector, integram Historiã, tam de Euangelica quàm de Papistica Missa, ex sanctis Euangelistis, Apostolis, Prophetis, veteribus recentioribusq; Scriptoribus Ecclesiasticis, Põtificijs Decretis & Canonibus, Cõciliorum deniq; constitutionibus sanctionibusq; bona fide collectã. Quam si diligenter & attentè perlegeris, & cum Fabri libro contuleris, ac iuxta sacra scripturæ & Patrũ testimonia, tanquàm ad Lydium lapidem, examinaueris, deprehendes, librũ Fabri supra fluxam arenam extructum esse, omniaq; crassissimis erroribus & mendacijs scatere. Esi enim interdum aliquid veri profert, tamen id ad confirmandum mendacium detorquet: neq; ullum errorem, siue summum siue infimum agnoscit, sed cæca & præfracta concuma-

contumacia propugnat. E regione autem cognoscet, pie Lector, cœnam Dominicam (qualis in nostris ecclesijs, diuino beneficio, restaurata est) in hoc meo libro super Petram verbi diuini ita solide firmiterq; fundatam, vt ne portæ quidem inferorum aduersus eam præualitura sint.

Quicquid autem scripsi, Deum testor, me non odio Fabri, aut prægranandi ac ledendi ipsius causa scripsisse, sed vt tam Fabrum quam reliquos aduersarios fidei admonitione corrigerem, si fortè Domino gratiam largiente, veritatem calumniari atq; persequi cessarent. Deinde inseruire volui infirmioribus, qui inter nos degentes, clamoribus aduersariorum ita consternantur, vt dubitent, verum Missam an cœnam Dominicam amplecti velint. Hos liber iste docebit, si relicta Missa cœnam amplectantur, ipsos non solum non à vera ecclesia deficere, sed cum primùm verè ad eam accedere. Tertiò scripsi hæc, ad consolandos eos, qui veritatem agnouerunt: vt infide sua corroborentur, nec deinceps contra suam ipsorum conscientiam & contra agnitam veritatem quicquàm admittant. Qua in parte superioribus annis, proh dolor, à multis non leuiter peccatum fuit.

Agite ergò fratres charissimi. Agnoscamus grata mente saluiferum illud tempus visitationis nostræ, in quo nos Deus, infinita bonitate & clementia, à tenebris Papiæ Misse in admirabilem lucem cœnæ Dominicæ vocauit. Non contemnamus hoc inenarrabile beneficium, non securè in veramuis aurem dormiamus: sed vigilemus, & per gratiam Dei stemus fortiter. nec patiamur nos ullis afflictionibus, angustijs, persecutionibus, fame, nuditate, periculis, gladio, neq; morte, neq; vita, neq; ab angelis, neq; principibus, neq; potestatibus, neq; instantibus, neq; futuris, neq; altitudine, neq; profunditate, neq; vlla creatura alia, nos deterreri et abduci à legitimo vsu cœnæ Dominicæ, ad idolum Misse Pontificiæ. Veniet



## EPILOGVS.

enim Dominus noster Iesus Christus, veniet & non tardabit, est  
adhuc procul esse videatur, & apparebit in finem, & non mentie-  
tur: & reuelabit tam vitam quam iudicium. Iudicium quidem in  
ijs, qui sacrosanctum ipsius Cœnam horribiliter profanarunt,  
corpufq; & sanguinem eius indignis modis tractarunt: Vitam ve-  
rò in illis, qui his sacratissimis mysterijs dignè & reueren-  
ter vsi sunt. Quod concedat nobis Iesus Christus,  
qui est vnâ cum Patre & Spiritu sancto  
Deus benedictus in secula.  
Amen.

## FINIS.


# Epigramma.

**M**ISSA ferum monstrum, quo non monstrosius vllum  
Aphrica monstrorum proculit ipsa parens.  
Terruit excelsos Reges, populosq̄ potentes,  
Et sua persuasit scepra tremenda sequi.  
Donec erat Papæ triplex metuenda corona,  
Et de sacrilega fulmina missa manu.  
Herculeus Lutthere labor tuus expulit illam,  
Dum non Pontificis fulmina bruta times.  
Te duce facta via est, hâc nos perrumpimus omnes,  
Qui Missam facimus, non facimusq̄ tamen.  
**V**ANNIVS hanc vanno nunc ventilat atq̄ repurgat,  
Et vannum valida versat agitq̄ manu.  
Hinc paleæ stipulæq̄ leues per inane volantes,  
Quàm leuis hæc fuerit Missa, docere queunt.  
Ne tamen ex tumuli cogatur honore carere,  
Mortua quæ passim spretaq̄ Missa iacet,  
Distichon in tumulo, quo sit celeberrima, sculpas  
Qui volet officio condecorare suo.  
Illa ego, qua Babylon creuit, ditissima Missa,  
Hic recubo, Monachi Sacrificiisq̄ steant.

W. B.

*TVBINGÆ, EX OFFICINA VIDVÆ*  
*Vdalrici Morhardi, Anno Salutis humanæ*  
*M. D. LXIII. Men-*  
*se Julio.*

W. B.



00N 68510514